Digitized by Google

Hi 9585

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

QUÆ

LIPSIÆ PUBLICANTUR,

SUPPLEMENTA.

TOMVS II.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud JO. GROSSII Hæredes,
JO. FRID. GLEDITSCHII B. Fil.
ET
MAURIT. GEORG. WEIDEMANNUM.
Venduntur etiam Amſtelodami in WAESBERGIORUM
& WETSTEINIORUM officinis.

Typis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.
MDCCXXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Lectori Salutem!

T*antum ne vacuam Voluminis hujus primam paginam invenias, hoc quicquid eſt Præfationis, habe. Quo ſpectet omne hoc inſtitutum noſtrum, & cujus generis ſcripta in* Supplementis *his legantur, vix eſt Lectorum unus, qui nunc doceri primum cupiat. Dudum conſtat, & re ipſa fecimus teſtatum, vehementer falli eos, qui, præter trita & vulgaria, nec in* Actis *ipſis commemorari ſatis digna, nihil hic inveniri, & ſibi & aliis perſuadent. Inſpice, ſi nos amas, Volumen hoc noſtrum, &, ut pleniſſime cognoſcas omnia, cum cura inſpice.* De *libris & forma ſplendidis, & argumenti dignitate ſelectis, & doctrina egregiis, ſi dictum a nobis ſæpius & copioſe neges, iniquitatis te accuſabimus. Habes, ſi inter exteros vivis, Germanæ induſtriæ præſtantiſſima ſpecimina, ſi te civem noſtrum dicis, peregrinæ muſæ nobiles ac formoſos partus, eosque magno numero collectos. Nec Obſervationes literarias, nunc primum editas, deſiderabis, uberrimam applaudendi noſtris ſtudiis materiam daturas. Si quid vero ſterilis avenæ obveniat opimam meſſem tritici legenti, ſortem hanc nobis cum Ephemeridum ſcriptoribus ad unum omnibus communem puta, &, ubicunque terrarum degas, in cives tuos, hoc ipſo nobis moleſtiſſimos, quod miſeris libellis ætati ſuæ maculam adſpergant, culpam hanc conjice. Sane, ſi ex noſtro res arbitrio ageretur, nihil inutilium chartarum aut lucem unquam adſpiceret, aut dehoneſtaret Annales noſtros. Nos, ſi illud egimus, ne ex laudatione noſtra quoddam ignaviæ ſuæ præſidium caperet ineptus & abjectus ſcriptor, ſi cavere Lectores bonos a turpiſſimis illis eruditionis portentis juſſimus, nec, quæ bona ſunt, literisque glorioſa, præ nugis illis & ineptiis negleximus, tum, quod eſt partium noſtrarum, fecimus. Id vere videmur affirmare poſſe, ſi quid ab* Actis *ipſis diverſi horum* Supplementa *habeant, hoc unum eſſe, quod illic nova tantum & vix librariorum familiæ, nedum eruditis, cognita, hic vetera, & fato quodam ſuo Lipſiam perlata ſerius, ſectemur. Nam, cum ſit ampliſſimum, quod omnes norunt, inſtitutum noſtrum, nec tam certæ cujusdam gentis, quam omnium locorum ac terrarum, libri judices nos poſcant, qui putes fieri poſſe, ut tantas copias librorum in illas*

Acto-

Actorum *anguſtias cogamus? Si quid igitur, exacto quovis anno, ſupereſſe nobis librorum intelligimus, unde non minorem, quam ex ceteris, tu exſpectare fructum poſſis, id, bono quodam &, ut libere dicamus, laudando conſilio,* Supplementis *his complectimur. Effecturi quippe hac ratione, ut præſentis Seculi literariam Hiſtoriam, quam fieri poſſit, habeas pleniſſimam, &, ſi noſtra legas, facile carere aliis aliorum Commentariis, noſtram æmulantibus magis, quam aſſequentibus, gloriam laudemque, poſſis. Sed, cum minime nos fugiat, plerumque hæc, quæ ſunt remota paululum a noſtro tempore, etſi bona ſint, & plauſu publico digniſſima, tamen ob id ipſum, quod novitatis fere gratiam amiſerint, faſtidioſe legi, fecimus & hac ex parte, quod ingenio lectorum conveniret, &, ne quidquam in nobis deſiderari jure poſſet, nova multa vetuſtioribus adjunximus. Jam, ſi de eo etiam quæratur, ſatisne hæc, quæ nos de pretio librorum, horumque argumentis, diximus, ad tuum, Lector, uſum ſint accommodata, an ſibi forſan plus in* Supplementis, *quam in menſtruis Annalibus, indulſerit ingenium ſcribentium, id quidem re ipſa malumus a te cognoſci, quam a nobis quidquam hic ambitioſius commemorari. Tantum, ut arbitrandi aliquam normam habeas, de eo dubitari a te nolumus, ejusdem plane officinæ utrumque, &* Actorum, *& hujus quaſi Appendicis, opus eſſe, atque ita hæc inter ſe cognatione jungi, ut, qui* Supplementis *male cupiat, ipſos is* Actorum *conditores capitales juratosque hoſtes habeat. Atqui, ſi hoc unum impetrare nobis liceat, ut memores nos ſemper tenacesque moris noſtri, & ab ea, quam ab initio amplexi ſumus, ſcribendi ratione avocari neſcios, exiſtimes, jam bene nobiſcum actum, &, quid ſentias de noſtro hoc labore, vel te tacente intelligimus. Quo, & amico ſatis, & nobis ſatis honorifico, judicio non ſolum nos vehementer delectamur, ſed majora etiam in poſterum conandi, & præclarius de te merendi, magna quadam & inſolita cupiditate inflammamur. Id tantum nobiſcum Superos precare, incolumes ſalvosque eos ſervent, quibus penſum hoc tractare, & in ſtatione hac, ſi fieri poſſit, conſeneſcere, ſuaviſſimum putatur, ne, quod ſalutare omnibus, & cum tuo maxime conjunctum commodo, agnoſcis, præmaturo quodam & acerbo fato interceptum nobile hoc inſtitutum doleas.*

* * *

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II Sectio I.

ORBIS SACER ET PROFANUS ILLUſtratus, Regiæ Celſitudini JOANNIS GASTONIS, Magni Etruriæ Ducis, dicatus. Pars I, in qua Diœceſeon, Provinciarum, & Metropoleon, tum Eccleſiaſticarum, tum Civilium, diſtributio ad normam veteris Notitiæ Imperii Romani explicatur. In reliquis ſingulæ mundi partes, Europa, Aſia, Africa, America, earumque Provinciæ, Metropoles, & Urbes, deſcribuntur. Opus eccleſiaſticæ & profanæ Hiſtoriæ, nec non Geographiæ, ſtudioſis apprime utile: Autore P. FRANCISCO ORLENDIO, Ordinis Prædicatorum Magiſtro, & in Univerſitate Piſana Theologicorum Dogmatum publico Profeſſore.

Florentiæ, typis Bernardi Paperini, 1728, fol. Alph. 8 plag. 22.

Molem operis ardui & perdifficilis elaboratu Pl. Rev. Autor provolvit, orbique terrarum univerſo, quem quippe percurrit & explanavit, ſpectandam probandamque propoſuit. *Primam* hic *Partem* in compendium mittimus. Reſtant e-

 nim

Digitized by Google

nim *duo Volumina Partis II*, annis 1731 & 1732 edita, quæ poſthæc delibandi dabitur occaſio. In Inſcriptione, ad Magnum Ducem directa, Sereniſſ. *Joannes Gaſto* prædicatur ab eruditione omnigena, & omnium Europæ linguarum notitia, inprimis a progenitorum gloria, quibus in acceptis ferendum, quod literæ ſacræ & profanæ refloruerint, & reformationem invexerint. Præfationem Autor orditur a diviſione orbis terrarum in ſacerdotium & imperium, ſeu, uti ajebat *Gelaſius* Papa, ſibi utique non nociturus, *in autoritatem ſacram Pontificum & Regalem poteſtatem.* Qui habitum religionis ad vitam civilem explorarunt, habent, quod in hac diviſione notent. Poſt Chriſti in cœlos adſcenſum adhuc *fidem reptaſſe in cunis*, hic traditur. Porro docetur, Chriſtum non Hieroſolymas, ſed ipſam Imperii arcem Romam, vicarii ſui ſedem, omniumque credentium matrem & magiſtram, allegiſſe, ut eadem eſſet ſacri Pontificatus apex, quæ & temporalis regni culmen. Seceſſus Avenionenſis num negligendus? Veteres, ut orbem eccleſiaſticum curatius noſſent, *Notitiam Imperii Romani*, quæ *Conſtantino M.* tribui ſolet, fundamenti loco poſuerunt, uti apparet ex Can. 2 Synodi œcumenicæ 2, ex *Socrate L. V Hiſt. Eccl. Cap. 8*, & *Theodoreti* Epiſtola ad *Flavinianum.* Hanc notitiam, ejusque ordinem, ſervavit Autor, & æque veterem eccleſiarum notitiam in tredecim Diœceſes diſtribuit, non præterita ſequentium temporum mutatione. Ratio inſtituti ita fuit adornata, ut præcedat Geographica ubique deſcriptio, ſuccedat Hiſtoria, & profana & ſacra, nec non dignitas eccleſiaſticorum virorum, inibi commorantium, adjiciatur. In reliquis Voluminibus eccleſiarum terrarumque hiſtoriam ſecundum quatuor orbis partes deſcripſit, ſiquidem *notitiam Imperii* diffuſa Chriſtiani nominis amplitudo multum excedit. Singulos Epiſcopatus ubique indicare haud licuit. Veterem Imperii Romani notitiam annotationibus illuſtrarunt *P. Jacobus Goar*, Ordinis Prædicatorum, & *Carolus a S. Paulo*, Abbas Fullienſis: ſpeciatim Italiæ notitiam D. *Ferdinandus Ughellus*, Abbas S. S. *Vincentii* & *Anaſtaſii* ad Aquas Salvias, Monachus Ciſtercienſis: Galliarum *P. Jacobus Sirmondus*, Societatis Jeſu, *Robertus*, & *Valeſius*: Hiſpaniæ *Mendez Silva*, *Pirrus*, *Miraus*, Germaniæ

niæ *Ferrarius*, & *Bucellinus*, ac inchoate *Hanſitius*: Britanniæ *Uſſerius*, *Harpsfeldt*, *Camdenus*, dederunt. Autor, quæ apud alios hinc inde erant diſperſa, in meliorem redegit ordinem, & multa ab aliis prætermiſſa adjecit, proſecutus regionum provinciarumque omnium deſcriptionem Geographicam, mores gentium, ritusque varios, Principes, & Magiſtratus, a quibus reguntur, quæque ad earundem pertinent religionem, inſtituta, & formam vivendi. Nec tamen idcirco ita ſibi adblanditur, quaſi, rem omnibus ſuis numeris abſolutam ſe perfeciſſe, arbitretur, paratus ſemper meliora diſcere, quoties vel etiam de minimis erudiatur. *Prima* Operis *Pars* in *ſex* abit *Libros*. In *primo* expenditur antiquitas metropoleon civilium & eccleſiaſticarum, variasque exhibet notitias Imperii præter illam *Conſtantinianam*. *Secundus* complectitur quinque Diœceſes, Præfecto Orientis, concreditas. *Tertius* duas continet Diœceſes Illyrici Orientalis, itemque alteram Diœceſin Illyrici Orientalis. *Quartus* duas alias Diœceſes, ſubjectas Præfecto Italiæ, comprehendit. *Quintus* percurrit tres Diœceſes, Præfecto Galliarum obnoxias. *Sextus* denique exponit ea, quæ ad Exarchos eccleſiarum Orientis & Occidentis, nec non ad quinque Patriarchas majores, atque illorum ſedes Patriarchales, ſpectant. Nuper D. *Benedictus Bacchinius*, Abbas Benedictinus, ante *Conſtantini M.* Imperium nullam in Aſia & Oriente civitatem Metropoleos jure fuiſſe donatam, contendit in Diſſ. *de Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Originibus Parte I Cap. 3*, provocans ad *Ariſtidæ* Orationem, *civitatibus Aſiaticis* inſcriptam, qui Aſiaticis id perſuadere voluit, ne deinceps de Primatu invicem contenderent. Autori a *Bacchinio* diſſidere placet. Refert ſeſe eapropter ad *Ulpianum*, qui Epheſum toti Aſiæ præpoſitam doceat *l. 4. ff. de Officio Proconſulis.* Exiſtimamus, principatum urbium Romanarum exſtitiſſe vel primum, vel ſecundarium. Quo ipſo, ni fallimur, ruit omnis illa diſceptatio. *Dio* in *Hadriano* Antiochiam *Syriæ metropolin* vocat. Conſentit *Spartianus*. Illuſtrat rem ipſam Cardinalis *Noriſius* in *Diſſert.* 3, 4, 5, *de Epochis Syro-Macedonum*. Metropoles aliæ erant ſic dictæ ob vetuſtatem originis, vel coloniarum inde deductiones: aliæ e- Pag. 5 ſeq.

rant Provinciarum capita, in quibus Præſides ſedem tenebant. Tres potiſſimæ Romani imperii erant metropoles, Roma Imperii, Alexandria Ægypti, Antiochia Orientis, caput. No-
Pag. 7 ſeq. bilitas præfecturæ a nobilitate urbium & provinciarum derivatur, adverſus *Bacchinium.* Proconſules a Procuratoribus differebant: illis Provinciarum rectio demandata; hi in exiguis provinciis Proprætores erant, vel potius tributa & vecti-
11 ſeq. galia percipiebant, eaque in ordinem redigebant. De Proconſulum origine, electione, & dignitate, afferuntur varia. Ampliſſima erat Ægypti Præfectura, & ſumma Præfecti Auguſtalis ibi autoritas. Ipſe enim Regis habebatur loco, legesque
13. condere poterat. Quare Patricii & Senatores Romani ab hac Præfectura excluſi. Metropolis Diœceſeos Ponti erat Cæſarea Cappadociæ, Thraciæ Heraclea, præſertim a *Severi* Imperatoris ætate, Palæſtinæ Hieroſolyma, quibus exciſis ſucceſſit Cæſarea Palæſtinæ: Bithyniæ Nicomedia, Achajæ Corinthus, Africæ Carthago, in Galliis Treviri, in Italia poſt *Auguſtum*, præter Romam, Aquileja & Mediolanum. An metropoleon eccleſiaſticarum inſtitutio & origo ad Apoſtolos ſit referenda,
18 ſeq. anceps eſt quæſtio, quam Tranſalpini affirmant, *Petrus de Marca* veluti cauſam ſuam perorare tentavit, & plerique, Pontifici Romano obnoxii, pro inexpugnabili habent. *Ellies du Pin de Antiqu. Eccl. Diſcipl. Diſſert. VI* maſcule propugnavit ſententiam negantem. Autor lacertos omni movet ſtudio, ut Doctoris quondam Sorbonici argumenta infringat, ratiocinans ex notionibus, ſequenti ætate receptis, & ex Epiſtolis decretalibus ſuppoſitis, nec non teſtimoniis recentiorum. Argumenta *Petri de Marca* omnino pleraque in ventum abeunt, ſi ad nervum rei attendamus. *Antiquam conſuetudinem* ſubeſſe,
24 ſeq. *Nicænæ Synodi Canone ſexto* comprobatur. Metropoles poſtea multiplicatæ, ſerius in Occidente, quam in Oriente. In partitione Diœceſeon Chriſtiani omnino imitati ſunt formam imperii civilis, ob commoditatem itinerum ac notitiarum invicem communicandarum, nec non ob ordinem faciliorem. *Benedicto Bacchinio* viſum eſt, Apoſtolos in diœceſibus aſſignandis potius formam Reipublicæ Judæorum ob oculos poſitam habuiſſe. Argumenta ejus hic examinantur. Si domicilia

prima,

prima, ubi Chriſtiani Judæis mixti res ſua habuerunt, conſide- Pag. 29
ramus, & ea vocamus metropoles, *Bacchinio* non poſſumus ſeq.
refragari. At poſtea ſecus res cecidit, ubi Chriſtiani a Judæis
ſeſe ſegregarunt, & latius doctrinam ſparſerunt. *Babylon* tem- 36 ſeq.
pore *Joſephi* notavit tractum inter Tigrim & Euphratem. A-
poſtolos afflatu Spiritus Sancti urbes in metropoles eccleſiaſti-
cas erexiſſe, quæ in politia Imperii Romani civiles erant me-
tropoles, Autor evincere contendit, delabens ad ſententiam 45 ſeq.
Gloſſatoris ad *Diſtinct. 80 Decreti Gratiani*, qui Metropolita-
rum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, ſchema locale
a *flaminibus ethnicorum* derivat. Exactior Provinciarum
forma ab *Auguſto* conſtituta, acceſſio facta ab *Hadriano*, im-
mutatio invecta a *Conſtantino Magno*. *Diœceſis* apud profa-
nos ſcriptores magnum terræ tractum, provinciis nonnullis 53 ſeq.
conſtantem, notat. In Conciliorum Actis a provincia diſtin- 55 ſeq.
guitur. *Cicero* jam *diœceſes* habet *Ep. ad Famil. Lib. III Ep.* 59 ſeq.
8, *Lib. XIII*, *Ep. 53*, *67*. Hoc ignoravit *Antonius Pagi* in
Critica Annalium *Baronii* ad *A. 37 num. 4*. Sequitur notitia
Imperii a *Conſtantino M.* usque ad *Arcadium* & *Honorium*.
Libro ſecundo exponuntur quinque Diœceſes ampliſſimæ, quas
Notitia *Conſtantini M.* tribuit Præfecto prætorio Orientis, 67 ſeq.
ſcilicet Oriens proprie dictus, Ægytus, Aſia minor, Pontus, & 69.
Thracia. Tyri urbis fata & aliarum explanantur docte. Da-
maſcus fuit metropolis Syriæ ſalutaris. *Valeſius* id honoris E-
meſæ ivit vindicatum. *Leo Sapiens* Edeſſam caput provinciæ 75.
ſtatuit. Carothea Syriæ videtur eſſe קִיר *Amoſi* I Jabruda
vero Petor, *Bileami* patria. Meſopotamiæ metropolis fuit A-
mida, *Ptolemæo* Ammæa. *Palma*, præfectus Syriæ, Arabiam
Petræam ſub *Trajano* redegit in poteſtatem populi Romani. 95.
Boſtra ibi metropolis erat eccleſiaſtica; Petra caput gentis
Nabathææ. De Cypro, Cilicia, Iſauria, Palæſtina, deinceps
tractatio procurrit. Limitem terræ promiſſæ borealem Au- 96.
tor ponit Euphratem. At alii per פְּרָת ibi intelligunt *Oron-
tem*. Taſpha fuit terminus borealis ætate *Salomonis*. Eam
Autor ad Euphratem quærit. Non dubitamus, intelligi O-
rontem, olim Thapſaci & Aſſii nomine appellatum. *Pompe-*

jus Judæam in provinciæ formam non redegit; ſed Judæos,
duntaxat tributarios effectos, legibus ſuis vivere permiſit. Itu-
ræam & Peræam nonnulli in unam eandemque terram com-
Pag. 101. pingunt. At Ituræa, Trachonitidi conjuncta, Arabiæ monti-
bus contermina, Peræam habuit ab auſtro obverſam. Omitti-
mus varias Palæſtinæ diviſiones, hic commemoratas. Azo-
tus fuit gemina, una maritima, altera mediterranea. *Bityle*,
ad Aſcalona ſita, revocat *Bethuliæ* mentionem. *Petra* quo-
que dicta fuit Rabbath-Ammon, ſeu Philadelphia. De Ægy-
pto, Libya, Cyrenaica, & ceteris ad mare urbibus Africæ, fuſe
108 ſeq. diſſeritur & erudite. *Athribim* maximam olim urbem ad
Delta fuiſſe oportet, cum in ſacris literis Ægyptus citerior vo-
cetur רדב. Ab Ægypto Autor reſumit curſum ad Aſiam
122 ſeq. minorem, exponens Aſiam Proconſularem, Pamphyliam pri-
mam ac ſecundam, Helleſpontum ſeu Dardaniam, Lydiam,
Piſidiam, Lycaoniam, Phrygiam, Lyciam, Cariam, & Cycla-
das. Succedunt Pontus, Cappadocia prima & ſecunda, Ga-
latia prima & ſalutaris, Bithynia, Paphlagonia, Armenia major
& minor. Notitiæ *Leonis Sapientis* & *Hieroclis* hic utram-
que faciunt paginam. In ſubſidium quoque vocantur *notitia
eccleſiarum tempore Cœleſtini III, ſcripta a Viro religioſo, &
Milone, ejus Abbate*, & alia *Notitia eccleſiarum urbis & orbis*,
ab Epiſcopo Catharenſi edita ante annos fere 370. Deflectit
165 ſeq. inde oratio ad Thraciam, Mœſiam, Scythiam Europæam, Bul-
gariam, & Moſcoviam. Ad ſpes irritas referendum id, quod
Autor prædicat *p. 177: nunc haud levis affulget ſpes, quin ſub
Moſchorum Imperatrice Catharina, feliciter regnante, tota
Ruſſia alba, ſeu Moſchovia, in unitatem ſe aliquando Catholi-
cam recipiat, in eaque perſeveret. Liber tertius* complectitur
179 ſeq. Diœceſes, quas Præfecto Prætorio Illyrici Orientalis tribuit
Notitia Imperii *Conſtantiniana*. Diviſio Illyrici in Orientale
& Occidentale a *Petro de Marca* tribuitur *Arcadio*. Videtur
autem profecta a *Theodoſio*, aut *Gratiano*. Hic de Epiro,
Dacia, Mœſia, Dardania, Pannonia, Dalmatia, Norico, cujus
olim metropolis Laureacum, de Fabiana, quæ non ſit Vienna,
de metropolibus Saxoniæ, de Suecia, cujus tres Epiſcopatus
quondam metropolitano Hamburgenſi erant obnoxii, de Po-
lonia,

lonia, ejusque metropoli Gneſna, proferuntur generaliora. *Libro quarto* exponuntur duæ peramplæ Diœceſes, Italia nimirum & Africa. In *Libro quinto* exhibentur Diœceſes per Galliam obviæ. *Libro ſexto* diſtributio provinciarum & metropoleon ſupra recenſita variis Conciliorum actis illuſtratur, Pag. 399 ſeq.
ac Exarchi Orientis & Occidentis, nec non quinque Patriarchæ majores, eorumque eccleſiæ & jura, explicantur. *Parti* 537 ſeq.
huic *primæ* ſubjectum apparet *Parergon*, *notitias aliquot eccleſiaſticas & civiles, diverſis temporibus editas, complectens*, Florentiæ A. 1728 editum. Emiſerant eas jam in lucem *Carolus a S. Paulo & Emanuel a Schelſtrate*, ex Codicibus MStis eru- 3.
tas, ſuisque Operibus eas inſeruerant. Adſperſæ ſunt paſſim hic notulæ. De *Hierocle Grammatico* nonnulla afferuntur. Suffigitur Index rerum accuratiſſimus, brevisque erratorum 65 ſeq.
ſumma. Utrum diligentia Autoris, an nitor & magnificentia Operis, majoribus mactanda ſint laudibus, ambiguum videri poteſt. Suſpicimus ac ſtupemus inexhauſtam unius venæ facultatem, unde tanta exierunt Opera, quorum *Partem ſecundam* propediem in compendium miſſam cum Lectore communicandam conſtituimus.

HISTOIRE GENERALE DES AUTEURS SAcrés & Eccleſiaſtiques, &c.

h. e.

HISTORIA GENERALIS AUTORUM Sacrorum & Eccleſiaſticorum, continens eorum vitas, catalogum, examen criticum, judicia, Chronologiam, analyſin, et recenſionem variarum editionum Operum eorundem, etc. Autore R. P. REMIGIO CEILLIER, *Benedictino.*

Tomus II.

Pariſiis, apud Phil. Nicol. Lottinum, 1730, 4 maj.

Alph. 4 plag. 12.

Operis præclariſſimi, cujus *Tomum primum* nuper in *Supplementis ad* hæc *Nova Acta Tom. I Sect XI pag. 481 ſeq.* laudavimus, ſequitur jam *Tomus ſecundus*, quo Capitibus XXXVIII

XXXVIII magnum numerum Scriptorum Eccleſiaſticorum, recenſet Autor, inque *Origene* deſinit. Agit autem *Cap. I* de *S. Juſtino*, cujus vitam enarrat, Operumque analyſin amplam & dilucidam exhibet. Quæ in Apologia prima, ſecundo loco in omnibus Operum *Juſtini* editionibus poni ſolita, de ſtatua Simoni Deo S. poſita Pater hic refert, his errorem nullum ſubeſſe, ſed revera talem ſtatuam *Simoni* Mago in inſula Tiberina poſitam fuiſſe, contra *Dupinium*, *Simonium*, & alios, pugnat. Apologiam ſecundam, quæ primo loco ponitur, paulo ante martyrium A. 167 ſcriptam ait. Opus de Monarchia Dei mutilum quidem, amiſſa quippe parte prima, ſed, quantum ejus reſtat, genuinum, ſtatuit. Ad Dialogum cum *Tryphone* delatus, hiſtoriam controverſiæ, quam *Gottlieb Kochius*, *Juſtino* eum abjudicans, A. 1700 movit, refutatus ab *Alb. Feldeno*, *E. S. Cypriano*, *Jo. Franc. Buddeo*, recenſet, & hunc quoque Dialogum *Juſtino* vindicat: uti & Epiſtolam ad *Diognetum*, quem non Judæum, uti *Nourrius* vult, ſed idolorum cultorem, fuiſſe ait. Epiſtolam autem ad *Zenam* & *Serenum Juſtini* eſſe negat. Denique etiam de operibus perditis & ſuppoſititiis, in quorum cenſum Ariſtotelicorum dogmatum everſionem refert, de doctrina, de cenſuris & editionibus ſcriptorum *Juſtini*, actisque martyrii, haud perfunctorie exponit. *Capite II* perbrevi de S. *Aberco*, Epiſcopo Hierapolitano, fide *Baronii*, refert, hunc aliquando poſſediſſe Epiſtolam ejus ad Imp. *M. Aurelium*, e Græco verſam, Annalibus autem ſuis, quod ejus jacturam fecerit, non inſeruiſſe. *Surium* ei, ſed nullo omnino teſte, tribuere librum pro Sacerdotibus & Diaconis eccleſiæ ſuæ. Hiſtoriam autem ejus, quam ille Actis ſuis SS. inſeruerit, plane inſulſam & fabuloſam eſſe. *Cap. III*, de *Melitone*, Epiſcopo Sardenſi, quem Prophetam & Apologetam vocat, ejusque ſcriptis deperditis, dum agit, inter ſuppoſititia refert librum de morte B. Virginis. *Cap. IV* de S. *Dionyſio*, Corinthiorum Epiſcopo, ejusque Epiſtolis deperditis; de S. *Philippo*, Epiſcopo Gortynenſi, ejusque opere deperdito contra *Marcionem*; nec non de S. *Pinyto*, Cnoſſi in Creta Epiſcopo, Epiſtola unica deperdita, breviter exponit. *Cap. V* de S. *Claudio Apollinari*, Apologeta, & Epiſcopo Hierapolitano, ejusque Apologia ad *M. Au-*

Digitized by

M. Aurelium, & aliis ſcriptis deperditis adverſus Paganos, Judæos, Montaniſtas, a *Photio* magnopere laudatis, agit. *Cap. VI* de *Bardeſane Syro*, primum orthodoxo, ſcriptisque orthodoxis claro, deinde peculiaris hæreſeos, e *Valentinianorum* deliriis concinnatæ, autore, ejusque filio, *Harmonio*, patris veſtigiis inſiſtente, pauca affert, & lectorem ad *Frid. Strunzii* Hiſtoriam Bardeſanis & Bardeſaniſtarum, Witebergæ A. 1710 editam, ablegat. *Cap. VII* de S. *Sotere* Papa, mortuo A. 176, ejusque Epiſtola deperdita ad S. *Dionyſium*, Corinthi Epiſcopum, pauca commemorat. *Cap. VIII* Epiſtolam Eccleſiæ Viennenſis & Lugdunenſis de Actis S. *Pothini*, Epiſcopi Lugdunenſis, S. *Attali*, S. *Blandinæ*, & aliorum Martyrum Lugdunenſium ad Eccleſias Aſiæ & Phrygiæ, pie ac diſerte, forte a S. *Irenæo*, ſcriptam, fuſius recenſet. *Cap. IX* Acta S. *Alexandri* & S. *Epipodi*, Martyrum Lugdunenſium, originalia quidem eſſe negat, ſed fide tamen digna cenſet, nec miracula, horum reliquiis tributa, tacet. *Cap. X* de Actis martyrii S. *Symphoriani*, quæ Sec. V conſcripta ſtatuit, & aliorum Martyrum Gallicorum Actis ſuppoſititiis, pauca delibat. *Cap. XI* de S. *Hegeſippo* agit, quem, ex Judæo Chriſtianum factum, quinque libros Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, præter fragmenta quædam, ab *Euſebio* ſervata, amiſſos, ſcripſiſſe ait. Libros autem de ruina Hieroſolymæ, ei adſcriptos, recentioris Autoris eſſe, qui tamen ante Sec. VII vixerit, *Mabillonio* aſſentitur. *Cap. XII* agit de *Theophilo Antiocheno*, ejusque tribus libris ad *Autolycum*, circa A. 181 ſcriptis, & inter Opera S. *Juſtini* edi ſolitis, quorum exhibet analyſin, & optimam editionem dicit A. 1684, Oxoniæ a *Fello* in 12 curatam. Commentarios, *Theophilo* huic adſcriptos, in IV Evangelia & Proverbia *Salomonis*, pro ſuppoſititiis habet. *Cap. XIII* de *Athenagora*, Philoſopho Athenienſi, ejusque Apologia, quæ & legatio pro Chriſtianis dicitur, item libro de reſurrectione mortuorum, juncta utriusque analyſi, exponit. De ſcripto ſuppoſititio Pariſiis A. 1599 & 1612 in 12 ſub nomine *Athenagoræ* edito, *de vero & falſo amore*, notat, fabulam Romanenſem eſſe, quam & *Huetius* prima editione libri ſui de origine fabularum Romanenſium, *Athenagoræ* tribui poſſe dixerit, ſequentibus autem editio-

ditionibus ſententiam mutarit. Denique editiones utriusque libri genuini accurate recenſet. *Cap. XIV* de *Tatiano*, Encratitarum anteſignano, *Juſtini* Martyris diſcipulo, ejusque Oratione ad Græcos, quæ e plurimis ejus ſcriptis unice reſtat, & *Juſtini* Operibus jungi ſolet, item de ejusdem Harmonia evangelica, *Diateſſaron* dicta, copioſe diſſerens, hanc ſupereſſe, negat, quæque in editione Lugdunenſi Bibliothecæ Patrum *Tatiano* tribuitur, alterius Autoris eſſe contendit. Inter editiones Orationis ad Græcos optimam pronuntiat Oxonienſem, A. 1700 a *Guil. Wortho* datam. *Cap. XV* de *Miltiade* Apologeta, S. *Apollinario*, Senatore Romano & Martyre, *Modeſto*, & *Rhodane*, defenſoribus Eccleſiæ contra hæreticos, quorum omnium ſcripta & apologiæ interciderunt, brevibus exponit. *Cap. XVI* de S. *Irenæo*, Epiſcopo Lugdunenſi & Martyre, copioſe agit, ejusque librorum V adverſus Hæreſes ampliſſimam dat recenſionem: doctrinamque ejus dum enarrat, haud omittit, quod ſtatuerit, recurrendum omnino eſſe ad traditionem, ſiquidem Scriptura Sacra non omnia comprehendat, & multis locis obſcura ſit. *Cap. XVII* de S. *Victore* Papa agens, eum primo pacificas Montaniſtis dediſſe, deinde autem, a *Praxea* meliora monitum, revocaſſe ait; quod eccleſias Aſiaticas, in celebrando Paſchate cum reliquis conſentire nolentes, communione eccleſiaſtica excluſerit, id plerisque diſplicuiſſe; horum autem ſaniora monita & conſilia ſecutum *Victorem*, Aſiaticis non amplius gravem fuiſſe. Quæ ei tribuuntur, Epiſtolas IV, quarum duæ compareant inter falſos Decretales, tanquam ſuppoſititias rejicit. Ceterum de martyrio *Victoris*, quod nonnulli aſſerunt, tacet, atque, A. 202 eum obiiſſe, ait. *Cap. XVIII* de *Theophilo* Cæſarienſi, *Palma* Amaſtridenſi, *Bacchylo* Corinthio, Epiſtolarum Synodalium deperditarum in controverſia paſchali contra Quartadecimanos autoribus; item de *Polycrate* Epheſio, Epiſtolæ pro Quartadecimanis, cujus fragmentum *Euſebius* conſervavit, autore, potiora refert. Acta autem martyrii S. *Timothei*, a *Sigeberto Polycrati* huic adſcripta, ſuppoſititia omnino cenſet. *Cap. XIX* de *Heraclito*, *Maximo*, *Candido*, *Apione*, *Sexto*, *Arabiano*, *Juda*, *Iſidoro* quodam, & *Hieronymo*, obſcuris, *Muſano*, & nonnullis aliis, *Euſebio*

Digitized by Google

Euſebio & *Hieronymo* memoratis, quorum ſcripta perierunt, agit. *Cap. XX* Acta Martyrum XII Scillitanorum, menſe Jul. A. 200 a *Saturnino*, Africæ Proconſule, capite plexorum, quæ a *Baronio* & *Ruinarto* martyrologiis ſuis, licet cum aliqua diſcrepantia, inſerta ſunt, inſpergit. *Cap. XXI* Acta martyrii S. *Perpetuæ* & *Felicitatis*, & ſociorum, Carthagine ſub *Severo* exſtinctorum, quæ optime a *Ruinarto* edita dicit, in epitoma repræſentat. *Cap. XXII* martyrium S. *Leonidæ*, patris *Origenis*, S. *Plutarchi*, S. *Potamoniæ*, & aliorum, in perſecutione ſub *Severo* Alexandriæ in Ægypto trucidatorum, breviter enarrat. *Cap. XXIII Minucii Felicis* Dialogum elegantiſſimum, qui *Octavius* inſcribitur, fuſius recenſet, editionesque enumerat. *Cap. XXIV* S. *Serapionis*, Epiſcoporum Antiochenorum octavi, & S. *Pantæni*, doctoris Alexandrini, ac deinde Indorum Apoſtoli, vitam & ſcripta deperdita refert. *Cap. XXV* de *Cajo*, Presbytero Romano, deinde Epiſcopo gentium, h. e. ad prædicandam in partibus infidelium fidem ordinato, & doctore eccleſiæ, ejusque diſputatione cum *Proclo* Montaniſta, cujus apud *Euſebium* exſtant fragmenta, aliisque ſcriptis, ei tributis, agit. *Cap. XXVI* S. *Clementis Alexandrini*, quem ultra A. C. 217 vitam haud produxiſſe ait, ſcriptorum peramplam dat analyſin, appoſitis paginis edit. Pariſ. 1641, librum Stromatum VIII, ipſo *Caveo* hac in re, uti & ſubinde in aliis, accuratior, argumentis non contemnendis ejus eſſe negat, atque compilationem plurium fragmentorum, e diverſis *Clementis* operibus congeſtorum, & in ſupplementum ipſius genuini libri VIII deperditi reliquis adjunctorum, credit. Librum autem, *Quis dives ſalvetur?* a *Caryophilo* & *Giſlerio* ſub nomine *Origenis* editum, *Clementi* vindicat. Ad libros Hypotypoſeon deperditos quod attinet, quorum fragmenta *Euſebius* exhibet, ex ipſo *Photio*, impias & blaſphemas ex iis ſententias acerrima cum cenſura recitante, manifeſtum eſſe ait, hunc in libros hosce ab hæreticis interpolatos incidiſſe. Commentarios in Epiſtolas S. *Petri* & S. *Joannis*, item fragmenta *Theodotiana*, excerpta e prophetiis, ſub *Clementis* nomine etiam Bibliothecis Patrum inſerta, neque ex editione *Potteriana* excluſa, *Clementi* plane abjudicat, & inter ſuppoſi-

titia rejicit; denique doctrinam ipſius per ſingula fere Theologiæ capita examinat. *Cap. XXVII* de *Hippolyto*, Epiſcopo, ſed incertum cujus eccleſiæ, martyre & doctore inſigni, agit, diſcipulum *Irenai* eum ſtatuit, Portuenſem in Arabia, & omnino in Oriente Epiſcopum, fuiſſe negat, ab *Hippolyto* illo, Presbytero Romano, cujus martyrium a *Prudentio* deſcriptum eſt, plane diſtinguit, Commentarios ejus in libros Vet. & Nov. Teſt. deperditos recenſet, libellorum & fragmentorum ſuperſtitum analyſin, & deperditorum enumerationem, addit, de cyclo ejus paſchali, ſcriptis ſuppoſititiis, ſententiis & doctrina, editionibus denique, ſparſim quædam exhibentibus, exponit, & *Fabricianam*, omnia complexam, laudat. *Capitis XXVIII*, copioſi & in Articulos XXI diſtincti, hanc ponit epigraphen: *Tertullianus, Presbyter & doctor eccleſiæ, deinde Montaniſta, denique Hæreſiarcha.* Præmiſſa hiſtoria vitæ, in qua, cum jam Presbyter eſſet, uxorem adhuc habuiſſe eum negat, Romæ autem Presbyterum fuiſſe, & circa A. 245 obiiſſe, aſſerit, ſingulis fere Articulis ſingulos ejus libros cum analyſi recenſet, in tempus, quo quilibet ſcriptus, inquirit, librum de anima inter eos, quos poſt lapſum, in annum fere 206 incidentem, ſcripſit, primum facit, poemata vero omnia, quæ ſub nomine ejus circumferuntur, ipſi abjudicat, denique, doctrina in quibus capitibus ſana & orthodoxa, in quibus perverſa & erronea ſit, diſquirit, & editiones recenſet. *Cap. XXIX* de *Aſterio Urbano*, Presbytero, autore trium librorum contra Montaniſtas, quorum fragmenta *Euſebius* ſervavit, inſerta hiſtoria *Montani*; tum & de *Apollonio*, qui itidem Montaniſtas ſcriptis impugnavit, deque *Gemino*, Presbytero Antiocheno, breviter agit. *Cap. XXX* de *Julio* Africano commemorat, qui Hiſtoriam ſub titulo τῶν μεςῶν XIV libris, & Chronographiam ſuccinctam ab O. C. ad A. C. 221 libris V compoſuit, quos *Euſebius* crebro allegat, & quorum fragmenta apud eum exſtant. *Cap. XXXI* de *Ammonio Sacca*, Philoſopho Chriſtiano, qui Alexandriæ docuit, & *Origenem Adamantium, Plotinum, Longinum*, alioſque viros clariſſimos, diſcipulos habuit, ejuſque Concordia IV Evangelicorum, quam *Tatiano* perperam adſcriptam ait, nec non libro deperdito, de conformitate Moſis & Chriſti, agit.

Cap.

Cap. XXXII de S. *Apollinia*, virgine Martyre, aliiſque Martyribus, Alexandriæ ſub *Philippo* ſub finem A. 248, aut initium 249, paſſis. *Cap. XXXIII*, de S. *Saturnino*, primo Epiſcopo Toloſano, ejusque martyrio A. 250 ſub *Decio*; *Cap. XXXIV* de S. *Pionio*, Presbytero eccleſiæ Smyrnenſis & Martyre; *Cap*, *XXXV* de confeſſione ſeu martyrio S. *Acacii*, Epiſcopi, & aliorum Martyrum; *Cap. XXXVI* de S. *Alexandro*, Epiſcopo Hieroſolymitano & Martyre, mortuo in carcere A. 251; *Cap. XXXVII* de S. *Cornelio* Papa, ejusque Epiſtolis & martyrio ſub *Decio* A. 242, agit. *Cap. XXXVIII* admodum fuſe de *Origene*, Presbytero & Confeſſore, exponit. *Artic. I* ejus vitam enarrat; *II* de Tetraplis, Hexaplis, Octaplis, quorum & ſpecimen inſerit, & Hiſtoriam *Ariſteæ* de LXX interpretibus confictam pronuntiat, deque Commentariis in libros V. T.; *III* de Commentariis in N. T. operoſe disquirit, eorumque epochas determinat; *IV* de reliquis ſcriptis *Origenis* eodem modo agit; ex Epiſtola ad *Jul. Africanum* de hiſtoria *Suſannæ* oſtendit, quod genuinam hanc, ipſumque Prophetam *Danielem* ejus autorem, ſtatuerit; librorum περὶ ἀρχῶν, qui non niſi ex verſione *Ruffini* reſtant, quam ille ipſi ſcripto originario æquiparat, libri de oratione, item de martyrio, Librorum VIII contra *Celſum*, analyſin exhibet, operaque deperdita commemorat; *V* doctrinam per præcipua Theologiæ capita, integris locis copioſe appoſitis, recenſet, inprimisque bene notat, quod divinitatem librorum Sapientiæ, *Siracidis*, & reliquorum apocryphorum, etiam quarti Libri *Esdræ*, agnoverit *Origenes*; *VI* judicium de ſcriptis ejus adjungit, ad excuſandum eum, quam ad accuſandum, pronior, ex eo inprimis capite, quod problematice opiniones ſuas paradoxas propoſuerit, & judicio Eccleſiæ ſubmiſerit. Denique & editiones Operum recenſet. In calce hic etiam *Tomus* Indicem habet copioſum.

Evangeliſches Licht und Recht, ꝛc.
h. e.
LUX ET JUS EVANGELICUM, SEU JUſta Exegeſis quatuor Evangeliſtarum & Actorum Apoſtolico-

ſtolicorum, in qua Evangelica doctrina de Jeſu Chriſto, Servatore mundi, ſecundum ejus perſonam, et mediatoris munus, in ſtatu exinanitionis et exaltationis, ita exponitur, ut vaticinia et typi Vet. Teſtamenti pleniſſime conſummati repræſententur. Autore D. JOACHIMO LANGIO, S. Theol. in Academia Fridericiana Prof. Publ.

Halæ & Lipſiæ, ſumtibus Autoris, 1735, fol. Alph. 16.

Venerandi Autoris ἔργον literarium non eſſe in controverſiis, quas tractavit, ſed in exegeſi ſacra, hoc ipſum eſt, quod huc usque abunde demonſtravit, & de quo ipſi ac ſibi gratulantur, quotquot Hermenevticæ ſacræ ſtudio & amore ducuntur. Etenim poſt *Commentarium* Latinum, quem in Epiſtolas *Petrinas* & *Joanneas* jam ante annos complures edidit, ſuperiori anno in majori forma recuſum, Vir laborioſiſſimus huc usque totus fuit in Commentationibus Biblicis, a nobis jam ex parte recenſitis, emphatico titulo τῶν *Urim & Thummim, Lichts und Rechts*, inſcriptis. Unde poſt Volumen *Apoſtolicum* in Epiſtolas Novi Fœderis, nec non *Moſaicum* & *Hiſtoricum* in Pentateuchum *Moſis* & libros V. T. hiſtoricos, nunc prodiit *Evangelicum* in IV Evangeliſtas & Acta Apoſtolorum. Id quod ultimo loco quidem erat reſervatum, & tum demum addendum, ſi poſt abſolutos, qui in V. T. libros difficiliores reſtant, labores vita ſuperfutura eſſet: at privatis literis a Sereniſſimo Rege ſuo gratioſiſſime monitus, dilatum hunc laborem inter reſiduos ſivit eſſe primum.

In quo quid præſtiterit Vir ſubſidiis hermenevticis ſatis inſtructus, &, quod præcipuum eſt, diuturno exercitationum exegeticarum uſu politus, ex iis, quæ jam dudum perfecit, facile poteſt colligi. Sibi enim conſtat in omnibus, h. e. ſcribit ſolide ſatis, diſtincte, perſpicue, & pie. Solide, prout, ſecundum leges hermenevticas, præter ſenſum literalem etiam emphaſiologia fontis Græci & Hebræi requirit: diſtincte, ita, ut ſingula textus membra eo tractet ordine, quem non grammatica

tica verborum, ſed logica rerum, ac in iis momentorum, ſtructura, nativa ſerie ſubminiſtrat: perſpicue, ut legenti ſenſus ſine ulla inveſtigationis mora in ſermone nativo cultoque ſtatim ſit obvius: nec non pie, dum ad Chriſtianiſmi praxin refert omnia, lectores ſuos non ſine ædificatione dimittens. Quod vero ipſi eſt ſingulare, meditationi jam dudum ita eſt aſſuetus, ut, librorum exegeticorum, quos Bibliotheca ipſius privata copioſius exhibet, apparatu poſthabito, propemodum omnia inde depromat, non exiguo temporis compendio ſic accepto. Et hac ratione ſenſum textus genuinum ita explanat, ut, pro aliunde *conquiſita* ſententiarum farragine, ipſum iis illuſtret obſervationibus ac monitis, quæ, cum aliorum laboribus collata, recte nova, &, ad fontes relata, inſita, dixeris.

Ut vero de præſenti Volumine Lectores noſtri paucis inſtruantur, indicamus, ordinem tractationis harmonicum, præcipue *Sandhagenianum*, in Evangeliſtis eſſe quidem ſervatum; at tantum partim in Tabula generaliori præmiſſa, partim in remiſſione ex uno Evangeliſta in reliquos, præter hiſtoriam perpeſſionum ac mortis, nec non reſurrectionis Chriſti, quæ harmonice & e ſingulis conjunctim exarata eſt. Operi ipſi præfixa eſt Diſſertatio de loco *Gen. XLIX, 10*, qua quam ſolidiſſime evincitur, ſceptrum a Juda non, niſi demum urbis ac templi excidio, a gente Judaica fuiſſe ablatum & Synedrium judicii capitalis jura eo usque haud imminuta retinuiſſe, ſubjuncto uſu hujus ſententiæ antijudaico. Cum Autor Venerandus Evangeliſtas ſingulos κατὰ πόδα interpretetur; in *Matthæo* ea, quæ ſequuntur, curatius tractavit: *Cap.* V exordium concionis Chriſti montanæ, ſingulorum μακαρισμῶν emphaſi evoluta; *Cap.* XVI locum de Chriſto, tanquam eccleſiæ petra, & de clave ligante & ſolvente, *Petro* commiſſa; *Cap. XXII* de argumento, quod Servator optimus de reſurrectione a verbis fœderalibus: *Ego ſum Deus Abrahami, Iſaaci, & Jacobi*, deſumſit, erudite & luculenter demonſtratur, iſtud habere vim probandi, non demum per conſequentiam, ſed in ipſa etiam forma ſua recte conſiderata. Et, cum ſermones Chriſti ultimi, de rebus noviſſimis habiti, ſummi

ſint

Digitized by Google

ſint momenti, & ex parte ſenſus difficilioris, *Capita* XXIV & XXV ita illuſtrantur, ut non dubitemus aſſerere, Lectorem etiam hic non ſine prono aſſenſu eſſe inventurum, quæ in aliis Commentariis fruſtra quæſiverit.

In *Marco* paraphraſtica tractatione in plerisque defunctus, lectores ſuos ad *Matthæum* παραλλήλως remittit. Et, cum Volumen duobus conſtet *Tomis*, priori ſubjunxit *Joannem*, utroque *Lucæ* libro ad poſteriorem relato. In *Joanne* ita verſatus eſt, ut loca difficiliora, phraſesque abſtruſiores, quibus hic Evangeliſta refertus eſt, curatiori ſtudio enodet explanetque, dogmate religionis Chriſtianæ primario de perſona & officio Chriſti egregie illuſtrato, & locis, quæ Chriſtianæ vitæ praxin urgent, hunc in finem ex inſtituto tractatis. Et, cum in difficiliorum numero primum habeant locum ea, quæ gratiæ particularis aſſertores gratiæ univerſalis ſyſtemati opponunt, iſtorum vindicias non infelici opera Cl. Autor ſuſcepit.

In libro *Lucæ* utroque quomodo verſatus ſit, e data priorum recenſione jam poteſt conſtare. *Lucæ* Evangelio ſubjunxit tractationem hiſtoriæ de perpeſſionibus ac reſurrectione Chriſti harmonicam, in qua Lector doctrinam de ſacra cœna & de baptiſmo ſingulari induſtria explanatam deprehendet. Expectationi etiam reſpondebit egregia Iſagoge, quæ hiſtoriæ iſti eſt præmiſſa, & ita comparata, ut doctrinam de morte Chriſti piaculari, ex analogia fœderis *Moſaici* illuſtratam, rationis humanæ imbecillitati ac ſcepticæ fluctuationi opponat. Et, cum in Evangeliſtis occurrant pericopæ tractationis anniverſariæ, ſeu homileticæ, evangelii præcones hic invenient materias meditationi ſuæ excitandæ augendæque ampliſſimas. *Apoſtolorum* etiam *Acta* ita explanata ſunt, ut in iis brevitas cum ſufficientis tractationis ἀκριβείᾳ certet.

Reſtant nunc Autori labores in libros V. T. reſiduos ac difficiliores, nimirum *Davidis*, *Salomonis*, & *Prophetarum*, quos ut continuare ac pari felicitate abſolvere poſſit, ipſi longiorem vitæ uſuram ex animo apprecamur; inprimis cum genero ſuo cariſſimo, *Rambachio*, at quanto Theologo! quem ſibi continuatorem propoſuerat, per obitum præmaturum ſit orbatus.

SAN-

Digitized by Google

SANCTORUM PROSPERI AQUITANI & HONORATI MASSILIENSIS Opera, Notis Obſervationibusque illuſtrata a D. JOANNE SALINAS, Neapolitano, Canonico Regulari Lateranenſi, ac S. Theol. Lectore, ad Sanctiſſimum Patrem CLEMENTEM XII, Pontificem Max.

Romæ, ex typographia Antonii de Rubeis, 1732, 8.
Alph. 1.

A*uguſtinus Lib. I contra Cæleſtinum Cap.* 47, Operum *Tom. V fol.* 737 *edit. Froben. Quæſtio*, inquit, *quando de arbitrio voluntatis & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut, ubi defenditur liberum arbitrium, gratia Dei negari videatur, quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri, ut, ſicubi contrariis occurrendum eſt morbis, ſic etiam in diverſitate opinionum non aperta difficilis ad veritatis portum eſt via.* Quæ cum ita ſint, non miramur, in utramque diſputari partem poſſe, utrum *Vicentius Lirinenſis, Hilarius Arelatenſis*, & *Honoratus Maſſilienſis*, inter Semipelagianos, qui, liberum arbitrium defendendo, Dei gratiam extenuant, ſint referendi. Cl. *Salinas* propugnat, triumviros hoſce, veteris eccleſiæ lumina, perperam Semipelagianis annumerari. Atque eam in rem jam ante aliquod tempus *Vincentii Lirinenſis* atque *Hilarii* huc facientes Commentationes recudi curavit. In hoc Volumine, quod præ manibus habemus aliquot ſcripta præcipuæ dignationis recenſet, e quibus de orthodoxorum de gratia Dei ſententia judicium ferri poteſt. In tertio, quod meditatur, Volumine, ſingulari Diſſertatione cauſam *Vincentii, Hilarii*, atque *Honorati*, ex inſtituto aget, atque declarabit, eos re vera ab orthodoxis doctoribus non diſſentire, una, quas de Lirinenſi cœnobio non in Gallia ſolum, ſed in univerſo orbe celeberrimo, felici ſolertia collegit, obſervationes expoſiturus.

Cum alterum Volumen nobis jam ſcribendi præbeat materiam, annotamus, in eodem, principe loco, reperiri veterum de *S. Proſpero Aquitano*, & Operibus ejus, teſtimonia. Tum *Proſperi* vita, ex Operibus ipſius & Scriptorum Eccleſiaſticorum libris concinnata, ſequitur. Repetita eadem eſt ex noviſſima Operum *Proſperi* editione, quæ Pariſiis A. prodiit 1711; obſervationibus autem ſuis illam Cl. *Salinas* auxit. In quibus ægre fert, quod Autor hujus vitæ, cujus nomen ignoratur, *Dupinium* laudibus efferat, quem tamen *Clemens XI* virum nequioris do-

Pag. 55. ctrinæ pronuntiarit. Illud etiam Cl. *Salinam* offendit, quod *Cap. VIII* vitæ legatur, *niſi gratia intus in animis operetur vanum & irritum eſſe, quicquid præſidii atque luminis aliunde advenerit.* Neque enim vanum atque irritum eſſe exiſtimat, quod extrinſecus adhibetur, atque exterius mentis noſtræ fores pulſat. Id quod apparet in Tiriis & Sidoniis, qui ſinceram acturi fuiſſent pœnitentiam, ſi externa Chriſti ſigna illis fuiſſent adhibita. Sequentem igitur addit limitationem: niſi cum ſignis externis adſit interior gratia, illa per ſe ſola ad actum non ſufficiunt, quia, ut *S. Proſper* egregie canit *Cap. XIV de Ingratis*: gratia eſt, quæ

– – – – – ſemen fidei affigere menti,
Eque ſinu cordis validum jubet edere germen.
Hac maturandam ſegetem ſervatque fovetque,
Ne lolium & tribuli & vanæ dominentur avenæ,
Ne ventus frangat, torrens trahat, æſtus adurat:
Nec, cum ſe nimium læta & præfortis in altum
Extulerit, turpi procumbat ſtrata ruina.

Proſperi vitam ſynopſis chronologica ejus operum & geſtorum excipit. Poſtea *S. Proſperi* Aquitani & *Hilarii* de reliquiis Pelagianæ hæreſeos in Gallia ſuboleſcentibus ad *Auguſtinum* Epiſtolas exhibet. Sequitur in iis recenſendis editionem *Proſperi* Operum Pariſienſem, quæ A. 1711 lucem adſpexit. Addidit autem variantes quaſdam lectiones, e Codicibus nonnullis Vaticanis depromtas. Utraque Epiſtola A. 429 ſcripta eſſe videtur. Sed alterius Epiſtolæ Autor, *Hilarius*, non eſt ille

ex

ex Lirinenſi monacho Arelatenſis Præſul, ſed laicus quidam eruditus hujus nominis. N. 9 enim hujus Epiſtolæ, *Sunt ex parte*, inquit, *tales perſonæ ſemipelagiani, ut his conſuetudine eccleſiaſtica laicos ſummam reverentiam neceſſe ſit exhibere. Quod quidem ita curavimus Deo juvante, vt, cum opus ſit, non taceremus. S. Proſper* etiam in Epiſtola ſua ad *Auguſtinum* profitetur, ſe ignorare, utrum *Hilarius Arelatenſis* Epiſtolam *Auguſtino* daturus eſſet, cum tamen *Hilarius*, Autor Epiſtolæ, de qua verba facimus, *Proſperum* ipſum ad ſcribendum impulerit, ut una cum ſuis literis ad *Auguſtinum* mitteretur. S. *Proſperi* doctrinæ *Auguſtini*, propugnatorum principis, *περὶ ἀχαρίστων*, i. e. de Ingratis, Carmen, poſt *Hilarii* ad Auguſtinum Epiſtolam reperias. S. *Proſper* ingratorum nomine Maſſilienſes vel Semipelagianos intelligit, quia ipſi gratiam Dei negare videbantur. Iterum Cl. *Salinas* edit. Operum *Proſperi* Pariſienſem A. 1711 exempli loco ſibi propoſuit. Cum enim MSta hujus Carminis alicujus autoritatis non reperiantur, accuratius exemplum invenire non potuit. Non omnes autem Annotationes criticas atque grammaticas adjecit, quæ in Pariſienſi editione exſtant. Eas tantum, ſelectu inſtituto, exhibet, quæ ad textus rectam intelligentiam aliquid conferunt.

Denique in hoc Volumine *Hilarii*, Arelatenſis Epiſcopi, vita, Autore S. *Honorato*, Maſſilienſi Epiſcopo, extat. A nonnullis hæc ipſa vita *Gennadio* tribuitur. Sed S. Rev. *Salomo Erneſtus Cyprianus*, ſolidis argumentis ductus, eam *Gennadio* abjudicat. Cl. *Salinas* ad Cel. *Cyprianum* provocat, ejusque ſententiæ ſubſcribit, quam novis argumentis firmat. Pag. 241. Exſtat enim in Bibliotheca Archiepiſcopali Lucæ vetuſtiſſimus Codex, in quo comparet *Gennadii* Catalogus, ad *Commodatianum* usque perductus, & ſine vita Præſulis Maſſilienſis. In Indice vero hæc leguntur: *Iſte Codex eſt omnium antiquior Bibliothecæ, ſcriptus charactere annorum 900 vel 1000.* Abeſt etiam ea vita a Codice 100 S. Crucis in Jeruſalem, cum deſinat Catalogus in *Joanne Antiocheno*, poſt quem hi verſus ad Præſulem quendam reperiuntur:

Digitized by Google

Accipe quæſitum, Præſul ſanctiſſime, librum
De numero Patrum, lectis de Patribus, actum,
Quo tibi, ſumme, datam noſtri famulaminis arrham
Et tu ſervorum noſtri memor eſto tuorum.

Vix autem credi poteſt, omiſſam in Codicibus fuiſſe *Hilarii*, Arelatenſis Epiſcopi, vitam, quodſi eam pro genuino *Gennadii* fœtu Scriptores agnoviſſent.

MEMOIRES DU DUC DE VILLARS, PAIR de France, &c.

h. e.

MEMORIÆ DUCIS DE VILLARS, PARIS Franciæ, ſummi exercituum præfecti Regis Chriſtianiſſimi.

Hagæ Comitum, apud Petrum Goſſe, 1734, 12.
Plag. 19.

Quanquam Commentarii hi vitæ rerumque geſtarum *Villarſii*, bellici ducis Gallorum celeberrimi, cujus virtutem, longo in tot bellis, quibus per omnem prope vitam interfuit, uſu confirmatam, hoc ipſo, quo Italia una cum Germania exarſit, bello admirari poſtrema vice licuit, non niſi ad annum poſtremum Seculi XVII pertingunt, neque adeo eorum, qui, quam ille vel ſuperiori bello, de hæreditate Hiſpanica oborto, vel præſenti, ex turbis Polonicis nato, perſonam geſſerit, ſcire avent, deſiderio ſatisfaciunt; habent tamen nihilominus non una, quibus Lectores teneri poſſint, ac vel ideo probabuntur, quod non aliena a vero, & ingenio moribusque *Villarſii* conſona, tradunt. *Villarſiorum* gens, qua natus eſt Noſter, antiquitate generis nulli in Gallia cedit, & Seculo jam decimo quarto floruit, tulitque heroes toga pariter ac ſago illuſtres, &, ne de Epiſcopis dicamus, quinque ſe Archiepiſcopis, qui Viennenſem diœceſin rexerant, jactat. Parente Noſter uſus eſt *Petro Villarſio*, Viro legationum, quas in Hiſpania, Pedemontio, & Dania, obiit, quam militaris rei, laude clariori.

Prima

Prima pueritiæ rudimenta poſuit inter nobiles pueros magni ſtabuli (*Pages a la grande Ecurie*), quos *Ludovicus XIV* primus inſtituit. Poſtea militiam ſecutus, cum Rex Gallorum anno ſuperioris Seculi ſeptuageſimo altero Batavos bello perſequeretur, latus ejus ſtipavit, reque ſtrenue geſta, in turma equitum levis armaturæ Burgundica Signiferi locum obtinuit. Miſſus inde in Hiſpaniam, ut Regi, qui ex morbo variolarum convaluerat, *Ludovici XIV* nomine extra ordinem gratularetur, (ordinarii enim Legati munere parens Noſtri eo tempore fungebatur,) legatione peracta ad exercitum rediit, &, ut nullam, qua ad ampliores in re militari honores viam munire ſibi poſſet, occaſionem temere prætermiſit, ita & Chiliarchæ munia, ſibi mandata, ſingulari virtute & induſtria ornavit. Anno Seculi præterlapſi octogeſimo tertio regio juſſu Viennam Auſtriæ petiit, ut *Leopoldum* Imperatorem, matris obitum lugentem, Regis nomine ſolaretur; qua occaſione tranſiit in Hungariam, ac rebus adverſus Turcas geſtis interfuit, tantaque ſolertia in rationem belli gerendi, qua Turcæ utuntur, inquiſivit, ut Commentarios ea de re ſingulares reliquerit. Anno octogeſimo quinto cum Electore Bavariæ, relicta Vienna Auſtriæ, Monachium petiit, apud eundem ablegati extra ordinem partes geſturus, unde biennio poſt, Electore in Hungariam ad bellum Turcicum profecto, Lutetiam Pariſiorum rediit. Exacto annuo ſpatio Oratoris denuo Regii apud Electorem eundem munere fungi cœpit, ſed, cum parum ei ſuccederet, quem in alienando ab Imperatoris partibus animo ejusdem, & Galliæ Regi penitus devinciendo, ponebat, labor, redux in Galliam a Rege amandatus eſt in Flandriam, ut equitatui ſummo loco præeſſet. Ab anno inde nonageſimo Caſtrenſis Ducis (*Marechal de Camp*) auctus dignitate, ſub *Bouflerii* & *Luxenburgii* auſpiciis in Belgio, ut & poſtea in Germania ſub *Lorgio*, meruit, præmiumque militaris gloriæ præfecturam Friburgenſis urbis agrique Brisgovienſis tulit. *Catinato* quoque, in Italia rem gerenti, ad tempus affuit, ut & in Germania *Choiſeulio*, ſub quo militanti cum enitendi ad ſumma occaſionem ei pax Rysvicenſis ſubtraxiſſet, Viennam Auſtriæ miſſus, aliquot an-

norum legationem ibi, propter turbas, quas appropinquans mors *Caroli II*, Regis Hiſpanorum, & perventura ad novum dominum poſſeſſio Monarchiæ Hiſpanicæ, longe plurimum negotii faceſſentem, non ſine prudentiæ ſingularis apud ſuos laude obiit. Narratio hujus legationis inprimis ad ſe Lectorum animos convertet: multa enim, ubivis non obvia, nec vulgo nota, quæ ad originem, & cauſas, rationemque belli ſuperioris, cum Gallis de hæreditate Hiſpanica geſti, penitius cognoſcendam faciunt, complectitur.

LA VITA DELL' INFANTA D'AUSTRIA, Suor Margherita della Croce, &c.

h. e.

VITA PRINCIPIS AUSTRIACÆ, SORORIS MARGARITÆ DE CRUCE, Monialis diſcalceatæ Sanctæ Claræ Sacri Ordinis Seraphici, ſcripta a Patre LONGARO IGNATO DE ODDIS, Societatis Jeſu, et Excellentiſſimæ Dominæ HIPPOLYTÆ LVDOVISIÆ BUONCAMPAGNI, Principi Plumbini, dedicata.

Romæ, e typographia Antonii de Roſſi, 1733, 4.
Plag. $19\frac{1}{2}$.

Quam, lingua ſcriptam Hiſpanica, vitam *Margaritæ* Auſtriacæ, vulgo *Margaritæ de Cruce* dictæ, *Maximiliani II* & *Mariæ* filiæ, Ordini Monialium diſcalceatarum Sanctæ *Claræ* adſcriptæ, edidit *Joannes de Palma*, ei quondam a Confeſſionibus ſacris, Italico idiomate hic, ſed in compendio, exhibet Rev. Pater *Longarus Ignatius de Oddis*, Societatis Jeſu Sacerdos. In prævia admonitione docet, tanto ſecurius hunc ſe ducem ſecutum, quod *Joannes* ille *de Palma*, ex muneris ſui ratione, quæ ad vitam *Margeritæ* hujus propius cognoſcendam requiri poſſint, penitius perſpecta omnia cognitaque habuiſſe videatur: nonnulla minus credibilia viſum iri, & ab ætate

tate ejus tenera aliena, ſed ea gratiæ divinæ, naturæ legibus non adſtringendæ, deberi: quæ ille fuſius enarravit, brevibus complexum, paucis multa dixiſſe, vitatis ſententiis & digreſſionibus ſupervacuis, cum ipſum Sanctæ hujus Virginis exemplum uberiorem proficiendi occaſionem ſuppeditet; dediſſe ſe operam, ut argumenti gravitati reſponderet ſtili ratio, nec tamen unctio ſpiritus, quam actiones heroicæ Sanctorum requirant, deſiderari poſſit: decretis autem *Urbani VIII* & Inquiſitionis ſtantem ſe, non aliam narrationi ſuæ fidem depoſcere, quam humanam, & cuncta judicio ſedis Apoſtolicæ ſubmittere. Tractatio tota *viginti tribus* conſtat *Capitibus*, quorum ne ſummam quidem attingimus, quod non alia fere complectuntur, quam quæ ſponte quilibet rerum uſu peritus non hariolari, ſed velut manibus palpare, poſſit, narranda fuiſſe ſcriptori vitæ illuſtris Virginis locum inter Sanctos, quos diebus feſtis Romana Eccleſia colit, locum ſuo tempore conſecuturæ, & jam dudum, ſi fides Autori noſtro, decimo nempe ab obitu ipſius die, a duobus hominibus gratiæ luce extra ordinem colluſtratis (*due Perſone illuminatiſſime*) inter eosdem cœleſti gloria radiare viſæ.

DESCRIPTION DE L'ISLE DE SICILE, &c.

h. e.

DESCRIPTIO INSULÆ SICILIÆ, AC orarum ejus maritimarum, una cum Ichnographiis omnium ejusdem fortalitiorum, Autore PETRO DEL CALLEJO Y ANGULO. Accedit Relatio de ſtatu Siciliæ politico ad Regem VICTOREM AMADEUM, per Baronem AGATIN A PARY.

Amſtelodami, apud J. Wetſtein & G. Smith, 1734, 8 maj.
Plag. 6, cum Tabb. æn. 5.

Non adeo copioſa, ſatis tamen luculenta, hæc eſt Siciliæ deſcriptio. Statim ab initio Siciliæ chorographia traditur, in qua Pag. 1.

qua notari meretur incolarum numerus, poſt cenſum initum in tribus Siciliæ Provinciis inventus; nimirum

Pag. 3. in Provincia Val di Demona 300242.
in Provincia Val de Noto 249885.
in Provincia Val de Mazara 323607.

873734.

4. Monti Ætnæ (*Mongibello*) circuitus ſeptuaginta milliarium aſſignatur, obſervando, quod iſte mons verſus orientem vitibus, verſus ſeptentrionem vero ſylvis & ferarum tesquis, ſit
5. 6. obſitus Plurima deia criteria fertilitatis ſoli, feracitatis mine-
7. 8. rarum, arborum, &c. adduntur. Panormus (*Palermo*), Inſulæ Metropolis, ac hodie Regia Proregum, in circuitu quatuor milliaria complectitur, in caſtelli vero munimentis multæ obſervantur ab Autore imperfectiones, conſiliumque ſuppeditatur exſtruendi caſtelli plane novi, portusque adhuc fortius
12. muniendi. Pari ratione urbs Mylæ (*Melazzo*) deſcribitur, &
16. 22. 24. ejusdem munimenta dijudicantur, nec non urbes Meſſina, Ca-
28. 36. tanea, Auguſta, Syracuſæ, ſeu Saragoſa, Drepanum (*Trapano*) ſingulæ cum adjacentibus oppidis & arcibus, luſtrantur. Quarum urbium & oppidorum deſcriptiones cum ſint breviores, mereque, una cum tot fortalitiorum urbiumque Siciliæ ichnographiis, ad Architecturam ſpectent militarem, nunc a nobis ſeponuntur. Altioris vero indaginis momentique majoris eſt
39. Relatio illa de ſtatu politico Regni Siciliæ, quam Baro *Agàtin de Pari*, Sereniſſ. quondam Regi *Victori Amadeo*, Sardiniæ
43. Regi, & Sabaudiæ Duci, obtulit. Hujus *Caput I* agit de Siciliæ regione, imperio, & genio nationis. Monarchicum Siciliæ imperium adeo eſt eminens, ut Rex Siculorum ipſa poteſtate ſumma gaudeat in Eccleſiaſticis, quam per quendam judicem exercet, cui adjuncti ſunt Advocatus & Pro-
44. curator Fiſcalis. Ita pariter denominatio candidatorum ad beneficia Eccleſiaſtica, v. c. Archiepiſcopatus, Abbatias, &c. ad Regem ſolum ſpectat. Pecularis eſt Autoris obſervatio, quam de Academia Catanenſi in Sicilia ſuppeditat. Nimirum aſſerit, Siculorum ingenium eſſe docile, come, ſubtile, ſublime, & natura ad res optimas aptum, idque probari per ingenia, quæ

quæ Catanenſis Academia quondam protulit, quo nomine & ipſi Romani hanc Academiam in oculis ſemper tulerint. Hiſpani vero, (ita pergit Autor,) rerum in Sicilia potiti, ex æmulatione impediverunt, quo minus Siculi ulterius inſtituerentur & progrederentur, quam Hiſpani; quapropter ipſi Proreges quosdam Mathematicos male multarunt, cum quosdam Siculos Mathemata docuiſſent, imo leges Academiæ Catanenſis adeo corruperunt, ut idiotæ crearentur Doctores, ut Nobiles Siculi a regimine militari excluderentur, adeoque ſinguli torpeſcerent ignorantia hæreditaria, neque ſolis opibus fortunæ, ſed & ingenii virtutisque, privarentur. *Cap. II* agit de urbibus Siciliæ, & earundem politia. Obſervatur, Panormi habitare incolas 200000, Meſſinæ 60000, Catanæ 16000, Syracuſis 14000, Trepani 16000, Nicoſiæ 24000, Piazzæ 18000, totidemque Mazaræ Coltagironnæ. Regimen politicum in civitatibus eſt apud Senatores, quos cives eligunt; verum Proreges, ut turbas ac ſeditiones in electione magiſtratuum tanto declinarent facilius, jus eligendi Senatores ad ſe traxerunt, pagorum autem regimen apud ipſorum *Dynaſtas* conſiſtit. *Cap. III* de Parliamento & Legibus Siciliæ, de Reditibus, &c. commentatur. *Rogerius*, primus poſt Saracenos Siciliæ Rex, Inſulam diviſit in tres partes æquales, quarum primam, ejusdemque reditus, reſervavit ſibi ad ſplendorem regiæ majeſtatis tuendum, alteram permiſit Clero tanquam feudum; tertiam militibus, jure pariter feudali. Sub Rege *Petro* Arragone ſtatus Siciliæ ac Parliamentum ſumma gaudebant libertate, aliisque privilegiis, quæ ſeries temporum nunc tantum non abolevit. Parliamentum conſiſtit tribus ordinibus, militari, ſeu Baronibus, eccleſiaſtico, ſeu Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & domaniali, ſeu Senatoribus urbium & civitatum. Quando eget æris Siculorum Rex, convocat hoſce tres Parliamenti ordines, qui vel per Procuratores, vel per Deputatos, ac Legatos, comparent, Regique exigenti conſentiunt ordinarie in ſummam 300000 Imperialium, quæ ſolvuntur per taxam, ſubditis Regni impoſitam. Contra vero Status tunc etiam Regi proponunt confirmandas leges, aut expetunt

Pag. 49.

51.

D ſibi

ſibi Privilegia. De reliquis vectigalibus agitur poſtea, & inquiritur in cauſas depauperationis urbium, vectigalium, domaniorumque Regis, quibus ipſi Proreges & Præfecti Regii, Dynaſtæ pagorum, clerici, mercaturam ſine vectigali facientes, &c.
Pag. 65. multum detrahunt. *Cap. IV* de adminiſtratione juſtitiæ, ſtatuque politico & eccleſiaſtico, Siciliæ ſpeciatim refert, abuſusque multos in iis taxat, conſilia, remedia ſuppeditans. Inter alia commemoratur abuſus Proregibus ſolennis, qui ſingulos judices, juſtitiam corrumpentes, impunes dimittunt, interveniente ſola quadam largitione, quæ appellatur Solutum ſolvi. Ibidem conſilium ſuppeditatur, qua ratione crimen aſſaſſinatus, in Sicilia frequentiſſimum, exſtingui queat, renovando nimirum legem antiquam, ut illi juſtitiæ adminiſtratores, nec non Dynaſtæ, ſub quorum Jurisdictione crimen ejusmodi committitur, teneantur ex proprio marſupio refundere damnum illis ipſis, qui hanc rem atrocem paſſi ſunt a ſceleratis. Conquerirur deinceps de pervulgato aſylorum in templis abuſu, per quem templa evadant ſpeluncæ latronum, ſuadetque, ut Rex autoritate Pontificis hæc aſyla vel aboleat, vel, uti Vene-
76. tiis fit, (& olim in Judæa factum eſt,) eadem ad certum numerum reſtringat. *Cap. V* evincit, Siciliam totam natura eſſe
85. munitam, difficulterque occupandam, Regique ſuadet, qua ratione eandem longe melius firmare poſſit. *Cap. VI* utilitatem oſtendit, quam Sicilia capere poteſt ex ſitu, ex alluentibus maribus, & commerciis. Tandem & Oratio Regis *Victoris Amadei*, ad Parliamentum Siciliæ Panormi A. 1713 habita, traducta comparet, quæ prioribus *Agatini Parii* conſiliis quodammodo iuniti videtur.

INSTITUTIONES HISTORICÆ, AUTOre IGNATIO SCHWARZ, S. J. Hiſtor. et Polit. Prof. Publ. Ingolſtadienſi.

Ingolſtadii, ſumtibus Jo. Andr. de la Haye, 1729, 8. Alph. 2 plag. 5, cum aliquot Fig. æn.

Cl. Autor, Hiſtoriam univerſam in uſum juventutis Academicæ, quæ ſacris Romanis addicta eſt, expoſiturus, propoſu-

poſuit ſibi ex Geographia, Genealogia, & Chronologia, conflare, uti loquitur, Elementum quoddam univerſale hiſtoricum, ac id ipſum in quinque Partes, ſeu Elementa particularia, diſpeſcere. Hinc in Elemento primo exhibet Hiſtoriam ſacram, & quidem Veteris Teſtamenti P. I, Novi Teſtamenti P. II hujus Elementi primi, quod nunc ad manus habemus. Impenſe nimirum dolet Cl. Autor, quod juventuti Catholicæ in Germania deſit adhucdum Compendium hiſtoricum, oblitus forſan *Turſellini*, &c. Conqueritur, non ita pridem e juventute Catholica Oratorem ſibi auditum, qui in pleno doctorum hominum conſeſſu non dubitaverit *Eliſabetham*, Reginam Angliæ, liliis virginum coronare, & tantum non donare apotheoſi, Heroinam ſanctiſſimam, *Stuartam*, contra, non ſemel adulteram dicere, & infami præterea notare homicidii ſtigmate. Hæc & alia plura cum audiret, indignatum ſe primo fuiſſe, ſcribit, illiberali oris lanugini, tandem vero ingemuiſſe, & agnoviſſe illos fructus ex arbore *Hübneriana*, (uti vocat, & ad figuram, *Parti I* Hiſtoriæ *Hübnerianæ* præfixam, alludit,) in cujus foliis jam nuper legerit olidas haſce merces non ſine ſtomacho. Ad hæc Cl. Autori reponimus: 1) ipſum generatim Compendiis hiſtoricis Acatholicorum gratulari laudem facilitatis in methodo, amœnitatis, &c. 2) ipſum ſibi methodum *Jo. Hübneri*, quod ad rerum diviſiones, imitandam propoſuiſſe, idque ipſum profiteri; 3) Compendium hiſtoricum *Hübneri* non Academicæ juventuti, ſed ſcholaſticæ tantum, ſcriptum eſſe; in uſum Academicæ juventutis apud Proteſtantes complura Syſtemata & Compendia proſtare, tam Latina, quam Germanica; 4) ipſum Cl. Autorem, licet *Hübnerum* plus vice ſimplici carpere ſategerit, nullo tamen modo eundem ſuperare, quod tamen facere & poterat & debebat, cum *Hübnerus* per omne vitæ tempus pulveri ſcholaſtico mancipatus fuerit, Cl Autor vero in Academica luce verſetur, unde majora, quam ex pulvere ſcholaſtico, ſint expectanda. Exemplo rem illuſtrabimus. Deſideramus vulgo in *Hübneri* Compendio

pendio, quod fontes, ex quibus ſua hauſit, non allegarit, aut teſtimonia Scriptorum non adduxerit, vel citaverit. Eidem tamen id condonamus, quia tyronibus ſcripſit. Verum enim vero nec nos in Cl. Autoris Compendio, (qui tamen Juventuti Academicæ Acroamaticum ſcripſiſſe videri vult Elementum,) invenimus fontes genuinos allegatos. Nam, exceptis locis Biblicis, apparent rari nantes in gurgite vaſto, quoad nuda tantum nomina, non vero Capita, vel paginas. Allegati *Salianus*, *Cornelius* (ſc. *a Lapide*), *Philalpandus* (*Villalpandum* innuit), *Hapelius* (*Happelium* indigitat), rariſſima vero mentio *Joſephi*, *Philonis*, *Euſebii*, aut Hiſtoricorum Claſſicorum. Sed noſtrum non eſt, certare de accuratione Compendiorum hiſtoricorum, nec ex Cl. Autoris Opere nævos colligere, quin potius Lectori noſtro indicare, quid ſibi a reliquis Elementis, ſeu Partibus, ſi quidem in manus nobis venerint, polliceri poſſit. *Secundum* videlicet Elementum tradet Monarchias antiquas quatuor, Aſſyriacam, Perſicam, Græcam, & Romanam, usque ad *Conſtantinum*; *tertium* Monarchias novas univerſales Imperatorum Orientis & Occidentis ad noſtra usque tempora; *quartum* Monarchias novas particulares, v. g. Hiſpaniam, Angliam, Italiam; *quintum* notitiam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

D. BALTHAS. LUDOVICI TRALLES, Medici Vratislavienſis, de Vena jugulari frequentius ſecanda, Commentatio, qua hujus operationis neglectus ſerio reprehenditur, innocentia perſpicue comprobatur, ac uſus ampliſſimus, potiſſimum in morbis capitis, adſtruitur.

Vratislaviæ & Lipſiæ, apud Michaelem Hubertum, 1735, 8. Alph. 1.

Cum multa alia, quorum virtus & efficacia a veteribus Medicis longo uſu cognita, & mirifice prædicata fuit, in deſuetudinem, quod cum Cl. Autore dolemus, abierunt: tum venarum quoque jugularium ſectio noſtris temporibus negligitur,

gitur, penitusque fere jacet. Quam ob rem non dubitamus, fore, ut Cl. *Tralles* ab intelligentibus Medicis magnam gratiam ineat, quod libello hoc ſolide eleganterque ſcripto id egit, ut præſtantem operationem, a principibus artis medicæ magni æſtimatam, periculoſiſſimis capitis affectibus convenientem, facillima opera adornandam, ſecuram tandem & innocentem in memoriam revocaret. Non equidem ejus fructum multarum obſervationum ſylva comprobare habuit, quam, ob remedii huc usque apud ſuos non recepti infrequentiam, ne a ſummorum quidem & veteranorum Medicorum praxi expectandam eſſe monet. Ex Theorices vero medicæ fundamentis chirurgiæ hujus præſtantiam ſolide deduxit, ſimulque graviſſimorum Virorum autoritatibus & teſtimoniis confirmavit. Quemadmodum autem, multum referre, initio oſtendit, ut & quantitas mittendi ſanguinis, & tempus in miſſione obſervandum, & locus, determinetur, hacque occaſione venæſectionis revulſoriæ uſum ab objectionibus Cel. *Hambergeri* vindicat; ita bene ſapienterque ſimul inculcat, morbi genium rite explorandum, & remedia uſurpanda eſſe viribus morbi paria, ut quædam inter morbi vehementiam, & remediorum virtutem, intercedat proportio, ne medicamenta in uſum veniant, innocentia quidem, ſed ad expugnandum morbum nulla prorſus vi prædita, vel bona quidem & convenientia, nondum tamen ea, quæ domandæ mali ferociæ ſufficiat, virtute inſtructa. Quæ ratio generatim jam venæ jugularis ſectionem commendat. Quanquam vero, antiquiſſimis temporibus vaſa capiti propria inciſa fuiſſe, vel ex *Celſo* & *Paulo Ægineta* patet, eoque ipſo tacite velut laudari videtur venæſectio jugularis, quæ reliquis iſtis ſanguinis miſſionibus permultis longe in capitis morbis antecellit; quanquam jugularium ſectio nominatim ab *Alexandro Tralliano*, *Paulo Ægineta*, & Arabibus, maximi fuit facta; quanquam a recentioribus Medicis multis, iisque præſtantiſſimis, eadem multis laudibus prædicatur; raro tamen, imo rariſſime, illa apud noſtrates exercetur. Innocentem tamen maximeque ſecuram eſſe hanc operationem, vel exinde conſtat, quod in ea damna illa omnia, quæ a vena minus feliciter inci-

ſa aliquando contingunt, in apertione jugularium ne evenire quidem poſſint, quod & ſummorum Medicorum teſtimoniis declaratur, & ſimul enchiriſes hanc chirurgiam adminiſtrandi enarrantur. Poſt hæc vaſa capitis accurate delineantur, & per ea ſuccedens ſanguinis circuitus exponitur, ut ſtatim liqueat, quænam mutationes flumini vitali, per ea vaſa moto, eveniant, & qua ratione hæ ad morbi genium, ejusque medelam, aliquod momentum habeant. His peractis, de potioribus morbis ſigillatim Cl. Autor agit, ad quos perſanandos, ex neceſſitate directionis vaſorum, jugularis venæ ſectionem idoneam eſſe autumat, multoque ſtudio ubique elaborat, ut eorum quilibet ex principiis ſolidis atque evidentibus explicetur, & ex veri nominis pathologia mechanica deducatur, erutaque illius plana & perſpicua notione, medicationem iſtam externam morbi indoli quam maxime congruere declaretur, &, a præſtantiſſimis Medicis jamjam contra eundem fuiſſe commendatam, teſtimoniis ipſorum & ſuffragiis comprobetur. Primum locum tenet phrenitis, quæ acutiſſima meningum & vaſculoſæ cerebri compagis inflammatio eſt, nec oritur, niſi antecedente validiſſimo ſanguinis ad caput impulſu. Proinde ad eam curandam ſemper fuerunt uſurpata, quæ impetum cruoris a capite revellere valent, inprimis miſſionum ſanguinis varia genera, inter quæ arteriotomia reliquis palmam forte præreptura eſſet, niſi ea ob ægrotantis conditionem foret admodum adminiſtratu difficilis. Maxima igitur laus debetur venæ jugularis externæ ſectioni, qua circuitus ſanguinis per caput ita mutatur, ut ad externa, ob imminutum reniſum ejus, augeatur, & acceleretur affluxus, ad interiora autem remittat. Quapropter & minuitur ſanguinis arterioſi preſſio, interioribus capitis incumbens, & circulus in cerebro liberior redditur. Idque illuſtratur porro uſu quorundam remediorum topicorum, animalium ſcilicet diſſectorum, & capiti raſo tepide applicatorum, quæ neutiquam per dura calvariæ oſſa virtutem ſuam fundunt, ſed blando vapore atque tepore cutis atque muſculorum, ipſis ſubſtratorum, villos mites reddunt atque emolliunt, vaſorumque ſimul, per cutem & muſculos diſper-

diſperſorum, quæ ad externam carotidem pertinent, alveos ampliores efficiunt, & laxant, ut majorem ſanguinis copiam in cava ſua admittant, nec cruor tanta copia in ramulos internos profluat. Inde cauſa obſtructionem ſuſtentans minuitur, & obſtructio inflammatoria eo promtius diſcutitur. Cum vero quadam in Diſſertatione Cel. *Hambergerus* contendat, inciſa hac vena, non tantum ſanguinis externi, ad caput abeuntis, celeritatem augeri, ſed & illum, qui ad interiora capitis evibratur, celerius moveri, is modeſte hic, argumentis a vaſorum directione, & animi deliquio, omnium facillime huic venæſectioni ſuperveniente, deductis confutatur. In apoplexia, quæ in intercepto fluidi ſubtilis cerebrini in nervis a cerebro oriundis circulo conſiſtit, rarius omittenda eſt venæſectio, nunquam vero in ſanguinea, a congeſtione ſcilicet ſanguinis verſus caput, infarctuque & obſtructione minimorum vaſculorum, orta. Sed talem ea expoſcit ſanguinis miſſionem, quæ citiſſime ejus impetum a capite avertat, ne mora invaleſcens obſtructio tandem immedicabilis vel funeſta evadat. Eamque ob cauſam præter arteriotomiam venæ jugularis ſectio, amplo foramine facta, maxime convenit. Ipſi etiam epilepſiæ, quæ inæquali liquidi nervei in muſculos influxui, a motu duræ matris ſpaſtico oriundo, debetur, hæc venæſectio opem fert, ſi plethora inter cauſas mali proximas adeſt, congeſtusque in ſinus & vaſa duræ matris cruor ſpasmum illius proritat. In melancholia hypochondriaca atque hyſterica locum quoque habet. Omnis vero melancholiæ ortus derivatur a ſucco atrabiliario, perperam a recentioribus rejecto; quo nomine doctiſſimus Autor cum Illuſtri *Bœrhaavio* intelligit ſanguinem craſſum, atrum, pinguem, terreſtrem, qui emergit, quoties ſal oleumque denſum ſanguinis cum terra arctiſſime commiſcetur, aqua interim expulſa. Mania autem ex ejusdem ſententia oritur a vitioſa mixtione, & irregulari non tantum, ſed rapidiſſimo ſimul, motu fluidi nervorum; hinc vero ſanguinis præternaturali & perverſo per canales cerebri progreſſu. Dividitur in maniam atrabiliariam, maniam a debilitate, & maniam plethoricam. Iſti congruit ſectio jugularis; illi

illi neutiquam, huic vero quam maxime. In cephalalgia plethorica cauſa eſt ſanguinis abundantis actio naturali major, in vaſorum villos nerveos & tendineos, aliquando ſimul cum tenſione pericranii vel duræ matris propter perreptantes tubulos, indeque doloris acutiſſimi ſenſu, eaque fit a congeſtione præternaturali humorum ad caput, illorumque impedito & inæquabili curſu per illius vaſa. Atque propterea opem feret incredibilem arteriotomia, & venæ jugularis ſectio. Ophthalmia quoniam oritur a ſanguine plethorico commoto, in extremis arteriolarum ſanguinearum ramulis conquieſcente, ac ſecundi generis vaſa, ſeu neuro-lymphatica *Hovii*, præter naturam intrante, adeoque tunc non craſi ſua, ſed loco tantum & quiete, peccante, in externa ophthalmia, magis autem interna, venæ jugularis inciſio cum fructu adminiſtratur. In angina vero maximam cautionem requirit. Quandoquidem enim fluxum ſanguinis in carotidem externam accelerat augetque, hinc impulſum ad partes inflammatas magis invitat, efficitque, ut ſanguis majori velocitate eo feratur. Juvat autem, quando ſanguis in brachio vel pede jam miſſus, materia, quæ obſtruit, mobilior reddita, canaleſque, eam continentes, laxati fuerunt. Si enim tunc vires auctæ carotici ſanguinis liberi, pertuſa vena jugulari accedunt, felicius antea quieſcens cruor dimovebitur, & propelletur. Itaque non ſtatim in principio, neque etiam nimis ſero, ea incidatur vena. Vertigo fit, quando tunica retina bulbo omni, ob muſculos obliquos oculi convulſos rotato, præter naturam commovetur, vel tantum filamenta retinæ a quacunque cauſa comprimuntur diſtrahunturque, ut ita radii ſine ordine incidentes, retinaque ipſa non fixa, ſed modo tota, modo ex parte, loco ſuo dimota, apparitionem illam ſuſcipiat, qua objecta immota in gyrum volvi videntur. Venæſectio noſtra medetur inprimis plethoricæ, quæ fit, quando arteria, nervum opticum arcte comitans, ſoboles carotidis internæ, cujus ramuli, maxime in fundo oculi, tunicis, in quas nervus opticus expanſus abit, ſunt contigui, a ſanguine aggeſto nimium diſtenditur, atque hinc, ob motum horum vaſculorum reciprocum nunc præter naturam auctum, ſimul affectæ irritantur

Digitized by Google

tantur fibræ nerveæ, ut propterea objectorum gyrationes producantur. Soporoſi affectus, qui motui humorum per canaliculos interioris capitis, ob aggeſtionem & moram ipſorum multum impedito, ac ſanguinis ſerique lentiſſimo circulo, debentur, ſi a puro ſanguine originem habent, itidem venæ jugularis inciſione levantur. Quæ & denique non ſine ſingulari emolumento inſtituitur in malis a læſionibus capitis externis avertendis atque mitigandis, itemque in peripnevmonia quadam graviſſima, cum comate vel etiam delirio quodam conjuncta. Atque hæc quidem Cl. Autor per ratiocinia ex principiis ſolide poſitis docte accurateque de uſu venæ jugularis externæ identidem incidendæ disputavit. Reſtat nunc, ut omnes Medici, inprimis veterani, peroportunam nacti occaſionem, hoc remedii genus in crebriorem uſum caute circumſpecteque vocent, &, quæ attenta obſervatione de ejus emolumentis cognoſcunt, bona fide expromant. Quando enim præter rationem experientia quoque ſuffragabitur, tum quidem ars ſalutaris novum ſanitatis præſidium, Clariſſimusque Autor optimum eruditi laboris præmium, conſequetur.

Chriſtian Ernſt Kühnholds, J. U. D. 110 Experimente 2c.

h. e.

CHRISTIANI ERNESTI KÜHNHOLDI, J. U. D. Centum et decem probata Experimenta œconomica: ſive Oeconomia experimentalis, Tractatui ZEIGERIANO, de perficienda agricultura, oppoſita: cum accurato rerum Indice.

Erfurti, impenſis Autoris, apud Car. Frid. Jungnicol, 1735, 4. Alph. 2 plag. 7.

Doctus Autor, & in œconomia diu verſatus, cum Tractatum *Ambroſii Zeigeri*, (vid. *Suppl. ad Nova Acta Erud. Tom. I Sect. VII pag. 309,*) de perficienda agricultura, legeret, parumque probaret, quid ſe ipſum, & fratrem Subcenturionem,

ratio longusque uſus hac de re docuerit, & cur a *Zeigero* diſſentiat, exponendum præſente libro judicavit. Negat igitur, in noſtris climatibus agros, ſine conſueta ſtercoratione, fœcundari poſſe: negat, quadruplici diſcrimine, & quaſi temperamento, omnem agrorum diverſitatem abſolvi: negat, partes terræ, aqua ſolutas, pro diverſa ſua gravitate, ita ordine ſubſidere, ut inde reperiri poſſit, quota pars arenæ, argillæ, luti, & terræ nigræ, adſit: negat, artificium *Zeigeri*, in parando oleo vegetabili, ſeminibusque & agris impertiendo, aut novum, aut ſufficiens, eſſe: denique etiam remedia contra curculiones, & pleraque alia *Zeigeriana*, non magni æſtimanda putat. Diviſus eſt liber in *Partes*, ſive *Sectiones*, *octo*. In *prima* quæritur, quidnam illud in natura ſit, unde fœcundum plantarum incrementum exiſtat? reſpondetque Autor, ſpiritum mundi, in materiam corpoream viſcidam & unctuoſam, influxu ſolis, condenſatum, aerique & aquis pluvialibus, porroque etiam terræ, communicatum, fœcunditatis veram originem eſſe: in noſtris tamen regionibus, quod hoc pacto e cœlo in agros quotannis derivatur, non ſufficere, niſi in agris quieſcentibus per aliquot annos collectum: itaque ſtercus in ſubſidium vocandum eſſe, in quo ſimilis materiæ unctuoſæ ſatis magnam copiam reperiri, certum ſit. In *altera Sectione* docetur, a meris ſalibus & ſeminum maceratione, ſine ſtercore, ſive materia unctuoſa, fœcunditatem fruſtra expectari. In *tertia* oſtenditur, ſemina omnino ita præparari poſſe, ut mirifica inde multiplicatio in fœcundo ſolo oriatur: eligenda vero ad ſementem grana eſſe antiqua, in aqua ſubſidentia, & ex ſpicis mediis, tum, cum uſus eſt, exigua vi excuſſa, item peregrina, ex meliori climate allata. De cetero ea inprimis laudat & exponit Autor, quæ a *Magno Stridtbergio*, Upſalienſi, hac de re memoriæ prodita ſunt: non omiſſis multorum aliorum inventis, quæ vel meliora *Zeigeriano*, vel certe non deteriora, videntur. In *quarta Sectione* id agitur, ut pateat, quanta materiæ unctuoſæ portio requiratur, pro agro penitus emaciato. Sic autem hac de re cenſet Cl. *Kühnboldus*, agrum 160 perticarum quadratarum, talium, quarum ſingula longitudi-

tudinem 16 pedum habeant, ad minimum decem vehes trigas, ſive 210 centenarios, ſtercoris boni, cujus plus quam dimidia pars materia unctuoſa ſit, atque adeo fere quintuplum ejus poſtulare, quod e cœlo de[illegible]i ſolet. Sequenti *Sectione* declaratur, quomodo œconomi quam compendioſiſſime tantum ſtercoris comparare poſſint, quantum opus eſt. *Sexta* & *ſeptima Zeigero* maxime oppoſitæ ſunt, cujus etiam Tractatus totus in compendio exhibetur, & adjectis annotationibus confutatur. *Octava* denique eo pertinet, ut meliorem œconomiæ rationem Autor ante oculos ponat. Ejus placita, præter illa, quorum jam meminimus, ſunt hujuſmodi: fimum diutius, quam fieri ſolet, in ſtabulis & ſub pecude relinquendum eſſe: communionem paſcuorum tollendam: pecuariam agriculturæ præferendam, & magis excolendam: boves in bovili retinendos: pro his trifolio Hiſpanico, pro ſuibus vero ſtudendum tuberibus eſſe, quæ patatoes vocantur, in quorum natura & uſu demonſtrando inprimis *Jonum Alſtromium* ſequitur *Kühnboldus* noſter; qui poſtremo etiam alia nonnulla attingit, quæ ad incrementum provinciarum facere exiſtimat, nos vero hoc loco prætereunda arbitramur.

IL RIPOSO DI RAFFAELLO BORGHINI, &c.

h. e.

OTIUM RAPHAELIS BORGHINI.

Florentiæ, apud Mich. Neſtenum & Franc. Moucke, 1730, 4.
Alph. 3 plag. 4.

Lucubratio hæc *Raphaelis Borghini*, Itali quondam picturæ, ſculpturæ, cognatarumque his artium, longe peritiſſimi, *Joanni* olim *Medicæo* inſcripta, per modum Dialogi, quicquid notatu digni artes hæ naturæ æmulæ, ſive præcepta, ad quorum præſcriptum tractandæ ſunt, ſive opera earum nobiliora, ſpectes, complectuntur, perſpicue diſerteque ob oculos ponit. Nomen *il Ripoſo*, ſive Otium, ſortita eſt a villa *Bernardi Vecchietti*, ſub frontem Operis ære expreſſa, in

qua *Vecchiettus* ille, *Rudolphus Sirigattus*, *Baccius* item *Valorus*, & *Hieronymus Michelozzius*, conveniſſe, &, quos memoriæ prodidit *Borghinus*, ſermones habuiſſe traduntur. Conſtat *Libris quatuor*, quorum *priores duo* ad naturam & conſtitutionem artium harum cognoſcendam faciunt, *poſteriores* cenſum pictorum ſculptorumque omnium, qui ab antiquis inde temporibus ad ætatem usque *Borghini* vixere, agunt, & opera, quibus nominis ſibi famam peperere, commemorant. Præclarum hoc Opus, in quo argumenti præſtantia cum ſtili nitore certat, unde &, qui noviſſimam Vocabularii Academiæ Florentinæ *della Cruſca* dictæ editionem, quæ ante hos quinque annos lucem adſpexit, curarunt, ejus teſtimonio utuntur, cum rariſſime inveniretur, non male de patria ſua meruiſſe cenſendus eſt, qui id auſpiciis Ill. *Gamburri*, Patricii & Equitis Florentini, harum artium ſtudio & patrocinio clariſſimi, prelo repetendum curavit. Editio hæc non tantum id præcipui habet, quod literis luculentis & charta optima conſtat, tabulisque, tametſi non ita multis, pulcherrimis tamen, ornata eſt, ſed & quod annotationibus ſelectis *Borghini* verba ſubinde illuſtrat, quibus, ſi quam reſidua artificum celebriorum opera mutationem ſubiere, aut ab eo loco, quo ab initio aſſervabantur, alio conceſſerunt, potiſſimum docetur. Adſcripti ſunt margini primæ editionis numeri, quam in citando ſecuti ſunt Autores Vocabularii ſupra laudati Academiæ Florentinæ, ut exempla, inde ab iis petita, in nova hac facilius inveniri poſſent.

M. PETRI BRINCHII, PASTOR. ARENDAlenſ. Norweg. Philologia ſacra Veteris et Novi Teſtamenti, cum Præfatione M. JOANNIS PETRI ANCHERSEN, Acad. Havnienſ. Bibliothecarii.

Havniæ, apud Jo. Nicolaum Loſſium, 1734, 8.
Plag. 17.

Inter varia monumenta *Petri Brinchii*, quæ nondum adſpexerunt lucem, quæque cum editis referuntur ab Autoribus *Nov.*

Digitized by Google

Nov. Lit. Maris Balthici Menſ. Jun. A. 1703 pag. 134, locum non ultimum ſibi vindicat *Philologia Sacra.* In qua quoniam Doctiſſ. Autor difficiliores voces & phraſes Græcas Novi Teſtamenti ex LXX interpretum verſione & textibus Vet. Teſt. Hebræis & Apocryphis græciſſantibus præſtantioribus ſtudioſius eruerat, & commentariis eruditis ordine Alphabetico illuſtraverat, dignam eam ſuo jure cenſuit Cl. *Ancherſen*, quam ex pulvere ac tenebris in lucem adſpectumque proferret. In Præfatione Cl. Editor, omnibus eruditis in quatuor claſſes tributis, *Brinchium* primæ inſerit, quam illis aſſignavit eruditis, qui vere *docti ſunt*, & omni eruditionis genere ad munera, quæ occuparunt, exquiſite ornanda natura & arte inſtructiſſimi, ſed modeſtia & pudore, ſeu laudis potius conſcientia, qua gaudent, impediti, nihil, quo famam ad exteros atque poſteros & ultra tumbam, quod ajunt, extendere poſſint, moliuntur. Ipſe Autor, ut jam diximus, voces Nov. Teſt. difficiliores ordine Alphabetico illuſtrandas ſibi ſumſit ex LXX interpretum & reliqua Vet. Teſt. verſione Græca, ipſo textu originali Hebræo in ſubſidium vocato. Hinc ſtatim in prima voce, quæ eſt *ἀγαπητὸς*, monet, eam *Matth. III, 17*, transferendam eſſe per *unigenitus*, quoniam in LXX verſione Hebræum nomen יָחִיד, *unicus*, ſæpius exprimitur per *ἀγαπητός*. Hebræum שֶׁקֶר notat *mendacium, falſitatem, fallaciam*, pro quo quia verſio Græca ſæpe poſuit *ἄδικος* & *ἀδικία*, exinde colligit Autor, mammona *τῆς ἀδικίας Luc. XVI, 9*, notare *divitias fluxas, fallaces, inſtabiles. 1 Petr. II, 9*, verba, *ὅπως τὰς ἀρετὰς ἐξαγγείλητε τοῦ καλέσαντος*, ita vulgo transferuntur: *ut annuntietis virtutes Dei, qui nos vocavit*; ſed rectius verti cenſet Autor, *ut prædicetis laudes illius*; ſumtam enim hanc phraſin putat ex *Eſa. XLIII, 21*, ubi verſio Græca, *τὰς ἀρετάς μου διηγεῖσθαι.* Recte etiam in voce *δύναμις* obſervatum legitur, *τὰς δυνάμεις τῶν οὐρανῶν, Matth. XXIV, 29, & Luc. XXI, 26*, ſignificare *exercitus cælorum*, ex *Eſ. XXXIV, 3*, &c. Nomen *κόσμος* interdum a LXX ponitur pro צָבָא, & notat *exercitum*, ſeu *numeroſam multitudinem.* Unde, quando *Jac. III, 6*, lingua hominis appellatur *κόσμος ἀδικίας*, indicatur hoc nomine,

Digitized by Google

mine, eam magnum parere peccatorum cumulum. Vexatiſſimum locum *2 Corinth. XII*, 7, ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ, transferendum judicat *Brinchius: addita mihi eſt ſpina, carni infixa.* Nam primo obſervat, σκόλοψ in verſione Græca Vet. Teſt. non ſemel ſignificare ſpinam, & quidem iis in locis, ubi phraſi metaphorica per ſpinam notatur aliquid, quod in morem ſpinæ hominem pungit & angit, deinde monet, Scripturam ſacram id, quod moleſtum & dolorificum eſt, nusquam infixo palo aſſimilare, ſed infixæ ſpinæ. Hinc conficit, *Paulum*, deſcripturum, quantum doloris & moleſtiæ ipſi afferret Angelus, ſive legatus iſte Satanæ, internæ ſcilicet ſuggeſtiones, & cupiditates, ac cogitationes peſſimæ, a diabolo immiſſæ, aptiſſime aſſimilare ſpinæ, quæ carni infixa aſſidue circumferentem pungit, angit, cruciat. Nomen ὑπομονὴ in Græca verſione nonnunquam ſignificat ſpem & expectationem, ut *Pſ. IX*, 18, &c. quem ſignificatum imitatus dicitur Apoſtolus *Rom. XV*, 4, & ὑπομονὴ γραφῶν exponitur patiens illa ſpes & expectatio, quam præbent nobis dicta & exempla ſacrarum literarum. Eadem ratione *2 Theſſ. III*, 5, ὑπομονὴ τȢ Χριςȣ explicatur patiens expectatio Chriſti. Atque ex his, ſpeciminis loco allatis, ſatis, ut exiſtimamus, apparebit, perquam utilem iis fore hanc Philologiam ſacram, qui voluerint verum Nov. Teſt. ſenſum intelligere, ex LXX verſione Græca curatius illuſtratum. Ipſum vero Opus triplici inſtructum eſt Indice, quorum primus eſt vocum Græcarum, alter vocum Hebraicarum, tertius tandem dictorum Nov. Teſt. quæ explicantur.

THOMÆ WOOLSTONI DE MIRACULIS Chriſti Paralogiſmorum Examen, Autore D. CHRIST. GOTTL. JOECHERO, Prof. Lipſ. P. O.

Lipſiæ, ex officina Langenhemiana, 1734, 4. Plag. 15.

Anglia rarioribus eminet ingeniis, ad libertatem ſentiendi erectis, quam ubi ad cynoſuram rationis defæcatæ & oraculorum

culorum vere divinorum dirigunt, egregii inde oriuntur fœtus; quam vero ſi qui eorum haud juſtis concludunt limitibus, ulcera & exanthemata gigni exinde, neceſſum eſt. In prævaricantium, & ex orbita proſilientium, numero militavit *Thomas Woolſtonus*, cujus vitam, fata, obitumque, ſuo loco hiſce Actis inſeruimus. Qui copioſiora de viri dogmatibus, ſcriptis, ac controverſiis, cognoſcere voluerint, illos S. Rev. Autor allicit, permulcet, retinet, novitate argumenti, caſtitate dictionis, ordine, & ſolida errorum refutatione. Duæ ſunt Diſſertationes, quas denuo reviſas & auctas edidit Ven. Autor, quarum poſteriori ſummos in Theologia honores obtinendi licentiam ſibi comparavit. Acceſſit tandem tertia, cum ſummos in Theologia honores conſequeretur. Gratulamur Viro, de Muſis noſtris earumque æde ſacratiſſima dudum immortaliter merito, tantos honores. Lites, quas *Thomas Woolſtonus* movit aliis, quæque ipſi ab aliis obmotæ ſunt, recenſentur *Diſſ. I §. 1 ſeq.* ac in Supplemento hiſtoriæ litium *Thomæ Woolſtoni*, quod Diſſertationi tertiæ *pag. 46 ſeq.* fuit ſubjunctum, ubi *§. 2* quoque compendium vitæ mortisque *Woolſtoni* deprehendis, defuncti in carcere A. 1733 d. 27 Jan. Portentoſi ingenii homo ille, ex peſſimorum errorum quaſi colluvione natus, omnem movebat lapidem, ut Chriſtianæ religionis fundamenta evertere, eamque, ſuis præſidiis exutam, ludibrio ſui generis hominum poſſet exponere. Inprimis veritatem miraculorum Chriſti aperte laceſſivit, & ſublatum ivit, ita tamen, ut non ſolum multis modis in analogiam ſacræ doctrinæ ac Scripturæ impegerit, verum & philoſophicæ methodi & principiorum artis ratiocinandi adeo fuerit negligens, ut ubique aut imperitiam, aut malitiam, prodiderit. Obiit quidem is placide, uti referunt. At mors placida cum beata, ea nempe, qua ad communionem Superorum transferimur, haud penitus ſemper concordat. Examinantur Diſſertatione priori ratiocinationes *Woolſtoni*, &, cum cancellis unius Diſſertationis propoſita pertractatio contineri haud poſſet, etiam poſteriori. *Woolſtonus* ſcilicet definitiones haud ſuppeditat de miraculo, de ſenſu literali & myſtico, quem toties crepat, de miraculo myſtico, quod ſæpius tanquam caput Meduſæ lectoribus objectat. In

Pag. 1.

ea

Diſſ. I ea eſt ſententia, Patres primæ eccleſiæ Chriſtianæ miracula
Pag. 19 ſeq. Chriſti habuiſſe pro myſticis, eaque improprie explicaſſe. Tria inprimis urget vir ille paradoxus. Primo contendit, miracula Chriſti improprie & myſtice eſſe intelligenda, idque exemplo Chriſti ipſius, qui ea hoc modo expoſuerit, autoritate Patrum, incommodis, quæ ſenſum literalem premant, & myſtici ſenſus excellentia, comprobare allaborat. Secundo ea, quæ de Chriſto enarrant miracula evangelicæ hiſtoriæ Autores, vere fuiſſe facta negat, atque ſe his argumentis tuetur: miracula ad characteres Meſſiæ non pertinere: teſtium deeſſe copiam, cum & Judæi iſta negent, & diſcipuli Chriſti non ſint fide digni: circumſtantias, e quibus de factorum veritate judicari poſſit, non eſſe plene ſatis commemoratas: iſta caruiſſe effectu, miraculis digno: atque abſurda plura eſſe admittenda, ſi iſta ſerio defendamus. Tertium, quod ſtabiliendum ſuſceperat, erat hoc: pone, facta iſthæc vere ita contigiſſe, ſicut ea ſacer Codex enarrat, dici tamen poſſe, fuiſſe iſta vel mere naturalia, vel magica, vel puras fraudes, & oculorum ludibria. Ita rationes ſuas duxit iniitque *Woolſtonus*, non per principia & argumenta, neque in uno loco, neque invicem connexa, ſed hinc inde per ſchedas, e quibus Autor quisquilias illas haud citra pulverem in ordinem redegit. At Chriſtus ad opera ſua & miracula, proprie facta, provocavit *Matth. XI, 4, 5, 20—24, Luc. VII, 22, X, 3, Jo. II, 18, VI, 26, VII, 21, 22, 23, X, 25, XIV, 10, 11, 12, XV, 24.* Nonne Judæi viderunt miracula ipſius Chri-
26. ſti *Jo. XV, 24*? Patrum famam vindicavit adverſus *Woolſtonum* Epiſcopus S. Davidis in Opere præſtantiſſimo, quod *Woolſtono* oppoſuit. Nonnulli Patres explicant miracula, vel potius applicant, ἀκύρως & allegorice. At ideo veritatem mi-
27. raculorum haud abnuerunt. *Origenes*, in allegorias nimium
29. effuſus, hiſtoriæ ſeriem haud fuit inficiatus. Judicat ita Noſter de Patribus: *Colimus omnino atque obſervamus Patres: ſed, implicita fide in eorum ſententiam ire, ſobrium hominem dedecet. In rebus facti, ubi de iſtius temporis doctrina, de ritibus, de canone Scripturæ, de eccleſiæ regimine, quæritur, maximam iis merito adjungimus fidem. At, quando de dogmatibus*

matibus controverſia eſt, ad quæ ſine dubio ratio Scripturam interpretandi pertinet, doctores iſti, aliquot demum Seculis poſt Chriſtum natum orti, & exegeticis ac philoſophicis ſubſidiis non æque ac nos inſtructi, judices conſtitui haud poſſunt. *Optatus* adverſus *Parmenianum Lib. V Cap. 3* de judice controverſiarum ſpectabili ita judicavit: *In terris de hac re nullum poterit reperiri judicium; de cœlo quærendus eſt judex. Sed ad quid pulſamus cœlum, cum habemus hic in Evangelio teſtamentum?* Sic Patres de fide ſua in dogmaticis ſenſerunt, ut nos ad literas diviniores remiſerint. *Woolſtonus* locum *2 Cor. III,*
6, cum Fanaticis & Myſticis intelligi vult: *Litera, i. e. ſenſus* Pag. 31.
literalis, occidit. Sed de lege Moſaica, mortem nuntiante & iram divinam in transgreſſores non expiatos, & de evangelii virtutibus, ibi eſt ſermo. Diſcant hinc Myſtici & Fanatici, quantopere dogmata ipſorum, quæ eruperunt in calamo *Woolſtoni*, religioni Chriſtianæ noceant. *Woolſtonus* cum Judæorum magiſtris docuit, Meſſiæ non eſſe, facere miracula. Egregius contra eſt Abbatis *Houttevillii* liber: *la religion Cretienne prouvée par les faits.* Et Meſſias ad miracula ſua provocavit *Jo. X, 24, 25, Matth. XI, 2—5, Jo. X, 35, XIV, 11.* Judæi converſi omnino inde primarium fidei fundamentum hauſerunt *Jo. III, 2.* Notum eſt exemplum cœci, miraculo ſanati, *Jo. IX.* *Woolſtonus* diſtinguit inter Jeſum literalem & my- 35.
ſticum, ut veritatem divini Codicis explodat. S. Rev. Autor pru-
denter: *Meo judicio iis nullæ debentur grates, qui diviſionem* 36.
ſenſus in literalem & myſticum invenere. Myſticus enim ſenſus mihi videtur eſſe terminus inanis. Senſus eſt notio, quam cum verbis conjungo. Sapientis eſt, non plures ſimul & diverſas verbis ſuis ſubjicere notiones, cumprimis ſi ad eos loquatur, de quibus conſtat, eis non datum tantum acuminis, ut divinare poſſint, quem Autor hoc vel illo loco ſenſum tribui ſuis verbis velit. Accommodationes rei ad alius rei umbras, figuras, & typos, admittit. Allegoriæ ſemper ponunt rem
ipſam, alterius fundamentum ſimilitudinis. Quædam non niſi 38.
allegoricum ſenſum ferunt; at in hiſtorias & facta interpretatio ejusmodi neutiquam cadit. Allegorimania nonnullorum

 per-

Digitized by Google

percenſetur *pag. 40 ſeq. Coccejani* & *Bernh. Seb. Cremerus, Hermannus van der Hardt*, aliique, hujus nævi ſunt damnandi.
Diſſ. II Miracula omnino ad Chriſti characteres ſpectant. Ipſorum
Pag. 4. quoque miraculorum teſtes habemus fide dignos, ob *Matth. XI, 9 11, Jo. V, 36, X, 25.* Multa in contrarium ſumſit tanquam evicta *Woolſtonus*, quæ nondum probavit. Obvertit ſilentium Judaicorum Scriptorum circa Chriſti miracula. At *Joſephus* Antiqu. *Lib. XVIII Cap. 4* Chriſtum vocavit παραδόξων ἔργων ποιητήν. Quod teſtimonium eſſe genuinum, evicerunt *J. A. Fabricius, Martinius, Houttevilleus l. c. Lib. II §. 15.* Teſtimonia *Porphyrii, Celſi, Hieroclis, Juliani, Chalcidii, Phlegontis,* & *Lampridii*, collegit *Herm. Witſius* in *Me-*
14. *letem. Leidenſ. pag. 372.* Judæi miracula Chriſti haud negarunt, uti patet ex *Jo. III 2, Matth. XII, 24, Jo. XI, 47,* & ſcriptis Talmudicis, unde teſtimonia collegit *Hornbeckius contra Judæos Lib. III Cap. 1.* Judæi volumina in Chriſtum ejusque facta a ſuis emiſſa, quæ fingit *Woolſtonus*, haud tacuiſſent, aut penitus intercidere fuiſſent paſſi. Judæorum objectiones frivolas aſſervarunt ac retuderunt *Juſtinus Martyr* & *Tertullianus*, aliique. Effecta miraculorum deprimit *Woolſtonus*, ſed quæ ſatis fuerunt magna *Jo. VII, 31, II, 23, III, 2, XI, 48.*
20 ſeq. Nec abſurda & ridicula admittuntur, ſi Chriſti miracula ſecun-
24 ſeq. dum literam accipiantur, licet ſecus *Woolſtono* videatur. Retunduntur ea, quæ pro ridiculis ille ſcurra venditavit. *Vaninus* in Apologia *pag. 439* & *Woolſtonus* putant, Chriſto defuiſſe virtutem edendi miracula, quia ea non ſemper voluit ob rationem diſſuadentem exercere, *Matth. XVI, 1, XXVII, 43, XIII, 58.*
Diſſ. III *Marc. VI, 5.* In *Diſſ. III*, qua Cel. Autor ſummos in Theologia
pag. 4 ſeq. honores obtinuit & illuſtravit, natura miraculorum exponitur, ac inſimul Ill. *Chriſtiani Wolfii* celebratur Cosmologia. Ex eo, quod cunctas naturæ vires, & quousque illæ ſe extendant, exploratum penitus haud habemus, nondum collabitur crite-
7. rium miracula ſecernendi ab effectis naturalibus. Patet enim, quid natura non valeat per eſſentiam corporum & leges motus. Quod unicum verbum ore prolatum illico quosvis morbos naturaliter ejiciat & abigat, id quidem nemo ſanus perhi-

bebit.

bebit. An Dæmones poſſint patrare miracula, quæritur. Autor Ven. negat, edi ab iis poſſe, quæ dominium in naturam & omnipotentiam involvunt; affirmat, ab iis edi poſſe opera, quorum ſufficiens ratio in viribus, hominum generi cognitis, eidemque datis, non deprehendatur, ob loca *Deut. XIII, 1-5, Matth. XXIV, 24, 2 Theſſ. II, 9-11.* At noſſe expedit criteria, quibus miracula utriusque naturæ diſcernamus, ne per miracula dæmonum pravorum ad errores ſequendos pelliciamur. Ven. Abbas *Moshemius* in *Annotationibus* ad *Cudworthi Syſtema intellectuale pag. 865* nonnulla attulit. Ad veritates certas, finem deſtinationum, complexum operationis, omnino erit reſpiciendum. Nam cacodæmon mendaciorum eſt amator, malitiam & ſuperſtitionem promovere nititur, & ob cœcitatem ſuam ſibi contradicit facile in verbis & rebus. Qui dignitatem miraculorum Chriſti, eorumque veritatem, quaquaverſum ab objectionibus vindicatam videre vel legere geſtiunt, eos ad Diſſertationes Ven. *Jæcheri* tres haſce remittimus, Autore ſuo & eruditorum approbatione digniſſimas. Pag. 25 ſeq.

Die Proſaiſche Accentuation der Hebräer, ꝛc.

h. e.

ACCENTUATIO PROSAICA HEBRAEORUM, quæ methodo nova, ad captum cujusque, & in uſum juventutis ſcholaſticæ, una cum adumbratione plenioris hiſtoriæ accentuum Hebraicorum criticæ, in lucem fuit emiſſa, Autore GEORGIO VENZKY, *Scholæ Cathedralis Halberſtadenſis Subconrectore, et Teutonicæ, ejusque Lipſienſis, Societatis Sodali.*

Magdeburgi, impenſis viduæ Chriſtoph. Seidelii & Jo. Ern. Scheidhaueri, 1734, 8.

Plag. 17.

Dijudicat Autor varias variorum methodos, in tractanda accentuatione Hebræorum proſaica adhibitas. Animum intendit facillimæ methodo, & abſtergendæ diſcentium nauſeæ. Eam ob cauſam accentus comparat cum interpunctione Lati-

Digitized by Google

norum & Germanorum, & in hac methodo conſiſtit inventum Autoris novum. Antiquitatem accentuum literis credit coævam. Vellicat aures defectus eorum in MStis Bibliorum Hebraicorum antiquiſſimis, ſilentium primorum eccleſiæ doctorum, contraria ſeptuaginta virorum praxis, & argumenta alia. Sunt, qui citra accentus Biblia expedite legunt in fonte Hebraico & intelligunt. *Lutherus* eos haud curavit, & eorum inventionem ad Judæorum recentiora inventa revocavit. Novitas accentuum Græcorum videtur accentuum deſtructoribus coævorum favere. Sunt tamen accentus illi ſat antiqui, in libro quippe Sohar & Gemara haud ignoti. Sed litem illam haud facimus noſtram. Argumenta ajentia in Præfatione Autor congerit, quæ penes ipſum ſunt evolvenda & ponderanda. In omnia alia eunt *Capellus*, *Brunsmannus*, *Heumannus*. Dicta permulta Cl. Autor illuſtrat ex ſua de accentibus doctrina, *Lutherum* ſæpius haud curate tranſtuliſſe ratus, de quo tamen modeſte & magnifice ſatis ſentit. Applaudimus inventoris conatui, geſtientes ulteriores ejus meditationes publice expoſitas conſpicari, quæ lucem rei ipſi & permultis ſacri Codicis difficilioribus locis ſunt fœneraturæ.

Pag. 128 ſeq.

BREVIS INSTRUCTIO DE OFFICIO Sacerdotis, qua Judicis & Medici, in Sacramento pœnitentiæ, compoſita in gratiam et commodum tironis Theologi, per R. F. THOMAM DU JARDIN, Ordinis F. F. Prædicatorum ſacræ Theologiæ in Academia Lovanienſi Doctorem.

Venetiis, typis Jo. Baptiſtæ Recurti, 1733, 8.
Plag. 18.

Qui confeſſionem auricularem pro divino tribunali venditant, merito regulas præſcribunt, ſecundum quas cauſa tanti momenti recte expediatur & adminiſtretur. Sapientes Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcrutatores ſane norunt, qua antiquitate confeſſionis illud tribunal, ex *Innocentii III* videlicet decreto derivandæ, vigeat. *Jo. Dallæus*, *Boilavius*, & *Jo. Ge. Pertſchius*, confeſſionis ejusmodi hiſtoriam maſcule pertexuerunt. Inſcriptio libri

libri ex Angelici doctoris in IV Diſt. X ſententia fuit adornata, utpote qui Confeſſionarium cum Medico comparat & Judice. Opuſculum eſt bipartitum. *Pars prior* agit de officiis ſacerdotis qua judicis; poſterior de officio ſacerdotis qua medici. Statuitur ſtatim regula generalis circa qualitatem judicii, in confeſſario requiſiti de diſpoſitione legitima pœnitentis. Additur occaſio proxima confeſſionis & peccatorum. Ediſſeruntur conſuetudines & recidiva peccatorum. Exponuntur Pag. 59.
exceptiones quædam & cauſæ differendi abſolutionem, abſolutio a venialibus peccatis, objectiones obmoveri ſolitæ, ſatisfactio ſacramentalis, ſigillum confeſſionis. Requiritur in confitente notitia articulorum fidei cardinalium, & quidem inter a- 15.
lia opus eſt, ut abſolutionem impetraturus noverit & credat, *impium a Deo juſtificari per ejus gratiam, per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*, id eſt, *Deum gratioſe remittere peccata intuitu meritorum Chriſti Salvatoris.* Hæc aſſerit Autor *Sect. I §. 3 pag. 15.* Idem, *attritionem* haud ſufficere ad veram pœnitentiam, judicat. Alibi ſtatuit, bonitatem divinam largi- 20 ſeq.
ri ſuas gratias, quibus velit, quando velit, & quantum velit. Quando autem *Sect. XXII §. 1 pag. 366 ſeq.* in ea verſatur o- 62.
pinione, quod Lutherani nimium bonitati & miſericordiæ divinæ confidant, id eſt, ultra ordinem divinitus præſtitutum, in eo veritati haud litavit. Nam nos haud ſperamus, quemquam veniam peccatorum, citra pœnitentiam divinitus in verbo divino traditam, conſecuturum: nos haud pronuntiamus, gloriam æternam ſine *meritis*, id eſt, bonis operibus, a quoquam obtineri. Gradus gloriæ impertientur & reſpondebunt gradibus effectuum & operationum veræ, & per amorem efficacis, fidei. *Parte poſteriori* explicantur remedia, quibus vulnera conſcientiarum ſunt percuranda. Remediorum in numero ponuntur *meditatio* & ſui conſideratio, *preces* & imploratio divini auxilii, ſingularis devotio erga ſacratiſſimam Jeſu Chriſti humanitatem, ejusque ſanctiſſimam matrem ac virginem Ma- 209 ſeq.
riam, nec non angelos tutelares, porro *jejunium* & caſtigationes carnis, opera miſericordiæ, frequens ac legitimus ſacra- 220 ſeq.
mentorum pœnitentiæ & evchariſtiæ uſus, occaſionum peccandi

candi fuga, & alia. Exponuntur deinde remedia ſpecialia contra ambitionem & faſtum, contra vanum & laſcivum mulierum ornatum, contra conſuetudinem blasphemandi & jurejurando abutendi, contra luxuriam, gulam, & ebrioſam libidinem, contra invidiam & odia, contra dubitationes, ſuſpiciones, opiniones, & judicia temeraria, proximo inimica, obtrectationes, contumeliam, ſuſurrationes, contra iram, avaritiam, uſuræ vitium, duritiem & miſericordiæ erga pauperes neglectum, contra acediam & torporem, contra deſperationem, acediæ filiam, contra præſumtionis tumorem, & ſcrupulorum angores. Haud dubitamus, quin ſui cœtus Chriſtiani ſociis hic Ven. Autor haud uno nomine ſit profuturus. Id
Pag. 211 ſeq. vero quam vellemus ſolide fuiſſet comprobatum, quod, Ven. Autore tradente, *ſancta matre* Jeſu opus ſit tanquam alio præter Chriſtum mediatore. Verum hæc eis uſui eſſe poſſunt, qui invocationem Sanctorum ex præcepto ac promiſſo Dei ter optimi demonſtrari poſſe arbitrantur. Indicem ſcripto haud fuiſſe ſubjectum, nobiſcum alii dolebunt. Quodſi vero unum alterumque, quod cuique non arriſerit, demeris, reliqua ſane uſu ac ſplendore ſuo radiant & eniteſcunt.

MISCELLANEA DUISBURGENSIA.
Tomi I Faſciculus III & IV.

Amſtelodami, apud Adr. Wor, 1733, 8.
Alph. 1 plag. 1.

Poſtquam non ita pridem recenſuimus priorem hujus *Tomi* partem, paucis nunc exhibemus argumenta poſterioris. Et *tertio* quidem in *Faſciculo* prodit I *Lud. Herm. Stumphii,* quondam Theol. Prof. in Acad. Duisburgenſi, *Florum ſparſio ad loca illuſtria Theologiæ & Veteris Teſtamenti.* Sunt hæ variæ theſes, theologicæ partim, partim exegeticæ, eæque magnam ſpirantes ſubtilitatem ingenii. II *Frid. Ad. Lampii Annotationes,* e MS. editæ, *ad Jeſa. XLV, 23, 24, 25.* III *Andr. Hyperii* Diſſertatio de donariis Judæ Maccabæi *2 Maccab. XII, 43, 44.* IV Ejusdem Diſſertatio de Baptiſmo pro mortuis ad *1 Corinth. XV, 29.* Cl. Editor putare videtur, utramque hanc Diſſer-

Diſſertationem primum editam fuiſſe ante 70 circiter annos. Verum utraque jam exſtat in *Hyperii Opuſculis Theologicis*, Baſileæ A. 1570 editis, & prior quidem *p. 749 ſeq.* poſterior *p. 759 ſeq.* V Continuatio excerpti ex *Abr. Schultenſii Originibus Hebræis.* VI *Petri von Sarn* Diſſertatio ad *Num. XIII, 14,* & *Apoc. XIII, 18,* de nomine *Sethur*, cujus literæ faciunt numerum *668*. Autor hic, *Lightfootum* ſecutus, exiſtimat, Apocalypticum illud ænigma ita optime ſolvi, cum *Sethuri* illius numerus arithmeticus, nomen, tribus, familia, conditio, res geſta, peccatum, & exitus, apprime conſpirent in perſona Antichriſti Romani: id quod paucis oſtendit. VII Anonymi Belgæ *Specimen Animadverſionum in* (Wetſtenii) *Prolegomena in Nov. Teſt. editionem accuratiſſimam.* Oſtendit hic, a *Wetſtenio* & *Rob. Stephanum* & *Bezam* injuſtiſſime accuſari malæ fidei in colligendis variis Nov. Teſt. lectionibus. VIII Baſileenſis Anonymi *Vindicatio Eraſmi ab accuſatione gemina* ejusdem Autoris Prolegomenorum. IX Anonymi *Explanatio duarum vocum* כְּתוֹא & עִבְעָר *Jeſa. LI, 20.* Exhibueramus nos hanc Diſſertatiunculam in *Actis A. 1732 Menſ. Octobr. pag. 475 ſeq.* Sed hic loci ea repetitur a Cl. Editore, partim quia mirifice ea ipſi arriſit, partim ut Autori ejus publice indicare poſſit, ſibi curæ fore, ut totum ipſius Opus, quod diximus duo alphabeta excedere, typis excudatur. X *Dan. Gerdeſii* Diſſertatio ad *Pſal. XXII, 17.* Agitatiſſimum illud כָּאֲרִי Max. Reverendus Autor interpretatur, *ſicut leo ille.* Primo loco multas affert cauſas, cur eorum ſententiæ, qui verbum illud reddunt *fodientes*, ſubſcribere recuſet. *Leonis* autem nomine hic deſcribi credit *Pilatum*, quippe qui leonis inſtar non ſolum lacerarit Chriſtum, dum eum flagellari juſſit, verum etiam rugitum leoninum ediderit, dum pronuntiavit in Chriſtum edictum mortis. XI *Series Profeſſorum Academiæ Duisburgenſis* usque ad hæc noſtra tempora. XII *Vita & ſcripta Theologorum Duisburgenſium.*

In *quarto Faſciculo* ſiſtitur I ſuperius laudati *Stumphii Nova florum ſparſio.* Diſputatur hic ſubtiliter inter alia de perſpicuitate & perfectione Scripturæ ſacræ, de uſu rationis in Theologia, de origine animæ humanæ nec per creationem,

nec

Digitized by Google

nec per traducem, ſed medio quodam modo, de obligatione Chriſti ad ſervandam legem, de vocatione hominum univerſali, de Cherubinis *Gen. III, 24*, de ſigno *Caino* dato. II *F. A. Lampii Obſervationes exegeticæ*, nunc primum editæ, ad *Coloſſ. III, 10; Lucæ I, 68-79; & 1 Corinth. XV, 52.* III *Jo. Frid. Miegii* Diſſertatio *de Baptiſmo ignis*, ad *Matth. III, 11.* Hic poſtquam prolatæ fuerunt omnes omnium interpretationes, Autor ſtatuit, reſpici ad *Num. XXXI, 22, 23*, hoc eſt, ad illum morem, quo luſtratio quorundam vaſorum ad uſum ſacrum transferendorum per ignem, aliorum per aquam, fiebat; ſignificarique luſtrationem veluti igneam piorum per Spiritum ſanctum, oppoſitam aqueæ quaſi luſtrationi per obedientiam exteriorem: atque hanc interpretationem perdocte defendit. IV *Dan. Gerdeſii Obſervationum ad hiſtoriam Patriarcharum Partes quatuor.* Exempli cauſa unum hinc alterumque locum proferemus. Scilicet ita παραφράζει locum *Gen. IV, 7*: *Annon, ſi rite, atque ut fas eſt, per fidem ſcilicet, tuam feceris oblationem, tum erit elevatio, per ἐμπυρισμὸν ſcilicet procuranda, quæ ipſa elevatio ſacrificii tui æque probabit, gratum illud mihi fuiſſe, ac illud comprobatum eſt in elevato munere fratris tui. Sin vero minus rite tuum munus obtuleris, ecce, ante fores adeſt, præſtoque erit, flagrans illud excubitoris illius atque inſidiatoris Satanæ peccatum, id eſt, homicidium, ad quod & te pellicere ſataget. Eſt enim ejus ad te appetitus: tu vero ſcito, illi eſſe obviam eundum, ut, dominari eidem, eumque ſub jugum mittere, poſſis.* Et *Gen. IV, 26*, hunc in modum interpretatur: *Tunc natus eſt Enoſus, qui & ipſe invocaturus eſſet nomen Jehovæ, & alios id ipſum docturus.* Cum *2 Petr. II, 5*, *Noachus* appellatur ὄγδοος, hoc ſenſu id interpretatur Cl. Autor, ut *Noachus* ſit octavus juſtitiæ præco, prægreſſis ſeptem his, *Enoſo*, *Kenane*, *Mahaleele*, *Jaredo*, *Henocho*, *Methuſala*, & *Lamecho*. V Recenſiones quinque Diſputationum Theologicarum noviſſimarum, 1) *Bern. Seb. Cremeri ad Pſal. XLV, 9*; 2) *E. L. Vriemoetii Antiquitatum Iſraeliticarum*; 3) *Benjaminis Saint-Aubin ad Tit. III, 5*; 4) *Weismanni Hiſtoriæ Vict. Strigelii*; 5) *J. C. Hebenſtreitii in Malachiam Prophetam.*

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II Sectio II.

A CHRONICLE OF THE KINGS OF England, &c.

h. e.

CHRONICON REGUM ANGLIÆ A TEMpore Romanorum Imperii usque ad mortem JACOBI I, Autore RICHARDO BAKERO, Equite: addita Continuatione usque ad annum MDCLX ab E. PHILLIPSIO, cui in hac editione altera acceſſit Continuatio, complexa regna CAROLI II a reſtitutione inde ejus, JACOBI II, GUILIELMI III, et MARIÆ II, conjugis ejus, ANNÆ, et GEORGII I, Autore Anonymo, a partium ſtudio alieno.

Londini, ſumtibus Sam. Ballardi ſociorumque, 1730, fol. Alph. 10 plag. 9½.

R*ichardi Bakeri* Chronicon Regum Angliæ Hiſtoriæ Anglicæ cognoſcendæ ſtudioſis tanto jam pridem in pretio eſt, ut nova ejus editio, eaque multis modis modis auctior atque

 emen-

emendatior, ac præcedentes, non gratiſſima iis non accidere potuerit. Nos certe illa, tametſi paulo ſerius ad nos perlata, inſigni voluptate perfudit, cujus in partem quo minus Lectores noſtros venire patiamur, nihil, ut arbitramur, impedierit. Reticendum nomen putavit ſuum, qui illi curandæ manum admovit; ſed nihilo inde minores ei, de patria quippe non minus, quam univerſa re literaria, optime merito, gratiæ debentur. Quod ut luculentius pateat, quid in editione hac, a prioribus admodum diverſa, præſtitum ſit, videamus.

Primo, qui in ipſius *Bakeri* Hiſtoriam errores in nominibus locorum & hominum deſignandis irrepſerant longe plurimi, ſublati hic maximam partem reperiuntur. Quo minus exſtirpari omnes potuerint, cum typothetarum obſtitit incuria, tum ipſa indoles lapſuum *Bakeri*, qui, hodiernarum linguarum minus gnarus, externa quædam nomina propria adeo deformavit, ut reddi genuina iis facies ſua ægre poſſit. Fatendum tamen, id rarius uſu venire, idque iis in locis, in quibus, rectene, an ſecus, exhibeantur, non ita magni refert. Quod deinde ad Continuationem Chronici hujus *Bakeriani*, ab *Eduardo Phillipſio* usque ad A. 1660 perductam, attinet, eam in compendium, ſed absque ullo damno ſuo, redactam hic Lectores inveniunt. *Phillipſius* enim, aliam, quam qua cœptum erat hoc Opus, continuandi ejus rationem temere ingreſſus, Acta publica, catalogos nominum, atque alia ſimilia, ita, ut in ea inciderat, orationis ſuæ filo intexuit. Ex his alia præſens Editor prorſus reſecuit, alia, inprimis pactionum nonnullarum enarrationes nimis diffuſas, in ſummam redegit contraxitque, ita, ut Chronicon hoc, etiam nova, quæ ad noſtra tempora pertingit, Continuatione auctum, priorem editionem magnitudine voluminis non multum ſuperet. In unam *Phillipſii* de reſtitutione *Caroli II* tractationem, utcunque & illa verboſior Viro bono, quam neceſſe erat, excidit, nihil ſibi ſimile putavit licere, quod illam partim ex *Thomæ Clargeſii*, qui rebus illis interfuit, partim ex Ducis *Albemarlii*, ore hauſtam noſſet. Omiſſa tamen & ibi ſcripta nonnulla publica fatetur Editor, quæ *Phillipſius* integra inſeruerat, quod argumentum eorum paucioribus includi verbis commode poſſet.

Sed,

Sed, quod editioni huic palmarium, Continuationi *Phillipſii* nova acceſſit Continuatio, qua hiſtoriæ Anglicæ ſeries usque ad recentiſſima tempora pertexta eſt. Initio illa ab A. 1660, in quo *Phillipſius* deſinit, ad annum hujus Seculi vigeſimum ſeptimum pertingit, atque adeo, quid ſedentibus ad magnæ Britanniæ gubernacula *Carolo II*, poſteaquam reſtitutus avito regno eſt, *Jacobo II*, *Guilielmo III*, *Anna*, & *Georgio I*, domi foriſque geſtum ab Anglis ſit, uberius exponit. Autor ejus, cum, fieri non poſſe, intelligeret, ut partium, in quas Anglica gens hodie ſciſſa eſt, utriusque ſuffragia ferret, nullius omnino ratione habita, id ſe operam dediſſe profitetur, ut genuinam rerum iis temporibus, quæ deſcribenda ſibi ſumſit, geſtarum faciem lectoribus ob oculos poneret. Quod ad fontes attinet, unde ſua hauſit, ſi regnum *Caroli II* ſpectes, ex ſubſidiis, quæ plura ei ſe obtulerunt, quam de rebus ejus ſtrictim breviterque pro inſtituti ratione dicturo opus eſſet, conſuluit inprimis *Guil. Templium*, *Welwoodum*, *Echardum*, & *Gilb. Burnetum*. Hiſtoriam *Jacobi II*, ab Autore vitæ *Guilielmi III* ſine partium ſtudio ſcriptam, una cum Autoribus laudatis ad eorum Regum res geſtas concinnandas adhibuit. Quod ad *Annæ* ac *Georgii I* tempora attinet, nihil aut parum in vulgus emanavit eorum, ſine quorum tamen prævia notitia accuratior, & ad cauſas ſuas quoslibet eventus revocans, hiſtoria regni utriusque conſiſtere nullo modo poteſt. Proſtant tamen Acta publica, ex quibus colligi potiora, atque ita, ut legi cum fructu nonnullo ſeries rerum tum temporis geſtarum queat, literis mandari, poſſunt.

Labor vero in continuando denuo hoc Chronico *Bakeriano* exantlandus hoc minus faceſſere negotii Editori potuit, quod inſtituti operis brevitas non ferret, ut plures in ſubſidium vocaret Scriptores, ex iisque ſingularium rerum enarrationes uberiores peteret, quippe in ſimili libro locum non habituros. Nihilo minus, ut genio hominum ad recentiora, quam vetuſta, plenius cognoſcenda proniorum obſequeretur, haud paulo pluribus omnia proſecutus, ſuis, quod annalium proprium eſt, annis aſſignavit omnia, quæque in comitiis peracta ſunt, concinno inprimis ordine tradidit, ſine quorum notitia, ſi noviſſima

tempora ſpectes, hiſtoria Anglicana utique mutila cenſenda eſt. Quemadmodum vero in prioribus hujus Continuationis partibus ſibi utcunque ſatis officio ſuo feciſſe videtur, ita, quod ad noviſſima tempora *Annæ*, totiusque regni a *Georgio I* ſuſcepti, ſeriem attinet, fatetur ingenue, ſe non niſi congeriem rerum geſtarum dediſſe, cauſas arcanas non ſatis edoctum, nec de viris illuſtribus noſtri temporis agendum putaſſe, nolentem quippe de meritis eorum variis judicium ſuum interponere. Ceterum exiſtimat, parum ſe gratiæ initurum a Lectoribus plerisque, ſi perpetuó dictorum a ſe laudaſſet teſtes, aut rationem ſententiæ ſuæ reddidiſſet, fretusque integritate ſua & ſtudio in veritate indaganda a ſe adhibito, peritiorum judicio omnia ſubmittit, imperitos, ne plus ſibi, quam par eſt, arrogent, hortatus. Omnium quidem civium ſuorum in patria, partium ſtudiis adeo diſtracta, ſuffragia ſe non laturum, facile prævidet; in ceteris tamen ab ſe invicem diſſidentes conſentire in hoc ad unum omnes obſervat, ut, conſtitutionem reipublicæ in Anglia eam obtinere, ſibi perſuadeant, qua melior optatiorque fingi haud poſſit. Qua in re minime falli eos, Autor in Præfatione uberius, inſtituta cum aliis Rebuspublicis regnisve celebrioribus, quæ vel viguerunt olim, vel adhuc vigent, comparatione, oſtendere conatur.

ORBIS SACER ET PROFANUS ILLUſtratus. Pars ſecunda, Europam complectens. Volumen I, in quo de Italia, ejusque Provinciis, Pedemontio, Liguria, Inſubria, Venetia, & Ditione Pontificia. Opus Eccleſiaſticæ & profanæ Hiſtoriæ, nec non Geographiæ, ſtudioſis apprime utile. Autore P. FRANCISCO ORLENDIO, Ordinis Prædicatorum Magiſtro, et in Univerſitate Piſana Theologicorum Dogmatum Publico Profeſſore.

Florentiæ, typis Bernardi Paperini, 1731, fol.
Alph. 9 plag. 3.

Si

Si vino generoſo hedera opus foret ſuſpenſa; tum Operi huic etiam præconia eſſent impertienda. Verum ſalva res eſt, quæ per ſeſe loquitur ipſa, nec *Orlendium*, qui exigit hic monumentum ære perennius, mori unquam patitur. In *Parte prima* is, veterem Romani Imperii Notitiam ſecutus, eas duntaxat orbis terrarum partes, earumque Diœceſes ac Provincias, expoſuit, quæ vel Romano parebant Imperio, vel ejus finibus erant conterminæ. Qua de cauſa Autori tunc neceſſe quidem fuit, Europæ nonnullas, Aſiæ vero & Africæ plurimas, Regiones ac Inſulas præterire. Verum eccleſia Chriſti latius patet, quam olim Romanorum vexilla fulſerunt. Ne qua igitur huic Operi deſit eccleſiarum omnium, quæ ubivis gentium diſperſæ ſunt, cognitio; hoc Volumine & ſequentibus Ven. *Orlendius* eas regiones & provincias luſtrandas & exponendas decrevit, in quibus doctrina Chriſti vel radices egit, vel diſſeminatur. Primum igitur afferet ea, quæ ad Europam ſpectant; quo facto progredietur ad Aſiam, Africam, & Americam, copioſe ediſſerendam. Undenam *Europa* fuerit dicta, diverſis diſtractum magis, quam evolutum, eſt ſententiis. Ad fabulas origo refertur Europæ raptæ ultima. *Bochartus* ex lingua Palæſtina expedivit originationem, &, Europam a candido incolarum vultu dictam, exiſtimavit. Eſt, qui Africam putat dici quaſi הפריקא *diſcretam* ac *divulſam*, eo quod anguſtiſſimo Iſthmo & mari Arabico ſeparatur ab Aſia, ab Europa vero diſterminatur Oceano mediterraneo. Idem, partem Anatoliæ olim cognominatam fuiſſe *Aſiam*, putat, quaſi *divinam*, a fertili ſolo, & incolis primis ſat felicibus; *Europam* vero quaſi *deſolatam* & *disjectam*. Concluditur hoc *Volumen Libris tribus*. *Primo* exponuntur Italiæ nomina, ſitus, limites, portus, montes, lacus, flumina, ubertas, commoda, populi veteres, antiqua & recens Provinciarum diſtributio. *Secundo* Provinciæ deſcribuntur ſuperioris Italiæ. *Tertio* explanatur pars Italiæ media. Ut, Europam deſcripturus, ab Italia primordium caperet, datum eſt dignitati Romæ, ac honori, quem quisque patriæ ſuæ præſtare ſtudet. Italia variis cognominibus quondam affecta fuit. Appellatur enim *Janicula*,

Pag. 73 ſeq.
369 ſeq.
3 ſeq.

cula, *Oenotria*, *Auſonia*, terra *Aboriginum*, *Saturnia*, *Cameſene*, *Heſperia*, *Italia*. Olim quidem Janicula exſtitit pars Latii, ſi qua fuit Janicula: Oenotria a Siculo freto usque in ſinum Tarentinum & Poſſidoniatem patuit: Auſonia a Promontorio Lacinio usque ad Salentinos fuit extenſa, urbe Cales memorabilis: Aborigines in Latio habitarunt, ab Auſonibus diverſi. De *Cameſe*, imperii conſorte cum *Jano*, pleraque ſunt incerta. Cameſene terra ad fabulas ſpectat. Heſperiam dixerunt Græci terram omnem, quæ ipſis ad occaſum objecta videbatur. Eadem ratione Phœnices appellarunt gentes ad Occidentem poſitas כִּתִּים. Longitudo & latitudo Italiæ variat pro terminis, qui menſuram ingrediuntur. De dotibus Italiæ, ſitu, opportunitate contra hoſtium incurſus, de portubus, eorumque commodis, de Alpibus, Apennino, Lacu-
Pag. 13 ſeq. bus Italiæ, Traſimeno, Vulſinienſi, Albano, Nemorenſi, Fucino, Fundano, Lucrino & Averno intra Campaniam, Verbano, Lario, Benaco, & Sebino, præcipue de lacubus Venetiæ & Iſtriæ, proferuntur exquiſita. Nec indicta abeunt Italiæ flumina, eorumque princeps, Padus, & porro Atheſis, Ticinus, Ad-
25. dua, Mincius, Tiberis, Arnus. Lacum Traſimenum nunc vocari *Lago di Perugia*, facile conſtat. Vulſinienſem vero dici nunc *Lago di Bolſena*, haud adeo innotuit. Cœli temperiem, ſoli ubertatem, animantium, metallorumque, & vini copiam,
41 ſeq. oppida admodum multa, & Italorum ingenia præſtantiſſima,
51. jure ſuo Autor evehit juſtiſſimis encomiis. *Noachum* in Italiam veniſſe, ei fit incredibile, rato, a *Cetia*, urbe Latii olim populoſa, dictos fuiſſe *Chittim Dan. XI, 29, 30.* De Auſonibus, Opicis, Campanis, Sabinis, Picenis, aliisque Italiæ priſcis gentibus, ſolide & fuſe idem commentatur. Romani Italiam
69. diviſerunt in XVII Provincias. Defuncto *Honorio*, forma Provinciarum illa fuit turbata. Ad ſuperiorem Italiam, quam Ven. Autor *Libro ſecundo* luce gratiſſima perfundit, præter ſeptem Ducatus ac tres Respublicas, referuntur Tridentinus Principatus, Metropoles Taurinum, Genua, Mediolanum. Præterea ſeparatim hic exponi videmus Epiſcopatus ſex, Venetia-
76. rum, Caſalis, Parmæ, Mutinæ, Mantuæ, & Tridenti. Eporediam,

rediam, nunc *Jurea* dictam, ejusque Marchiam, *Fridericus II*, Imperator, & *Wilhelmus*, Hollandiæ Comes, perhibentur A. 1242 *Thomæ*, Sabaudiæ Duci, dono dediſſe. Piſani a die annuntiationis B. Virginis annum diu computarunt. Piſanos inter & Genuenſes, de Corſica Inſula decertantes, *Innocentius III* pacem ea lege compoſuit, ut eccleſiæ Genuenſi jus Metropoleos, Piſanæ autem primatum Sardiniæ, conceſſerit. Pag. 86.
De Vintimilia, *Aproſii* patria, aſſeruntur ſatis digna memoratu *pag. 89*. Lunenſis ager, vulgo *Lunigiana*, appellationem urbis 90.
Lunæ, diu everſæ, indicat. Ex Lunæ ruderibus oppidum Sarzana exſtructum tradunt. Caſalis A. 730 a *Luitprando*, Langobardorum Rege, fuit condita. 93.
Succedunt origines, primæ ſedes, migrationes, ac bella Langobardorum. *Rothari*s, Rex Langobardicus primus, leges condidit, a *Luitprando* auctas. 94 ſeq. 110.
Fatis Mediolani digne percenſendis integrum Caput fuit impenſum, a Gallis quondam conſtructi, a *Carolo M.* exornati, a *Friderico Abenobarbo* everſi, ac nihilo ſecius reflorentis, quod anſam calamis terſiſſimis & ſcribendi copiam ingeniis præſtantiſſimis ſuppeditavit. 113.
Adduntur Epiſcopi & Archiepiſcopi, nec non Martyres. Primus Præſulum fuiſſe fertur vir Apoſtolicus, *Barnabas*. 137 ſeq.
Cantum alternum, ſeu Antiphonas, in Oriente inſtituerunt Seculo IV *Diodorus* & *Flavianus* Antiochiæ, quos *Ambroſius* imitatus eſt Mediolani. 164.
Circa A. 1158 inventa hic fuerunt trium Magorum corpora, referente *Roberto de Monte*. Ad A. 1163 ea tranſtulit inde *Rainaldus*, Archiepiſcopus Colonienſis, teſtibus *Neubrigenſe* & Chronographo Affligemenſi. 168.
Merita S. *Caroli Borromæi* deinceps celebrantur. 171.
Scholæ Mediolani florent 190. Epiſcopi Mediolanenſes nunquam duxerunt uxores. 174.
Schiſma ſimoniacum exponitur copioſe. Mediolanum *Athanaſius* vocat *metropolin Italiæ*, quod Noſter ita exponit, ut *Italia* denotet Diœceſin ex ſeptem Provinciis compoſitam, nequaquam vero Italiam latiſſime patentem. 209.
Summa orationis ad Ticinum procurrit. 220 ſeq.
Additur ejus recenſioni Appendix de inventione Corporis Divi *Auguſtini*, Hipponenſis Epiſcopi, quod Ticini tradunt A. 1695 repertum, 234 ſeq.
ſuffragante ſcriptorum veterum, quantum ad translatum eo corpus

Pag. 327 ſeq. corpus attinet, teſtimonio. Ad Venetias illuſtrandas nil ope-
332. ræ intermiſſum. Mulieres Venetæ, auro interdicto, in gemmas & uniones intendunt curas permultas, nudumque pectus,
344 ſeq. nudasque mammas in publico præ ſe ferunt & oſtentant. Ad Aquilejæ originem, ſitum, & fata, afferuntur haud tralatitia.
366. De Tridento adjiciuntur haud pauca, *Jani Pyrrhi Pincii* Catalogus Tridentinorum Antiſtitum pro mendoſo reputatur, ac ita *Liber ſecundus* clauditur. *Liber tertius* aperit ampliſſimam de Roma tractationem, de duplici Latio, veteri & novo, Romæ primordiis rudibusque initiis, Romulo, urbis conditore, curiis, tribubus, Regibus ipſis, forma reipublicæ varia, regionibus, amplitudine, Capitolio, collibus, portis, pontibus, viis-
385. que. Inclyta illa urbs eſt *ſepticollis*. Exponitur porro eccleſiæ Romanæ exordium, exponuntur Regiones, exponitur origo Cardinalium. Numerus ex decreto *Sixti V* ſeptuagena-
456. rium excedere haud debet. *Tituli* ſtilo eccleſiaſtico vocantur Parœciæ ſeu Diaconiæ erectæ, quibus præſunt Presbyteri & Diaconi. Unde *Baronius* ad A. 378 admonet, nec Presbyterum aliquem Cardinalem ſine titulo, nec titulum quempiam ſine Presbytero Cardinali, illic poſſe reperiri. Tituli demum luculenta fit mentio in Actis Concilii Romani, ſub *Symmacho*
457. Papa convocati. Ad Secula *VI*, *VII*, *VIII*, & *IX*, occurrunt *Presbyteri* ac *Diaconi Cardinales* aliarum quoque, præter Romanam, eccleſiarum. Poſthac autem ſolis Romanis ea
483 ſeq. gloria exſtitit propria. Contra *Gilbertum Burnetum*, qui in *literis de Itinere Italico* cœmeteria vulgo ſic dicta, quæ *Seculum quintum* anteceſſiſſe tradantur juxta Romam, fuiſſe gentilium aſſeruit, Autor ex libro Pontificali evincere ſtudet, cœmeteria illa omnino a Chriſtianis fuiſſe in via Appia olim inſtituta. Utiliſſimum eſt lectoribus Bullarum Pontificalium, quæ vocantur protectoria, Caput quartum & octavum, quibus
487 ſeq. recenſentur eccleſiæ ſeu tituli, unde cognominati fuerunt Epiſcopi, Presbyteri, ac Diaconi Cardinales. Cum titulus eccleſiæ idem ſignificet ac parœciam & eccleſiam ipſam, fit veroſimile, compendium ſcripturæ, quo geminum *cc* vel apparens *tt* deſignatum eſt, initio ex voce *eccleſiæ* fuiſſe ortum.

Lectum

Lectum vero fuit id *titulo* vel *tituli* jam inde propemodum a Seculo V & VI. Qualia mutatæ lectionis exempla paſſim ſunt obvia. Pontifices Romani recenſentur Capite VI capitulatim. Pag. 528 ſeq.
Catalogus Romanorum Pontificum, ab *Anaſtaſio* conditus, quantum ad editiones ſpectat egreſſas in lucem, ſcatet adhuc mendis & erroribus chronologicis. Decem catalogos collegit *Antonius Pagi. Benedicti XIII* vitæ Caput ſeptimum eſt proprium. Egregie expoſita eſt *Urſinæ* familiæ vetuſtas, nobilitas, 576 ſeq.
& Principatus, quæ certe cunctis elogiis eſt ſuperior, dummodo ad ſtudium promovendi inſignes literas reſpicimus, & reliqua ſumma merita tantiſper ſeponimus. Circus Flaminius Romæ dictus fuit *Agon*, ludique ibi initi vocabantur *certamina agonalia.* Inde cognomen eccleſiæ S. Agnetis in Agone. Autor illam *Auguſti* ex oraculo Delphico ſciſcitationem ac re- 503.
ſponſionem de Chriſto nato, a *Nicephoro Hiſt. Eccl. Lib. I Cap. 17* perſcriptam, habet pro vera *pag. 506.* Epiſcoporum Cardinalium, Oſtienſis, Portus Romani, Sabinenſis, Præneſtini, Tuſculani, & Albanenſis, templa ac urbes, unde exorta eſt cognominatio, egregie idem pertractat. Habemus hic quoque topo- 601 ſeq.
graphias hiſtoricas Tiburis, Signiæ, Anagniæ, Ferentini, Veruli, Alatri, Terracinæ, Priverni, ac Setini. Qui Pontificum literas bullatas, earumque ſubſcriptiones, perluſtrant, inveniunt hic ea, de quibus ſibi poſſint gratulari. Nulla enim eccleſia hic abiit intacta, cui *titulum* Epiſcopi Cardinalis, vel Presbyteri aut Diaconi Cardinalis, Romani quondam Pontifices adjunxerunt. Hinc Scriptor divertit ad civitates Tuſciæ, Romano Pon- 624 ſeq.
tifici ſubjectas, Sutrium, Viterbium, civitatem Caſtellanam, Balneoregium, Caſtrum, Montem Faliſcum, Aquenſem civitatem, Orvietum, Peruſiam, easque copioſe ac digne deſcribit. Inprimis rerum eccleſiaſticarum ubique ratio fuit habita. Eodem ordine Umbriam luſtrat ac expedit, nec non Picenum, 686 ſeq.
Flaminiam & Æmiliam, Ravennam, Ferrariam, ac cetera Papis Romanis ſubjecta loca, Bullis paſſim inſertis, Diplomatibus allatis, & catalogis Epiſcoporum hinc inde emendatis. Gratulamur Autori de laurea, tanto opere digna, proxime *Volumen II* recenſuri.

HISTOIRE DES ROIS DE POLOGNE, &c.

h. e.

HISTORIA REGUM POLONIÆ ET RErum notatu digniorum, quæ ab origine ejus regni ad hæc usque tempore geſtæ in eo ſunt. Nova editio, correcta, & aucta duobus Voluminibus, in quibus continuatio interregni ſiſtitur, Tabuliſque Geographicis exornata, Autore P. MASSUET.

Tomi V.

Amſtelodami, apud Franciſcum l'Honoré, 1734, 8.

Tom. I Alph. 1 plag. 5, Tom. II Alph. 1 plag. 10, Tom. III Alph. 1 plag. 5, Tom. IV Alph. 1 plag. 2, Tom. V Alph. 1 plag. 2.

Ediderat Autor Hiſtoriæ hujus, ſcribendi argumento a recentiſſimis temporibus ſumto, vitam *Friderici Auguſti*, Regis Polonorum omnium deceſſorum ſuorum laudes longiſſime ſupergreſſi, eique fuſam interregni, quod poſt *Joannis III* fata in Polonia obtinuit, narrationem præmiſerat, addita rerum, quæ ſub initium noviſſimi interregni geſtæ ſunt, uberiori deſcriptione. Is liber, utcunque nævis ſuis, quos nimia feſtinatio pepererat, non deſtitutus, non modo inter Batavos cupidiſſimos emtores invenit, ſed & Gallorum in ſe ſtudia convertit, qui duas ejus editiones procurarunt. Id permovit Autorem, ut quarta eum jam vice, atque adeo haud paulo emendatiorem, & duobus Voluminibus auctiorem, itemque Tabulis Geographicis quatuor, Poloniam, Moſcoviam, Germaniam, & Italiam, exhibentibus, exornatum prelo excudi juſſerit. Conſtat nempe *Tomis quinque* Hiſtoria hæc, quorum primus ſiſtit Cl. *Jollii* de regno Poloniæ magnoque Ducatu Lithuaniæ Commentarios, quos ille titulo Hiſtoriæ Polonicæ Lithuanicæque (*Hiſtoire de Pologne & du Grand Duché de Lithuanie*) A. 1698 Amſtelodami apud *Danielem Pain* edidit. Duas in Partes diviſi illi ſunt, quarum *prior* Poloniam ipſam ejusque ſtatum civilem, poſterior Ducum Regumque ſeriem,

com-

complectitur, qui non tantum ipſi ſuccincte perſpicueque deſcribuntur, ſed & interregna, quæ non contemnendam Hiſtoriæ Polonicæ partem efficiunt. Nemo vitio Autori vertet, Hiſtoriam hanc *Jollianam* Operi eum ſuo attexuiſſe: contra plerisque gratum accidet, hiſtoriæ *Auguſti* fuſius deſcriptæ adjunctam habere totius hiſtoriæ Polonicæ epitomen non inconcinnam. Id deſiderabunt nonnulli, non monuiſſe Autorem noſtrum in notulis quibusdam ſubjectis, ſi quando narrat *Jollius*, quæ recentiſſimis temporibus non congruunt, cujusmodi eſt Ruſſici regni deſcriptio, *Stephani Batbori* rebus geſtis a *Jollio* ſubjecta, in qua *Petrus I* hodie Ruſſis præeſſe dicitur. *Alter* jam Operis hujus *Tomus*, itemque *tertius*, vitam ac res geſtas *Auguſti* enarrat, ita, ut, quemadmodum prior ex ambobus ab interregno, quod *Joannis III* regnum excepit, orditur, ita poſterior in eo, quod *Auguſti* optimi fata ſecutum eſt, deſinat. Plerumque equidem Autor tritam ab aliis viam calcandam duxit; inſperſit tamen hic illic, quæ alii taciti præteriere, aut commemorata a ceteris uberius enarravit. Inprimis ſcripta publica, quæ, ut ad omnem, ita ad recentiſſimorum etiam temporum, hiſtoriam clariori in luce ponendam plurimum momenti afferunt, ac neque initio in omnium incidunt manus, & deinde facillime ſe conſpectui ſubducunt, & vel prorſus intercidunt, vel in magnis illis, quæ hodie tabernas librarias Bibliothecasque onerant, Collectionibus ſub magna aliorum hujus generis libellorum ſtrue deliteſcunt, ſubinde vel tota inſeruntur hic, vel in compendium redacta exhibentur. Sic, ut hoc potiſſimum exemplo utamur, dum electionis ratio, qua *Auguſtus* noſter, depulſo ſpe ſua Gallico competitore & æmulo, *Condio*, regni poſſeſſionem adiit, ponitur, occurrit 1) elogium, quo Galli *Condium* Polonis candidatum commendavere; 2) Oratio *Polignaci*, Abbatis, ad proceres comitiorum; 3) Reſponſio ejus ad literas Epiſcopi Cujavienſis, quibus is ſententiam ſuam de *Condio* ad regnum Poloniæ fruſtra adſpirante libere expoſuerat; 4) Confutatio reſponſionis ejus; 5) Literæ *Polignaci* ad Reginam viduam, ejusque reſponſio, ut & epiſtolium Regis Gallorum ad eandem. *Quarto* & *quinto* hujus

Digitized by Google

Operis *Tomo*, qui editioni huic acceſſit, quid ulterius ſub interregno noviſſimo geſtum in Polonia ſit usque ad adventum *Munchii*, Comitis, ſummique caſtrorum Ruſſicorum præfecti, Gedanum oppugnantis, Autor exponit ea ratione, ut &, quid ceteris in partibus Europæ interea acciderit, ſuo loco oſtendat. Neque hic monumenta publica deſiderantur, minus tamen grata futura Lectoribus, quod paſſim proſtant, & libri molem ſine graviori cauſa augent. In exprimendis accurate nominibus locorum hominumque propriis, quod ſolenne eſt externis ſcriptoribus, non debitam ubique diligentiam Autor adhibuit. Sic *Tomo III Sommerſtein* pro *Sonnenſtein*, *Pagnaſchi* pro *Lagnaſco*, *Tippelovalad* pro *Dippoltswalda*, *Einſilden* pro *Einſiedel*, & *Tomo V* aliquoties *Baronſtein* pro *Bartenſtein* legas, ut alia taceamus.

COURS DE SIENCES &c.

h. e.

CURSUS SCIENTIARUM, PRINCIPIIS novis ac ſimplicibus ſuperſtructus, ad formandum ſermonem, intellectum, & voluntatem, in communi vitæ uſu, Autore P. BUFFIERIO, e Soc. Jeſu.

Pariſiis, apud Guil. Cavelier & Petr. Franc. Giffart, 1732, fol. Alph. 8 plag. 7.

Magnam humaniorum literarum & Philoſophiæ partem præſenti Volumine inſignis Philoſophus Gallus complexus eſt, *Buffierius*: collectis iis ſcriptis, & aliquantum auctis, quæ antea ſeparatim, minori forma, non ſine multorum applauſu, ediderat. Diſciplinas phyſicas partim propterea ſe omiſiſſe ait, quod ſatis hodie excultæ ſuam operam non deſiderent, partim quod meris conſtent conjecturis, magis vel minus ingenioſis: mathematicas vero ea de cauſa, quod ad communem vitæ uſum non pertineant. Condonandum id putamus Viro de cetero ſane docto, facundo, perſpicaci, atque ingenuo.

genuo. De cujus præclaro Opere ut eo rectius judicari poſſit, nunc ſingulas ejus partes, earumque ordinem & nexum, ſecundum ſciagraphiam, quam ipſe Autor præmiſit, ſuccincte exponemus. Et primum quidem locum *Grammatica Gallica* occupat, ſatis per orbem celebrata, quam ita Autor compoſuit, vulgaria vitans incommoda, tanquam nulla ante eam Grammatica extitiſſet. Baſin dicit omnium ſcientiarum, quod ii haud agnoſcant, quibus res minutæ videantur in plerisque Grammaticis obviæ. Sermonem in ea ſiſtit velut imaginem noſtrarum idearum, quas rite cognoſcere, diſcernere, & componere, docet. Oſtendit, quid arbitrarii adjiciat uſus ad voces primitivas, quæ primas idearum noſtrarum ſimplicium imagines formant, atque id agit ſedulo, ut termini accurate explicati non niſi ideas diſtinctas imaginationi exhibeant; quo fit, ut intellectus ambiguis expreſſionibus ſe decipi non facile patiatur. Præterea ceteras plerasque hæc Grammatica magnopere antecellit, cum generatim, in ſtudio linguarum reddendo faciliori, tum præcipue, in minuendis regulis linguæ Gallicæ, & in formando ſtilo atque elocutione: id quod veluti manu ducit ad duas facultates, in quibus uſus Grammaticæ potiſſimum excellit, *Eloquentiam, & Poeſin.* Ut enim Grammatica nos loqui docet, quo ab aliis intelligamur, ita Eloquentia, quam proinde poſt Grammaticam Autor explicandam ſumit, conſiſtere dicitur in facultate, aliorum animos, quo modo cunque velimus, ſermone afficiendi. Hinc ſæpe multum eloquentiæ apud ipſam plebem, & parum contra in certis ſe reperire Orationibus, Autor contendit, quæ uſitatis Rhetorices regulis omnino ſint conformes. Maximum Eloquentiæ momentum in *Expoſitione* ponit, hoc eſt, in eo, ut una eademque res vario adſpectu illuſtrata repetatur. Nam talis expoſitio, inquit, dum eandem veritatem multis inculcat modis, animum auditoris ad id veluti affigit, quod primo intuitu haud ſatis perſenſiſſet: varietas illa & conſenſus non minus pungit, quam placet. Quod ad exempla attinet, integras variorum Autorum de vario genere Orationes affert, quo eo melius perſpici poſſit tota diſpoſitio & ſcopus, oſtendens ſub cujusque finem, quo

loco regulæ magis vel minus fuerint obſervatæ. Similiter *Poeſin* pertractat, quam ita definit, ut ſit genus eloquentiæ, propter frequentes metaphoras atque allegorias incitatius, in quo verſus loco proſæ, & fictiones pro ratiociniis, adhibeantur. Poſtquam de ſtylo poetico varia diſſeruit, utilitatem, & fines, & genera carminum perſequitur, atque integra, exempli loco, poemata proponit & examinat. Grammatica, Rhetorica, & Poeſis, cum circa ſermonem occupatæ id doceant, quo pacto ideæ noſtræ ſint verbis rite enuntiandæ, idearum vero accuratæ enuntiationes nullæ eſſe poſſint, ubi ipſæ ideæ non fuerint exactæ, hinc iſtis diſciplinis, quæ communi literarum humaniorum vocabulo comprehenduntur, Logica ſuccedere plerumque ſolet. At Autor noſter, intuens, quod Logica ſit ſcientia conſequentiarum, quarum omnis valor a principiis dependeat, quibus innituntur, ſcientiam principiorum ſcientiæ conſequentiarum præmittendam duxit. Itaque ante Logicam de *primis veritatibus, idearumque noſtrarum origine*, tractat. Primas veritates dicit eſſe propoſitiones adeo claras, ut nec probari, neque impugnari, poſſint, per alias magis claras. Eas partim ſenſu interno, partim ſenſu communi, id eſt, conſenſu hominum, fundari memorat. Principium *ſenſus communis*, ante ſe minus celebratum, neque tamen non verum & neceſſarium, hoc modo definiendum putat, ut ſit diſpoſitio hominibus univerſis vel certe plerisque a natura indita, ad ferenda, cum primum ad uſum rationis pervenerint, judicia conformia, de iis rebus, quas per alia judicia priora cognoſcere nequeunt. Ita non ſenſum internum, ſed ſenſum communem, nos docere arbitratur, res alias in mundo præter nos exiſtere: in iisque rebus eſſe aliquid haud mere arbitrarium, quod veritas, ſapientia, & prudentia, dicatur: item, nos præter mentem etiam corpus habere, cujus proprietates a proprietatibus illius differant. Siccine vero talia ſcire nequeat, qui in ſolitudine conſtitutus conſenſum generis humani neſcit? Siccine ſenſus & conſenſus communis ſine ſenſu proprio & interno exiſtat? Vidit Autor novæ ſuæ doctrinæ difficultates, atque ad eas nonnulla reſpondit: an ſatisfecerit, orbis terrarum conſenſui re-

lin-

linquendum eſt. Jam, quod ad *Logicam* attinet, eam generatim pro organo veritatis habendam eſſe negat. Sciri enim, inquit, & præclare exerceri Logica poteſt, quamtumvis falſis conceptibus repleta mens ſit. Nam, poſitis falſis principiis, quo accuratiores fuerint conſequentiæ, hoc ineptiores easdem eſſe, neceſſe eſt. Ergo objectum Logices eſt connexio conſequentiarum cum ſuis principiis. Quodſi conſequentia recte ſe habet, falſum autem principium eſt, veritas logica exiſtit una cum falſitate reali. Adeoque naturale, imo neceſſarium, Autori videtur, ex principiis atque ideis, animo rite præſentibus, juſtas nectere concluſiones, ut ne inſanos quidem ac dementes non recte ratiocinari cenſeat. Attingere te quispiam veretur, inquit, hanc afferens rationem, ne te forte frangat: amentem ideo putas: ſed falleris: etenim rectiſſime rationem concludit, quippe qui te vitreum exiſtimat. Legitima connexio, principium ſtultum eſt. Quid? ſi aliquis ex doctrina Cl. Autoris concludat, ſcientiam atque artem logicam, iſto pacto conſideratam, vel nullam eſſe, vel certe penitus ſuperfluam, cum neceſſario recte ratiocinentur omnes? Nonne etiam hæc ratiocinatio, tanquâm neceſſario vera & juſta, admittenda erit? Sed bene eſt, quod animum ad eam non attendit Autor, ne forte Logicam, vel potius Logicas, (nam duæ ſunt) non edidiſſet ſuas, quibus tot res præclaræ continentur. Harum altera novem abſolvitur Epiſtolis, ad Virum nobilem ac perſpicacem, ſed literis haud imbutum, ſermone plano ac perſpicuo exaratis. Altera paulo magis metaphyſica eſt, multa exhibens conſideratu digna. Sub finem, perinde ut in extremo Tractatu præcedente, adjectæ ſunt obſervationes quædam criticæ, quibus Autorum inprimis celebrium, cum veterum, tum juniorum, *Ariſtotelis*, *Carteſii*, *Gaſſendi*, *Malebranchii*, *Lockii*, *Croſæ*, aliorumque, Opera metaphyſica & logica examinantur. Sequitur Tractatus, qui *Elementa Metaphyſica* exponit, *ad captum totius generis humani accommodata*: itemque alius, qui inſcribitur, *Examen præjudiciorum vulgarium.* Alter principia tradit, alter exempla. Metaphyſica in exacta ponitur idearum noſtrarum analyſi, ita, ut rem quam-

que,

que, quovis adſpectu, accurate & diſtincte conſideremus. Hanc artem ne a plebe quidem abeſſe, Autor contendit, in rebus ad eam pertinentibus: nec quidquam fere magis metaphyſicum videri, quam ideas quorundam rabularum in lite forenſi, & ruſticorum, in obſervandis ſuis commodis verſantium. Hic Liber ſex Dialogis conſtat, paulo liberiori ſtilo conſcriptis, ut principia ſenſim, ac velut ſine ſenſu, inſinuentur. In altero hæc, & quædam alia de hoc genere, argumenta pertractat Autor: fieri poſſe, ut duo, in contrarias partes de una eademque re diſputantes, ratione æque nitantur: fœminas omnium ſcientiarum capaces eſſe: gentes feras ac barbaras nihilo infeliciores eſſe, quam politas: Philoſophos juniores in easdem nugas relapſos eſſe, quas veteribus exprobrarunt: omnes linguas in toto mundo æque pulchras eſſe: multitudinem malorum librorum perperam accuſari. De cetero non ſine ratione ſtatuere videtur, quicquid in plerisque Logicis, metaphyſicis, aliisque ſcriptis philoſophicis, cumprimis difficile occurrat, id fere quæſtiones eſſe aut frivolas, aut perplexas: quæ ſi clare exponantur, vel in chimæras abeant, nulla conſideratione dignas, vel res ejusmodi comprehendant, quas quilibet e vulgo capere non difficulter queat. Succedit doctrina morum, una ex omnibus vel maxime neceſſaria, quam Autor inſcribit, *de Societate civili, ac de modo ad felicitatem perveniendi, per felicitatem aliorum, quibuscum vivimus, a nobis promotam.* In hoc Libro oſtenditur, quo pacto felicitas hominum univerſorum ac ſingulorum inter ſe & cum virtute cohæreat. Summa eſt hujusmodi: felix eſſe deſidero: ſed vivo inter homines, qui etiam ipſi felices eſſe volunt: danda eſt opera, ut meam felicitatem promoveam, absque eo ut obſim felicitati aliorum, vel ita, ut hæc ſimul cum mea procuretur. Hoc principium & virtutem amabilem, & diſciplinam morum, quæ auſtera videtur adſpectu primo, quam maxime expetendam reddit: quanquam, ad perfectam felicitatem in hac vita nullo modo perveniri poſſe, fatendum eſt. In quolibet hujus Libri Capite exempla afferuntur, ex variis hiſtoriarum monumentis depromta, ad excitandam eo magis attentionem &

virtutis

Digitized by Google

virtutis ſenſum. Sub finem iterum additæ ſunt obſervationes pluſculæ de ſcriptis moralibus *Ariſtotelis*, *Ciceronis*, *Gaſſendi*, *Puffendorfii*, & aliorum. Principia hujus Tractatus introductionis loco ſerviunt ad alium, qui *veræ religionis demonſtrationes quam maxime ſenſibiles* complectitur. Hic ope trium propoſitionum docet Autor, nihil eſſe rationi magis congruum, quam ut fidem Chriſtianam ſequamur. Una eſt hujusmodi: nihil rationi magis convenit, quam ut ea credamus, quorum ipſe Deus autor eſt. Altera ita ſe habet: nihil rationi magis convenit, quam ut Deum eorum autorem credamus, quæ dicta ſunt a magiſtro, in quo tanta apparuit divinitus conceſſa autoritas, quanta fuit in Jeſu Chriſto. Tertia hanc habet ſummam: nihil rationi magis convenit, quam ut, Jeſum Chriſtum ea docuiſſe, credamus, quæ nobis tradita ſunt per miniſterium, a Chriſto ipſo conſtitutum. Hic Tractatus nondum antehac editus fuit. Reſtant ſcripta tria. Quorum unum illuſtrationes difficultatum, contra varios Autoris libellos propoſitarum, comprehendit: alterum Commentationem de methodo, ſive ſtudio, ſcientiarum: tertium Diſſertationes ſeptem varii argumenti, inter quas una eſt de Muſica, & alia de origine & natura juſti atque æqui. Finem Index rerum facit haud contemnendus.

GOTTFRIDI ERNESTI FRITSCHII JUS Publicum Univerſale et Pragmaticum, methodo ſyſtematica nova ratioue elaboratum, et ex uno principio indubio deductum. Accedit Meditatio ad Auguſtiſſimi Imperatoris Romanorum CAROLI VI Sanctionem Pragmaticam, anno ſuperiori edita, nunc recognita, et plurimis novis argumentis firmioribus aucta.

Jenæ, apud Jo. Rudolphum Crœkerum, 1734, 8. Alph. 1 plag. 20.

Habet hanc præcipuam laudem Juris Publici Univerſalis ſcientia, ut neque rerumpublicarum rectores, ſi recte fungi

velint ſuo munere, neque JCti, qui jura imperantium defendunt, neque Pragmatici, neque Juris publici doctores & ſtudioſi, ea commode carere queant. Hinc præſtantiſſimi viri vel generatim pertractarunt hoc ſtudium, vel ſingulares ejus materias juſto perſecuti ſunt Commentario. Nihilo minus hoc nævo adhuc laborare videbatur Juris publici univerſalis ſcientia, ut alia ex aliis nexa, & omnes theſes inter ſe aptæ colligatæque, quemadmodum ſyſtematis ratio poſtulat, eſſent. Cui malo medicinam parare hoc ipſo libro ſtuduit Cl. Autor. Per *Syſtema* intelligit *complexionem veritatum Juris publici univerſalis, inter ſe quam aptiſſime cohærentium*, idque in ſyſtema redigi poſſe, neque quemquam eruditum hujus Juris nominari poſſe, niſi qui hac ſyſtematica cognitione ornatus ſit, late demonſtrat Autor. In quo concinnando hunc fere tenuit ordinem. *Primo* generale aliquod principium, quod *jus imperantis conſervandi rempublicam* eſſe, arbitratur, poſuit, & ex eo concluſiones derivavit. Deinde proprio indulſit ingenio, neque aliorum ſcriptorum teſtimonia in conſilium advocavit, vel, ſi quorum ſcriptorum mentionem fecit, eos hoc fine allegavit, ut harum rerum cupidis aditus ad cognoſcendos bonos Autores pateret. Exempla & facta illuſtria deſumſit ex hiſtoria regnorum & rerum publicarum, adhuc hodie florentium, ut eo facilius Lector uſum hodiernum Juris publici univerſalis ex ejus accommodatione ad ſingulas Reſpublicas intelligere queat. Opinionum allatarum veritatem firmis & invictis argumentis corroboravit, non additis adverſariorum, qui contra ſentiunt, argumentis. Inprimis elaboravit, ut, aliud ex alio nectendo, quævis res ex principiis, quæ præmiſerat, conciperentur. Nonnunquam Jus Naturæ & Gentium in ſubſidium vocavit, ſed raro & non niſi parciſſime, deditque operam, ut non aliunde, quam ex principiis Juris publici univerſalis, exordium rei demonſtrandæ repeteret. Demonſtrationes ejus paulo longiores interdum ſunt, ac methodi ſyſtematicæ ratio poſtulat, quod in eorum gratiam ſe feciſſe affirmat Cl. Autor, qui methodo huic non aſſueti ſunt, ne alioquin in obſcuritatis ſuſpicionem

Digitized by Google

cionem incideret. Aliorum Autorum ordinem ſtudioſe ſprevit, ex ſuis principiis rem deduxit, neque ipſe in Capita aut Sectiones Opus ſuum partitus eſt, quia magnopere verebatur, ne alioquin in intolerabilem ſervitutem ſe detruderet, & res alieno prorſus loco proferendæ eſſent. Ut eo facilius caput quodque Juris publici univerſalis reperiri queat, adjecit Indicem, & conſpectum, in quo nexus materiarum exhibetur, binasque cautiones, iis obſervandas, qui librum hunc perlegere volunt, addit: primo ne ante legant aliorum ſententias, quam penitus perſpexerint ipſius ſententiam ac rationes; deinde iis certiſſime perſuadet, tunc facilius de quibuslibet capitibus Juris publici, tam univerſalis, quam particularis, præcipue Germanici, exiſtimare poſſe, ſiquidem, id unice ſe egiſſe, aſſerit, ut omnia ad Jus publicum Imperii accommodari queant. Inde enata eſt tituli inſcriptio, *Jus publicum univerſale Pragmaticum*, quia in eo ejusmodi capita pertractavit, ex quibus difficiliora Juris publici particularis momenta cauſæque controverſæ publicæ dijudicari queant. In quem finem adjecit Meditationem ad Auguſtiſſimi Imp. *Caroli VI* Sanctionem Pragmaticam, quam ſuperiori anno ſine nomine evulgaverat, in qua ea, quæ in Jure publico univerſali commemoravit, capita ad facta hominum applicuit. In utroque Opuſculo ſatisfecit illis, quas ſibi præſcripſit, regulis, eorum morem, qui omnia ex primis Philoſophiæ principiis inconſulto derivant, ſollicite evitavit, regulas illuſtribus Principum magnorumque virorum exemplis confirmavit, & ubique accuratum methodi ſyſtematicæ ſectatorem egit. Quapropter Viro bono & ſalutis communis amanti, ut Jus Naturæ & Gentium, præſertim Jus gentium pactitium Europæum, ſimili ratione elaboratum, propediem in lucem proferre, & inſignem illam, quam de egregia doctrina ſua fecit, ſpem ulterius ſuſtentare queat, otium valetudinemque ex animo comprecamur.

DISCURSUS MEDICUS DE ABORTU, & medicamentis abortivis, item uterinis pellentibus, quo medicamentorum uterinorum, et inprimis abortivorum,

vorum, vis et qualitas, item an talia dentur? quæ pro talibus venditentur? et quid de illis ſentiendum ſit? disquiritur, varii caſus recenſentur et explicantur, atque aliæ quæſtiones, ad hanc materiam ſpectantes, dilucidantur. Opuſculum omnibus medicinam exercentibus neceſſarium et utiliſſimum. Autore
J. N. L. M. D.

Sine mentione loci, librarii, & anni, 4.
Plag. 10.

Vix equidem opus videbatur, ut, quandoquidem hæc Opuſculi inſcriptio ſat ampla & magnifica eſt, ejusque cum argumentum, tum pretium, prima fronte præ ſe fert, præter iſtam, plura exponeremus. Quoniam tamen Lectorum, ſi non omnium, quorundam tamen, intererit, ut ea paululum noſtris curis illuſtretur, id quidem paucis perficere conſtitutum habemus. Dolet ignotus Autor, poſt tot rejectas veterum Autorum fabulas, poſt tot in univerſa Medicina inventas excultasque veritates novas, veteribus incognitas, futilem tamen ſupereſſe de remediis ad movendum abortum idoneis opinionem, a nemine huc usque expugnatam, quam proinde velut alter Hercules, ad Augiæ repurgandum ſtabulum natus, aggredi decrevit. Idcirco *Capite I* de remediis, ut vocantur, uterinis, ſcilicet quæ menſes, abortum, molas, partum, ſecundinas, & lochia, proſicere vulgo creduntur, agit, vel potius eorum nomina ex *Schrœderiano* Indice inprimis enumerat, eaque non ſingulari quadam & ſpecifica, ut dici ſolet, virtute agere, ſed generatim nunc ſanguinem fluxilem reddere, nunc orgaſmum ejus, qui in menſtruo fluxu requiritur, augere, nunc uterum irritare vel roborare, &c. contendit. *Capite II* de abortu, ejusque cauſis, disquirit, quarum plerasque, ab Autoribus traditas, rarius ſufficere morbo gignendo, niſi jam vitium quoddam & infirmitas in utero adſit, arbitratur. *Capite III* remedia uterina, quæ ad abortum concitandum ex vulgari traditione comparata eſſe feruntur, ſigillatim, & potiora quidem, itemque

que medicamenta catharctica vehementiora, & venæ ſectionem, ſub examen vocat, eaque omnia, ſi unquam abortus cauſæ fuerunt, id non per ſe, ſed per accidens, effeciſſe, aſſeverat, cum inter complures, qui ejusmodi rebus uti conſueverunt, paucæ admodum illarum vim fuerint expertæ, ſimulque varias obſervationes practicas, ſive caſus, expromit. Denique *Capite IV* de tribus quæſtionibus, an ſcilicet ex inſpectione corporis ingravidatio, vel prægreſſus abortus, cognoſci queat? an Medico honeſto liceat, ſalva conſcientia fœminæ ſuſpectæ vel prægnanti medicamenta pellentia propinare? itemque mulieri gravidæ, in certis caſibus & in morbo acuto periculoſo conſtitutæ, ſervandæ matris cauſa abortum procurare? disquirit. Sane, ut miramur, aperte ab Autore noſtro ſcriptum eſſe, neminem unquam de remediis uterinis & abortum concitantibus data opera egiſſe, ita non facile credimus, quemquam argumentorum hic propoſitorum robore convictum iri, ut in Autoris ſententiam concedat, niſi eidem jam adhæreſcat. Vires enim, uti omnium remediorum, ita uterinorum quoque, non abſolutas, ſed limitatas & relativas, eſſe, & pro certa corporis conditione agere, prudentiores Medici dudum profitentur. Ut adeo ad hoc demonſtrandum Opuſculo hoc non admodum opus fuerit, quod partu non omnino maturo excluſum videtur, ſive ipſius tractationis, ſive verborum, rationem habeas, quæ, præter vitia gravia & numeroſa, per errorem typographi irrepta (Autoris ſtilo utimur), *Priſciano* ſæpius ſtomachum movebunt.

ATRIUM ASTRONOMIÆ, SIVE DE INveniendis refractionibus, obliquitate eclipticæ, atque elevatione poli, Tractatus, cui ſubjungitur Schediaſma de arte interpolandi &c. Autore PETRO HORREBOWIO, Philoſophiæ et Medicinæ Doctore, atque in Univerſitate Regia Havnienſi Aſtronomiæ Profeſſore.

Havniæ, apud viduam Hieron. Chriſtiani Pauli, 1732, 4, Plag. 16, cum Tab. æn. 1.

Qui ante hos decem annos *Clavem Aſtronomiæ*, a nobis in his *Actis A. 1726 Menſe Novembr. pag. 506* commendatam, fabricatus eſt Cl. Autor, idem ille hoc *Aſtonomiæ Atrium* cœleſtis illius artis amatoribus pandit, firmiſſimis ſubſtructum fundamentis, quippe quod nudis obſervationibus *B. Ræmeri*, Viri de aſtris immortaliter meriti, atque ab ipſo Autore ſumma cum cura inſtitutis, innititur. Cum Aſtronomiæ partem phyſicam in *Clave* ſua illuſtrare aggreſſus eſſet, potuiſſet aliquanto indulſiſſe videri hypotheſibus, quæ, licet ad veritatem ducant, aſſenſum tamen vix ab omnibus impetrant. Nunc vero, miſſis factis omnibus hypotheſibus, Elementa Aſtronomiæ, quod ad refractiones, obliquitatem eclipticæ, polique altitudinem, inveniendas attinet, ex ſolis obſervationibus tradere allaboravit.

Cap. I. Parallaxin Solis 20 ſecundorum minutorum aſſumit, quam *Caſſinum* ſolum 10 ſecundorum ſupponit. Nec vero parallaxis Solis ſola ſufficit determinandæ obliquitati eclipticæ, ſed præter accuratiſſimas obſervationes ad hoc negotium expediendum requiritur cognitio refractionum, quarum inveniendarum ratio plurimis involuta eſt tricis. Nec leges Phyſicæ & Mathematicæ, quarum ductu, in nonnullis altitudinibus datis vel poſitis refractionibus, integram refractionum tabulam condi poſſe, nonnulli ſperaverunt, nec modus, per calculum ex obſervationibus altitudinem Solis extra meridianum refractiones ejusdem in variis altitudinibus quærendi, ſatis ſe Autori commendant; quod utrinque per methodum eandem variæ refractionum tabulæ, variæ elevationes poli, variæ obliquitates eclipticæ, pro eodem obſervatorio producantur, obſervationes altitudinum extra meridianum, quippe ſolitariæ, incertæ ſint, nec ſicuti illæ, quæ in meridiano convenienter habitæ ſunt, ſuffragiis mutuis muniri queant. Has itaque methodos Autor, utpote partim falſas, partim minus tutas, linquit, meliora ſubſidia ſuppeditaturus, quorum ope, data parallaxi Solis certa, & certis obſervationibus inſtitutis, ad eam rem requiſitis, inveniri

II. queant refractiones minime incertæ. Quem in finem nonnulla de affectionibus atmoſphæræ, ejusdemque effectibus in producendis refractionibus, partim ex adverſariis *Ræmeri* exponit,

ponit, partim a ſe excogitata profert. Fatetur tamen, non eſſe ipſi methodum, quæ ope triangulorum refractiones radiorum explicet, atque determinet, quippe quam nunquam inveniri poſſe, plane ſibi perſuaſum habet. E tribus *Ræmeri* regulis: 1) Si obſervatoris caput ſit admodum vicinum atmoſphæricæ ſuperficiei, refractiones fierent, quaſi per ſuperficiem planam, videretque ille in eo ſitu refractiones omnium maximas; 2) Si obſervator ſit in centro atmoſphæræ, videbit refractiones nullas; 3) In ſpatiis intermediis videbit refractiones creſcentes, quo propius ad ſuperficiem atmoſphæræ adſcendat, colligit, in verticibus montium refractiones majores eſſe, quam ad radices eorum, & in eadem urbe non ubique valere eandem refractionum tabulam; verum in plano platearum refractiones eſſe minores, quam in turri quadam. Obſervationum, tribus diebus, 21, 22, & 23 Octobris A. 1706 inſtitutarum exemplar, nitide deſcriptum, ab ipſo *Ræmero* jam morituro Rev. Selandiæ Epiſcopo, *Chriſtiano Wormio*, commiſſum, aſſervatur in Conſiſtorio Academiæ, quo continentur obſervatio eclipſeos lunaris, quæ tunc accidit, atque obſervationes rectaſcenſionum ac declinationum omnium planetarum, atque ultra octoginta fixarum, quod cum deſcriptione obſervatoriorum Danicorum propediem integrum atque intactum edetur, & hic ab Autore noſtro ſolum, quod ad declinationes octo ſixarum circum polarium pertinet, ſolerter exſcribitur, atque in uſus præſentes egregie adhibetur, comparatione cum propriis Autoris obſervationibus, ante ferale incendium Havniæ habitis, inſtituta. Recenſet deinde refractionum obſervationes, quas Tuſculanas a prædio, in quo captæ ſunt, appellat: earumque ope ſiſtit ſtellas circumpolares cum Sole ad veras ſuas declinationes reductas: quo quidem in labore multum ipſi negotii faceſſivit error quidam machinæ, qua uſus erat *Ræmerus* in declinationibus obſervandis, quem admiſſum eſſe animadvertebat, ſed ejus quantitatem ignorabat, ſine qua tamen illæ nullius uſus eſſe poterant ad refractiones inde eruendas. Primo igitur declinationes polaris, in triduo *Ræmeriano* obſervatas, reducit ad obſervationes, per quadrantem a

Cap. III.

IV.

V.

ſe

ſe captas, altitudinum ejusdem ſtellæ, ſive, quod eodem recidit, invenit variationem declinationis polaris inter triduum *Ræmeri* & tempus obſervationum ſuarum. Deinde comparat declinationem polaris *Ræmerianam*, hoc modo reductam, cum illa, quam ipſe obſervavit, atque inde eruit differentiam declinationum harum, quæ complectitur errorem machinæ ſimul & refractionem polaris ſupra polum: atque hanc denuo cum differentia obſervata ſtellæ polaris infra polum & ſupra eundem conferens, inveſtigat reſiduum, quod denuo tum errorem machinæ, tum refractionem polaris infra polum, continet. Cumque ſic obtinuerit duas quantitates, quarum utraque errorem machinæ, ſed altera refractionem polaris ſupra polum, altera ejusdem refractionem infra polum ſimul, comprehendit, deprehendit, refractionem polaris infra polum ſuperare ejus refractionem ſupra eundem novem ſecundis: quod pluribus modis confirmatur. Jam Sol in ſolſtitio æſtivo & polaris culminans unam eandemque, ob rationes, ab Autore expoſitas, patiuntur refractionem, & viciſſim lucida capellæ, quæ infra polum in eadem fere obſervatur altitudine, qua ſol in ſolſtitio brumali, eandem, quam hic, requirit refractionem. Suppoſuit itaque, refractionem polaris culminantis, adeoque & Solis, in ſolſtitio æſtivo ad minutum primum adſcendere, ſed dicta differentia novem ſecundorum non prodiit, quæ tamen obtenta fuit, ſimulatque pro refractione culminantis polaris 57 ſecunda reciperentur. Unde porro derivato machinæ errore, per illum cognitum octo circumpolarium fixarum declinationes obſervatas corrigere datur, atque ſic earum refractiones certo determinare. Cum eadem methodo pro vera declinatione in ſolſtitio æſtivo prodeat 23°, 28′, 47″, patet ratio, cur tantam quoque obliquitatem eclipticæ, connumerata parallaxi, ſtatuat Autor. Tandem inquiritur, quanta futura ſit Eclipticæ obliquitas, ſi vel nulla, vel cum *Caſſino* 10″, vel cum Autore 20″, vel tandem ſuppoſitione pro lubitu facta 30″ parallaxis Solis reciperetur pro vera, atque oſtenditur, in prima hypotheſi fore dictam declinationem ejus maximam 23°, 28′, 48″ in *Caſſiniana* 23°, 28′, 47″, atque æque

Cap. VI.

magnam

magnam in Autoris ſuppoſitione, in ultima vero 23°, 28′, 46″. Sed, cum inter Aſtronomos conveniat, parallaxin ſolis, nec minorem *Caſſiniana*, nec *Horrebowiana* majorem, recipi poſſe, eademque maneat obliquitas eclipticæ in utraque hac parallaxeos ſuppoſitione: patet, erutam obliquitatem eclipticæ, ſive maximam Solis declinationem immotam manere, quamcunque parallaxin intermediam inter 10″ & 20″ recipiamus. Ingenioſus eſt modus, quo Autor utitur in detectione altitudinis poli pro turri Aſtronomica Havnienſi: licet ignorata refractione Solis in ſolſtitio æſtivo. Scilicet reſiduum veræ diſtantiæ polaris ſideris a polo, ab altitudine illius culminantis, exhibet eam altitudinem poli, quam Autor fictam appellat, propterea, quod in illa abundat refractio polaris pro altitudine 58°, atque differentia obliquitatis eclipticæ ab altitudine centri Solis in ſolſtitio æſtivo, a parallaxi liberata, ſiſtit altitudinem æquatoris, quam fictam ſimili compellatione vocat, quia denuo ſimul comprehendit refractionem Solis pro altitudine 58°, quæ cum refractione polaris in eadem altitudine coincidit: deinde a ſumma fictarum altitudinum poli & æquatoris demit 90°, quæ ſumma verarum harum altitudinum eſſe debet, reſiduique dimidium, quod eſt in illius exemplo 31″, exprimit refractionem Havnienſem in altitudine 58°, qua ulterius demta ab elevatione poli ficta, remanet vera 55°, 40′, 59″. Subjungit huic aliam methodum idem præſtandi, non minus ſcitam, hanc: Complemento altitudinis polaris ſideris culminantis obſervatæ addit diſtantiam veram ejusdem ſtellæ a polo, ſumma eſt altitudo æquatoris, ſed in qua tamen deſideratur refractio. Antea docuerat modum inveniendi fictam æquatoris altitudinem, quæ, præter veram, iſtam refractionem adhuc continet, quæ in ſumma modo indicata deſideratur. Addendo adeo hanc ſummam, quæ ab altitudine vera æquatoris deficit refractione, ſed quæ nondum cognita eſt, & fictam hanc æquatoris altitudinem; duplum veræ altitudinis æquatoris, adeoque & ipſa altitudo æquatoris, obtinetur. Ex quibus conſtat, differre refractiones Solis in ſolſtitio æſtivo in obſervatorio Tuſculano & turri Aſtronomica Havnienſi, quæ duobus ſo-

lum milliaribus inter ſe diſtant, 26 minutis ſecundis; unde patet error eorum, qui eandem refractionum tabulam applicant ad obſervationes, in diverſiſſimis climatis, atque a ſe invicem remotiſſimis obſervatoriis, habitas. Adderemus & tertiam methodum accurate definiendi altitudinem poli veram, niſi anguſtia ſpatii id prohiberet.
Cap. VIII. Ad altitudinem poli & æquatoris pro obſervatorio Tuſculano eruendam delapſus Autor, monet, *Ræmerum* A. 1704, cum obſervatorium Tuſculanum inſtauraret, ſerio cogitaſſe de illo in eadem latitudine cum turri Aſtronomica reponendo. Ex ipſis adeo obſervationibus tridui ſupra memorati, quæ ſolæ Tuſculanarum, eheu! poſt incendium ſuperſunt, geſtiebat poli altitudinem eruere: quam ob rem, cum ipſi facta eſſet copia illas inſpiciendi, nec quidquam huc conducens inibi reperiretur, hoc remedium adhibuit, ut inquireret, an eundem errorem machinæ, quem ſupra detexerat, admittant illæ obſervationes: quod cum ſic ſe omnino habeat, eandem etiam poli altitudinem Tuſculano & turri convenire judicat, quod & inſtaurator Tuſculani cupiverat. Si enim vel unico ſecundo augetur poli altitudo, oſtendit, ſtatim & errorem machinæ in captandis declinationibus augeri debere.
IX. Ex his omnibus conficitur tabula refractionum Tuſculanarum, ſeu Pilenburgenſium; hoc enim Tuſculano nomen eſt:
X. nec non Havnienſium, ſeu Uraniburgicarum.
XI. Varietas refractionum in locis editioribus atque humilioribus evincitur ex comparatione refractionum deductarum, & obſervationibus, in turri Aſtronomica & domeſtico obſervatorio habitis, quod inde verſus occidentem ducentos fere paſſus diſtabat: ubi oſtenditur, refractiones Havnienſes in turri & obſervatorio domeſtico in magnis altitudinibus convenire, in parvis differre; Tuſculanas vero Havnienſibus majores eſſe in magnis altitudinibus, in parvis minores: ut adeo certiſſimum ſit, nullam refractionum tabulam alibi, quam ubi ex bonis obſervationibus condita ſit, tuto adhiberi poſſe ſine examine.
XII. Eadem methodo deducit Autor elevationem poli pro obſervatorio Petropolitano ex altitudine utraque ſtellæ polaris, & apparente altitudine Solis in ſolſtitio æſtivo, quas cum ipſo Cel. *Inſulanus*

Digitized by Google

lanus (*de l' Isle*) communicaverat, Petropoli a ſe obſervatas, quæ eſt 30° 3′ 50″. His optimæ frugis propoſitionibus coronidem imponit Autor exhortatione ad inſtituendas obſervationes, illis ſimiles, quæ Triduo *Rœmeriano* continentur, quasque adeo fertiles ipſe expertus eſt, ut per omnem hunc libellum earum non ſolum ſit uſus ampliſſimus, ſed ipſe eum ulterius oſtenſurum ſe eſſe polliceatur aliis ſimilibus ſcriptis, quo per illas conſtare queat, an variationem per ſeculorum intervalla experiatur eclipt ices obliquitas, quod haud ita pridem cum Aſtronomiæ detrimento defunctus Eques Gallus *de Louville* credebat. Ut ab inſtrumentis eodem in loco ſituque per plurima Secula detinendis parum adjumenti ſperare liceat, & hujus rei difficultas, & ex obſervationibus Societatis Regiæ Pariſienſis, *Flamſtedii*, *Rœmeri*, quin & *Horrebowii*, deprehenſa oſcillatio axis telluris vel annua, vel, quod multo deterius, anomalica atque irregularis, efficit. Annexa ars interpolandi, ab Autore ante aliquot annos jam typis evulgata, tradit rationem implendi ſeriem numerorum e differentiis ſecundis: quæ, quamvis mereatur peculiarem recenſionem, ita tamen comparata eſt, ut niſi tota vix ſatis pro dignitate referri poſſit. Cap. XIII.

GEORG. ERH. HAMBERGERI, PHILOS. et Med. Doct. Elementa Phyſices, methodo Mathematica, in uſum Auditorii, conſcripta, cum Figuris æneis atque Indice. Editio altera.

Jenæ, ſumtibus hæredum Jo. Meyeri, 1735, 8. Alph. 2 plag. 3, cum Tabb. æn. 19.

Laudavimus hunc librum ſuo merito in *Actis* noſtris *A. 1727 Menſ. Decembr. pag. 540 ſeq.* Eum nunc Cl. Autor, priori methodo, ordine, & principiis ſervatis, prelo rurſus ſubjecit, ſed ita, ut multis partibus auctus & perpolitus appareat. Complura enim paſſim adjecta ſunt, partim ex propria Autoris experientia & meditatione, partim ex optimis juniorum Phyſicorum, inprimis *P. Muſſchenbrœkii*, monumentis deſumta, quæ argu-

Digitized by Google

mentis pertractatis non exiguam lucem affundere videntur. In fluidis, magnitudinem guttularum, pari proportione cum altitudine illorum fluidorum in tubis capillaribus, creſcere, Autor exiſtimat: neque tamen adhuc, inſtitutis ſufficientibus experimentis, ſibi ipſe hac in re ſatisfacere potuit. Regulam hydroſtaticam *Leibnitii*, de imminuta gravitate columnæ fluidæ, propter deſcendentia corpora, quæ prius innataverant, veram illam quidem, ſed ad explicandas cauſas mutationum barometri non ſatis idoneam, cenſet. Quod ad novam Cl. *Gerſtenii* hypotheſin de rore attinet, non dubitat quidem Nobiliſſ. *Hambergerus*, quin omnia ab eo allata phænomena recte ſe habeant; concedit etiam, maximam roris partem ipſarum plantarum quaſi ſudorem eſſe: imo ipſe aſſerit, non omnem roris deſcenſum fieri ex pondere particularum, ſed & ex motu a calore verſus corpora frigidiora; negat tamen, phænomena ſufficere ad deſcenſum roris ex pondere plane inficiandum, quippe cum, una re poſita, alteram propterea non ſtatim excludi, certum ſit. Plura adderemus, niſi, ea ex ipſo libro perdiſci, ſatius videretur.

AN ABSTRACT OF SIR IS. NEWTONS Chronology &c.

h. e.

COMPENDIUM EX ISAACI NEWTONI Chronologia regnorum veterum; Autore REIDIO. *Editio ſecunda.*

Londini, apud Wilh. Innys, 1732, 8.
Plag. 8.

Non male collocaſſe operam ſuam in concinnando hoc Compendio, Cl. *Reidius* videtur. Nam & ſuccincte & luculenter placita ſummi *Newtoni* proponit, & annotationibus non contemnendis illuſtrat. Adverſariis ſeparatim non reſpondet: quoniam ſatis eſſe putat, ad omnia eorum argumenta refellenda, ſi ſententia Autoris recte intelligatur. Ceterum,

cum

Digitized by Google

cum plebis *Ariſtotelicæ* morem ſecutus, in extollendo magiſtro ſuo, haud dubie maximo, nullum modum ſervat, verendum ſane eſt, ne ejus gloriam, quam augere conatur, etiam imminuat. Ita enim ille in extremo libro: Natus plane eſt *Newtonus* in honorem gentis ſuæ & univerſæ naturæ humanæ: gloria præſentis ſeculi, & admiratio ſequentium: procreatus, ut omne bonum humani generis perficeret, ut utiliſſimas & jucundiſſimas ſcientias hominibus traderet, atque ut errores corrigeret, antiquitate & autoritate ſummorum nominum tantum non ſacratos: qui unus nos plura docuit, quam univerſi ſuperiores Philoſophi conjunctim: qui adeo perſpicue explicuit naturæ myſteria maxime abſcondita, & difficillima hiſtoriarum loca, ut vix quidquam nobis reliquerit, quod admiremur, præter ſe ipſum: cujus memoria, ſi temporibus antiquæ Græciæ vel Romæ floruiſſet, ſtatuis aureis & ſummorum artificum ſpeciminibus digna fuiſſet judicata: vel potius, qui inter ipſos Deos fuiſſet relatus. Et in Dedicatione, magnus noſter magiſter, inquit, adeo ſollicite univerſas exhauſit ſcientias, ut ſumma, quæ nunc ſperari poſſit, gloria in ea re una poſita ſit, ut ab ipſo tradita intelligere, atque aliis interpretari, valeamus. Quæ vox, ut nihil aliud dicam, haudquaquam profecto ejus eſſe videtur, qui perſpicit, quam anguſti etiamnum ſint termini ſcientiarum noſtrarum, & quam parum iidem ampli ſint futuri, ſi vel mille adhuc exſtiterint *Ariſtoteles* & *Newtoni*. Condonanda tamen hæc Autori docto, & ingenioſo, & Anglo, tum memoriam incomparabilis *Newtoni* perpetuo colendam, & vere magni faciendam, arbitramur.

Q. TULLII CICERONIS COMMENTAriolum ad MARCUM, Fratrem, cum Annotationibus JACOBI FACCIOLATI.

Patavii, typis Seminarii, apud Jo. Manfré, 1732, 8 ch. maj.

Plag. 5.

Civibus ſuis ſalivam Romanæ eloquentiæ moturus, meliusque docturus, quæ *Ludovicus Dulcis* patrio ſermone perperam reddiderat, Cel. *Facciolatus*, cui eſt cum *M. Tullio Cicerone* æmulatio, prodire olim juſſerat hujus *Orationem pro Quinctio*, ſimul cum ſua Oratione, *Latinam linguam non eſſe ex Grammaticorum libris comparandam*, Patavii, 1713, 8, ut eſt videre in *Actis* noſtris *A. 1714 pag. 563 ſeq.* itemque cum Oratione *Ciceronis pro Sexto Roſcio Amerino*, ibid. 1723, 8, quod conſtat ex iisdem *Actis A. 1724 pag. 237 ſeq.* quam bigam vel nuperrime denuo produxit. Jam æque bene de *Marci* fratre, *Quinto*, meriturus, ejus *Commentariolum de Petitione ad M. Fratrem* emiſit, Italica verſione e diverſo poſita, de qua, ut ab homine Italo profecta, Germanos cenſere non decet, quibus tamen licet, de ejus obſervationibus, quarum perbreves
Pag. 8. ex more ſubjecit, judicare. In fine Capitis I dicti Commentarii, *Si adduxeris, ut ii, qui non nolunt, cupiant; plurimum quidem* proderunt, vulgo legitur, ſcilicet ut per Prozeugma interpreteris, *ii, qui non nolunt*, proderunt, cujus loco *Quintum proderit* fortaſſe ſcripſiſſe, Interpres noſter putat, ita, ut ad integram antecedentem locutionem ſe referat, quod noſtro quoque calculo approbaremus, modo illud *proderunt* nullum ſenſum admitteret, quo ceſſante nullum emendandi jus relictum arbitramur, vel ipſo Noſtro *pag. 10 nota 1* contra
10. *Muretum* & *Lambinum* ſtatuente. *Bona proſcripta* non tam *vendita*, quo modo Vir Cel. explicat, quam *ea*, ſunt, *quorum auctionis dies, leges, conditiones, ex tabula publico loco poſita indicantur tanquam proxime vendenda.* Sic *Quinti* frater, *Marcus, Lib. III Off. Cap. XIII: Quod ſi, qui* proſcribunt *villam bonam bene ædificatam, non exiſtimantur feſelliſſe, etiam ſi illa nec bona eſt, nec ædificata ratione.* Et *Cap. XVII: Sic tu ædes* proſcribas, tabulam, *tanquam plagam*, ponas, *domum propter vitia* vendas. *Ad Quint. Fratr. Lib. II Epiſt. VI:* Tabulam proſcripſit, *ſe familiam Catonianam* venditurum. *Curius Ciceroni Lib. VII Epiſt. XXIX n.* 1 ſcribit: *Si inter ſenes coemtionales* venale proſcripſerit. *Plinius Lib. VII Epiſt. XXVII n. 6: Domus* proſcribebatur *tamen, ſeu quis emere, ſeu quis conducere* igna-

Digitized by Google

ignarus tanti mali vellet, quæ τȣ̃ *proſcribere* vis Noſtro facile conſtare potuiſſet vel ex ipſa, quam ter edidit, *Oratione pro Quinctio Cap. IV: Auctionem in Gallia Publ. hic Quinctius Narbone ſe eſſe facturum* proſcribit. Confer, præter *Palermum* ad *Quinti* locum, *Cuperum Lib. I Obſerv. Cap. XVII*, Interpretes ad *Petron. Satyr. Cap. XXXVIII pag.* 165 & 169, *Cortium* ad *Cic. Lib. VII Epiſt. XXIX n.* 1, & *Briſſonium Lib. VI de Form. n.* 58. *Proſcribere* enim in univerſum *ex publico loco ſcriptum ſignificare* eſſe, vel in his ipſis *Actis A.* 1731 *pag.* 186 *ſeq.* docuiſſe nos meminimus. *Cap. III* ſub finem, *qui velit* uno *ſuffragio duas in rempublicam ſicas diſtringere*, in *ſuo ſuffragio*, aut *uno tempore ſuffragio ſuo*, ut refingeret, non opus fuerit, cum ſaltem priori emendatione periret oppoſitio τȣ̃ *duas*. Nec minus felici conjectura *Cap. V. interiore* pro *honeſtiore* vult. Diſtinguere enim videtur *Quintus honeſtiores* amicos ab *interioribus*, vel potius *intimis*, *ſed tamen*, inquiens, *qui*, *ſunt amici ex cauſa* honeſtiore *cognationis aut affinitatis*, *aut ſodalitatis*, *aut alicujus neceſſitudinis*, *his carum ac jucundum eſſe*, *maxime prodeſt*. *Deinde*, *ut quiſque eſt* intimus *ac* maxime domeſticus, *ut is amet*, *atque feliciſſimum eſſe te cupiat*, *valde elaborandum puto*, &c. Immo quoque ita *amicos ex* honeſtiore *cauſa* ſeparat ab iis omnibus, *qui* vel, ut antea dixerat, *oſtendant aliquid in te voluntatis*, *qui colant*, *qui domum ventitent*. Vindicat etiam, modo idoneo Autore, in noſtris enim libris nihil tale obviam fuit, *Cap. XV* princ. *Hac mihi veniebant in mentem de duabus illis commentationibus matutinis*, quas *tibi quotidie ad forum deſcendenti* meditandum *eſſe dixeramus*, pro quo vulgo *quod* . . . . *meditandum*. Quæ vero illa ſit elegantia, oſtendit vel nuperus *Plinii* Editor, *Longolius*, ad *Lib. X Epiſt. LXII n.* 2, diſtribuendum *inter decuriones* pecuniam. Ceterum labor iſte Cel. *Facciolati*, omnibus ſani Critici partibus feliciſſime perfungentis, laude publica & commendatione noſtra utique digniſſimus videtur.

Pag. 18.

22.

68.

JACOBI FACCIOLATI ANIMADVERSIOnes Criticæ in primam literam Latini Lexici, cui titulus:

lus: Magnum Dictionarium Latino-Gallicum &c. PETR. DANETII.

Patavii, typis Seminarii, apud Joannem Manfré, 1731, 8 ch. maj. Plag. 5½.

Tot undique circumſtrepentibus Lexicis, quibus res literaria fere ſuccumbit, injurium videtur, *Morhoſſio*, Polyhiſt. *Tom. I Lib. IV Cap. IX n.* 7, nec adhuc nos habere perfecta Lexica Latina, ſtatuenti, cum *Facciolato* noſtro non aſſentiri. Eſt ergo, ad quod doctiores, quam plerumque fit, ſua conferant, quo tandem ex omni parte perfectum opus componatur. Rem ergo egregiam agit Cel. *Facciolatus*, qui inde ab aliquo tempore *Novis literariis*, in urbe Veneta, ſumtu *Jo. Bapt. Albrizii*, ſermone Italico, hebdomatim prodeuntibus, adjecit *Animadverſiones* iſtas *criticas*, in quibus *Danetii*, quas in Lexico ſuo, Amſtelodami A. 1711 noviſſime edito, propoſuit, obſervationes ſub accuratius examen vocavit. Ea vero, quæ ad literam A faciunt, in unum collecta, hocce, quem ſub manibus habemus, libello denuo edidit, ſpe ſimul facta, eadem via in reliquis perrecturum. In perlegendo autem hoc docto libello variæ & nobis ſubnatæ fuerunt animadverſiones, quas Viro humaniſſimo excutiendas in commune ponimus.

Pag. 8. *Abs ſe Plautum* habere, negat Cel. *Facciolatus*; ſed ita quædam editiones in *Captiv. A. III Sc. I v. 10*, itemque *Daviſii Cæſar Lib. I de Bell. Gall. Cap. XLVII*, præſtant, quo pertinet *Livii* ex *Gronoviana Lib. XXXII Cap. I, abs Sueſſa*, immo, *abs* ſequente *c* autoritate non carere, patet ex *Plauto Perſ. Act. I Sc. III v. 79*:

— — abs chorago *ſumito.*

281 *Danetius* in *Adultus* dixerat: Eloquentia adulta. *Tacit. Une eloquence masle & vigoureuſe. Facciolatus* contra: *Locus Taciti eſt in Dialogo de Oratoribus Cap. 25. Fateor, quædam eloquentiæ eorum naſcenti adhuc, nec ſatis* adultæ, *defuiſſe. Loquitur igitur proprie de ætate, non de viribus eloquentiæ.* Sed cur non? En tibi in *Vellej. Lib. II Cap. CX n. 2*, adulta viribus *Dalmatia*, quem ad modum fere veteres omne id adultum dicere amant, quod in ſuo genere ſummum ad gradum

Digitized by Google

dum evectum eſt. Sic *Tacito Lib. II Ann. Cap. XXIII n. 1 æ-*
ſtas adulta, ſic eidem *Lib. III Hiſt. Cap. XXIII n. 3 nox adul-*
ta, cui opponitur *adoleſcens*, quo modo illi ipſi *Cornelio Lib.*
XIII Ann. Cap. XXXVI n. 1 adoleſcens ver pro ineunte, & *Ci-*
ceroni Lib. IX Epiſt. VIII n. 2 adoleſcentior Academia. Confer
Servium ad *Virgil. Lib. I Georg. v. 43.* Participium *adunatus*, Pag. 29.
de quo *Danetio* ſermo, ſi *Ciceroni*, quod *Facciolatus* vult, in-
cognitum, *Juſtino* tamen perfamiliare eſt, ut *Lib. II Cap. XII*
n. 18, cum adunata *omnis ſociorum claſſis eſſet*, *Lib. VII Cap.*
II n. 12, adunatæ *gentes variorum populorum*, *Lib. XV Cap.*
IV n. 22, adunatis *omnium ſociorum copiis*, *Lib. XXIV Cap.*
I n. 5, adunato *exercitu*, cui accedit *Palladius Lib. IV tit. X*,
germen adunatum. Ad *aedona* citatis adde *Nemeſ. Buc. Ecl.* 30.
II v. 61:

Vocalem longos quæ ducit aedona *cantus*,

& *Catalect. Pith. p. 454*:

Tu facis, in lucis ut cantet triſtis aedon.

Inde *Lucani Carm. in Piſon. v. 257, vox aedonia.* Conſule Virum
Cl. *Burmannum* ad *Petron. Satyr. Cap. CXXXI pag. 624. Æmu-* 30.
lari alicui, præter *Quintilianum Lib. X Inſt. Orat. Cap. I pag.*
919 ed. Burm. quem locum *Danetius* forte in mente habue-
rit, itemque *Ciceronem*, *Facciolato* excitatum, uſus eſt *Juſtinus*
Lib. VI Cap. IX n. 2, amiſſo, cui æmulari *conſueverant. Æ-*
ſtimare pro *exiſtimare* poni non poſſe, exiſtimat *Facciolatus*
noſter, a quo tamen, non paucis ejusmodi exemplis adductis,
diſſident *Munckerus* in *Diſſ. de Hygino*, *Davieſius* ad *Cæſ.*
Lib. III de Bell. Civ. Cap. XCV, *Burmannus* ad *Phædr. Lib. III*
Fab. IV. v. 5, *Lib. IV Fab. XVII v. 15*, *Cortius* ad *Salluſt.* 36.
Cat. Cap. VIII n. 2. Quæ *Danetius* in *Affulgere Silio Italico*
tribuit, nec nos inveniſſe cum *Facciolato* fatemur, pæne tamen
gemina forent illa *Silii Lib. VII Punic. v. 466 ſeq.*

— — — *poſtrema nitenti*
Affulſit *vultu ridens Venus.*

Altercor, an *alterco*, uſitatius ſit, *Facciolati* argumentis nondum 41.
extra omnem dubitationem poſitum crediderimus, etſi, *alterco*

 non

non plane extra uſum eſſe, arbitrari videtur, proferens *Terentium* in *Andr. Act. IV Sc. I v. 29*:

— *Cum patre* altercaſti *dudum*,

quaſi *Cicero* in *Bruto Cap. XLIII* eum ante oculos habuerit, ad quem *Terentianum* locum tamen *Donatus* jam olim appoſuerat: *Legitur* abtercatus es, *non enim* alterco *dicimus*; quocum ſi jungas *Cæſ. Lib. III de Bell. Civ. Cap. XIX*, abtercari *cum Vatinio incipit*, itemque *Apulej. Met. Lib. II pag. 38. dum hunc & hujusmodi ſermonem* altercamur, non adeo a vero aberraſſe

Pag. 43. videtur Danetius, deponens uſitatius activo pronuntians. *Ambages* & *Ambagibus*, ut *Danetius* ſtatuit, atque *Ambagum*, *Facciolato* indice, veteribus dici non ſolum, ſed etiam *Ambage*, arguitur ex *Ovidio Lib. VII Met. v. 320*, *VIII v. 761*, *XIV v. 57*, *III Faſt. v. 337*, *Heroid. Epiſt. VII v. 145*, *Tacito Lib. VI Ann. Cap. XLVI n. 4*, *Lucano Lib. I Pharſal. v. 638*, *Seneca Oedip. v. 214*, *Statio Lib. IV Theb. v. 645*, *Plinio Lib. II Hiſt. Nat.*

45. *Cap. IX*, *Valerio Flacco Lib. I Argon. v. 227*, *Claudiano de Bell. Get. v. 451*. Quæ *Facciolatus* noſter de recto *Horatiani projicere ampullas* ſenſu contra *Danetium* recte monet, jam

47. olim pluribus adſtruxit *Lambinus* ad iſtud *Horatii*. *Animam ſingultare* etſi *Catullus* forte non habeat, non tamen ita durus dicendi modus eſt, qui quidem *Facciolato* noſtro audit, ut non aureæ ætati cognitus fuerit. En *Ovid. Lib. V Met. v. 133 ſeq.*

Letifer ille locus, quem poſtquam vulneris autor
Singultantem animam, & *verſantem lumina, vidit*, &c.

54. Quæ de apro diſſerit *Facciolatus*, de fœmina pariter ac mare ſæpe eandem vocem adhiberi, longe pluribus docuerunt *Pius Annot. poſter. Cap. CII*, & *Burmannus* ad *Valer. Flacc. Lib. VI Argon. v. 70, 347*, ad *Phædr. Lib. II Fab. IV v. 9*, & quos hi

55. magno numero citant. Autoritatibus, quas ad *Aphya* ſive *Apua Facciolatus* idem produxit, addas, licet, *Apicium Cælium*

62. *Lib. IV de Art. coqu. Cap. II.* Sic quoque ad vocem *Arborarius* a *Facciolato* allegatis jungas, ſi placet, alium locum ex *Catone de R. R. Cap. XI n. 4*, quod & ad *Arctatus* facias cum *Palla-*

Palladio de R. R. Lib. XI tit. XII n. 6. Arma coquinaria nec nos in *Plauto* deprehendere potuimus, non tamen cum *Facciolato* contra Latini ſermonis genium habuerimus, etſi autore *Plinio Lib. XXXI Hiſt. Nat. Cap. XI vaſa coquinaria* dici poſſent. Nam *arma* vel *Servio* ad *Virg. Lib. II Æn. v. 99* autore quælibet inſtrumenta ac vaſa ſignificare, non eſt, quod dubites, ſi in *Virgilio Lib. I Æn. v. 177 Cerealia arma*, & *Lib. V Æn. v. 15* nautica inſtrumenta *arma* dicta legeris, quibus tamen longe clarior eſt locus ex eodem *Marone Lib. I Georg. v. 160 ſeq. Aves ſquamoſas Plauti*, quem *Danetius* provocavit, nec nos cum *Facciolato* pro certo affirmaverimus, forte tamen *Danetius*, ſive quem ille ſecutus eſt, *Columellæ Lib. VIII de R. R. Cap. XVII n. 2 ſquamoſos greges* in mente habuit. Iis, quæ ad verbum *Aurigo* citata fuerunt, apponere poſſis ex eodem *Tranquillo Cal. Cap. LIV*, & *Ner. Cap. XXII*, quem ad modum *Cap. IV non minus* aurigandi *arte clarus*, & *Cal. Cap. XVIII nec ullis, niſi ex ſenatorio ordine* aurigantibus. Qua fiducia de iſto dicendi modo: *Autor tibi non ſum* profugere, ita *Facciolatus* cenſeat, *Ciceronem* non ita, ſed *profugiendi*, aut *ut profugias*, dixiſſe, non videmus, *Sanctio Lib. III Minerv. Cap. VI pag. 426*, & *Cortio* ad *Sall. Jug. Cap. LXXXIX n. 3*, inter exempla aliorum, vel maxime *Ciceronis* bene multa afferentibus, ex quibus facile eſt cernere, & hæc ad *Marci* noſtri ληκύθου pertinere. Merentur autem maxime evolvi, quæ *Facciolatus* noſter de differentia τῶν *Antes* & *Antæ* perdocte multis diſputat. Appoſuit autem idem in fine hujus libelli: *Hæc habui, quæ ad primam literam Danetii Lexico notarem, ceteroquin bono & emendato. Ex his ſatis intelligis, quam facile hoc in genere vel a ſummis viris peccetur*, quæ & noſtra facimus.

Pag. 63. 64. 88. 90. 92. 50 ſeq.

TRACTATUS PHILOLOGICO-THEOLOGICUS, *in quo Auguſtiniana Decalogi diviſio ſtabilitur et vindicatur, editus a* M. LUDOVICO HERCULE DASERO, *Eccleſiæ Bietigheimenſis* **Diacono.**

Stuttgardiæ, apud Mezlerum & Erhardum, 1733, 4.
Plag. 20.

Anſa libro huic conſcribendo ſubnata fuit ex *Georgii Othonis*, Profeſſoris quondam Marpurgenſis, Diſſertatione de *Gemina Accentuatione S. Scripturæ Ebrææ, præſertim Decalogi*, quam *Otho* direxerat in B. *Auguſtum Pfeifferum. Pfeifferus*, & poſt eum *Michael Beck*, Ulmenſis, deſtinaverant *Othonianæ* Diſſertationis refutationem. Sed conatus ipſorum, communi mortalium fato interceptus, lampada Rev. *Daſero* tradendam, docuit, qui haud ita pridem punctorum Ebraicorum antiquitatem publico ſtabilivit & vindicavit ſpecimine, uſus præceptore Ven. *Joanne Reinhardo Ruſio*, Salanæ ornamento, qui eodem fine de Decalogi diviſione in Præfatione ad *Tomum III Harmoniæ Evangeliſtarum* nonnulla egregie monuit, Diſſertationis *Othonianæ* confutationem æque pollicitatus. *Othonis* id ſcriptum ab Autore confutante ipſum haud fuiſſe lectum, ſed ejus loco eum in compendio, hiſce *Actis*, & quidem *Supplem. Tom. I Sect. XII pag. 634 ſeq.* olim inſerto, acquieſcere debuiſſe, dolemus jure meritoque. Nam ſingula *Othonis* argumenta in recenſione produci haud potuerunt compendiaria. Per ſeſe ad doctrinam fidei, obtinendamque æternam ſalutem, nihil facit utraque Decalogi diviſio, fatentibus *Luthero*, *Pappo*, *Dannhauero*, *Calvino*, *Zacharia Urſino*, *Muſculo*, *Hyperio*, *Altingio*. Ipſa eccleſia Argentinenſis Lutherana aliique Evangelici ſequuntur *Origenianam* Decalogi diviſionem, a Reformatis approbatam. Durius in noſtram *Auguſtinianam* diſtributionem præceptorum Decalogi invecti fuerunt *Gentilis*, Anhaltini, Neo-Marpurgenſes, *Urſinus*, *Daniel Angelocrator*, *Marc. Frid. Wendelinus*. Sed duriorum pronuntiatorum memoria abolenda, ac nævi Theologorum ſunt ſepeliendi utrimque, quos æſtus polemicus in transverſum egerat. Criticorum igitur cancellis concludenda eſt illa diviſio. Nec tamen hoc inficiari licet, diviſionem *Auguſtinianam* æque eſſe probabilem, immo melioribus niti rationibus. Præcipue in cenſum venit accentuatio diverſa objectique diverſitas in nono decimoque præcepto. In hoc argumentum copioſe debiteque exponendum Autor Pl. Rev. omnes intendit nervos, complura re ipſa præſtans, quam in fronte

Digitized by Google

fronte libri promiſit. Promulgatio Decalogi ore ſacta quando contigerit, videtur incertum. Locus *Ebr. XII, 21,* dicitur Pag. 23 ſeq.
allegatus ex traditionibus Ebræorum. Idem perhibetur de loco vexato *Matth. XXVII, 9,* quia ibi legitur *ῥηθὲν*, non *γεγραμμένον*. Feſtum Pentecoſtale, tunc nondum inſtitutum, vulgo, ſed obſcure, promulgationi attribuitur Decalogi. Tabulas priores Deus per miraculum conſcripſit ob *Ex. XXXII, 15.* Poſteriores *Moſes* videtur excidiſſe, Deus ſcripſiſſe. Facies *Moſis* Decalogum promulgaturi habuit קרן, id eſt, ſplendorem, ob *2 Cor. III, 7.* Verba משיתהו *Ex II, 10,* vertenda ſunt: *extrahendum curaſti illum,* ad matrem *Moſis*, non ad filiam *Pharaonis*, referenda. 29 ſeq. 31.
Odhelius in *Synagoga biſronte pag. 133—144* ſolidiſſime probat, ſynagogam vetuſtam æque ac hodiernam faviſſe diviſioni *Origenianæ*. Chaldæus Paraphraſtes Pentateuchi id diſtincte docet. Verba quidem: *Non erunt tibi*, in editione Veneta & Baſileenſi in *fol.* per negligentiam omiſſa ab editoribus, eruditus quidam reſtituta inſeruit alieno loco, maleque in fine præcepti primi poſuit, cum potius ab initio præcepti ſecundi ſint ponenda. *Joſephus* verba: *non* 34.
erunt tibi Dii alieni, præcepto primo annexuit, imagines ſecundo demum præcepto prohibitas eſſe ſtatuit. Statuas, & ſimulacra, & id genus manu facta opera, ad ſecundum verbum ſeu præceptum itidem refert. *Reizius*, qui *vitas regenito-* 36 ſeq.
rum ſcripſit, Fanaticis ſeculi noſtri gratas & probatas, per Samaritanos typice præfigurari Lutheranos, docuit in Notis ad *Goodwini Moſen & Aaronem Lib. I Cap. II §. 16 not. 11.* Samaritani Decalogum incipiunt a verbis: *non erunt Dii alieni — ſervantibus præcepta mea.* Nonum præceptum omnem concupiſcentiam prohibet. Decimum arceſſunt ex *Devt. XI, 17, XXVII, 18.* *Athanaſius* in *Synopſi Script. Sacr. T. II pag. 67 Opp. ed. Commelin. Origenianam* amat diviſionem. Ipſe cum aliis Patribus verba præfationis: *Ego ſum Dominus tuus, qui eduxi te ex terra Ægypti*, pro primo habet præcepto. Judæi præceptum de honorandis parentibus ad primam reducunt tabulam. *Heſychius & Origenes* in *Hom. ad Exod. Lib. III Homil. VIII*, aliique Patres, cum Reformatis faciunt.

Auguſtinus in variis locis noſtram diviſionem approbat, præ-
Pag. 51 ſeq. eunte *Clemente Alexandrino.* Quæ ſtabilitur ex eo, quod prohibiti Dii alieni ad primum præceptum, inſtar illuſtrationis, ad præceptum primum referendi ſint. Duplex concupiſcentiæ genus videntur duæ diſtinctæ voces innnuere. *Jacobus* ipſe cupiditatem δελεάζουσαν a συλλαβούσῃ diſcriminat.
72. Diverſa certe eſt activitas peccati ab actualitate, ideoque peccatum orignale ab actuali differt. Argumenta adverſariorum
77 ſeq. haud levi brachio attinguntur & diluuntur. Juſto copioſiores eſſemus, ſi ſingula enarrare aggrederemur. Multus fuerat in eo *Otho*, ut a Diis alienis imagines & ſimulacra ſepararet, concupiſcentiam vero originalem & actualem ſpecies eſſe e-
83. juſdem generis, evincere ſtuderet. Provocant adverſarii ad *Paulum Rom. VII,* 7, &, ab eo concupiſcentiam ad unicum præceptum relatam, credunt. Sed compendiaria contractio, qualis & Chriſto placuit *Matth. XXII,* 37, nondum conſtituit
86 ſeq. particularem præceptorum enumerationem. Ponit Autor, originem accentuationis Ebraicæ eſſe divinam, ratus, ex gemina accentuatione Decalogi diviſionem noſtram fœnerari lu-
91. cem. Accentus, judice Noſtro, affectum ſcriptoris ſacri exprimunt, non prout cantorem, ſed prout oratorem, decet, adeoque ſententiam repudiat *Abichtianam* ac *Jablonskianam.* Nobis vero videtur modulatio muſica Judæorum in cauſa fuiſſe, cur libellus *Jobi*, Pſalmi, & Proverbia, accentuatione gaudeant peculiari. Nec obſtat, quod cantica vetuſtiſſima *Ex. XV*, *Deut. XXXII*, *Jud. V*, haud ſimili ratione ſint accentibus decorata. Quis enim demonſtrabit, tum modulationem, *Davidis* ætate notam, jam innotuiſſe? Et quidni accentuatio muſica cum hermenevtica in concordiam poſſet redigi? In modulatione profecto decenti ſenſus quoque eſt reſpiciendus, & affectus ſcriptoris primi retinendus. Quantum ad ſententiam Autoris de compoſitæ accentuationis decalogicæ origine atti-
96. net, ipſe præ ſe fert, *Sam. Bohlium* in Tractatu *de vera diviſione Decalogi ex infallibili principio accentuationis* lineas jam duxiſſe primas. *Aug. Pfeifferus*, *Beckius*, & *Weimarus*, eam latius expoſuerunt atque perpoliverunt. Reſpectus vero in duplici illa

Digitized by Google

illa accentuatione eſt duplex ob duplices terminos, verſus ſcilicet & præcepti. Cum itaque præcepta quædam tam longa eſſent, ut uni verſui, legitima quantitate conſtanti, & ad ceteros proportionato, commode includi non poſſent, uti primum & tertium; ideo digeſſit ea quidem Spiritus ſanctus in plures pericopas, nempe primum in quatuor, tertium in quatuor, diſtincta accentuatione verſuum inſtructas, ita tamen, ut ad unitatem præcepti demonſtrandam per omnes iſtas ſimul pericopas continuetur nova & continua accentuatio præcepti. Contra, cum alia præcepta, nempe 5, 6, 7, & 8, tam brevia ſint, ut verſui non ſufficiant, ea in unam pericopen ſunt concluſa ad verſus obſervandam proportionem, attamen, ne diſtinctioni præceptorum quid decederet, ſingulis præceptis, minutulis tamen, peculiaris accentuatio fuit deſtinata. Quando ergo vox duos habet accentus, unus eſt e nexu ordinario verſus, alter e præcepti nexu peculiari. Præcepta vero cum ſecundum & quartum verſui eſſent apta, una ſufficiebat accentuatio, unde etiam ratio apparet, cur unicam ſyllabam duæ veræ vocales animent, inſtar diphthongorum coaleſcentes, e. g. *Ex. XX, 3,* פָּנָי *v. 4* מִתַּחַת, & *v. 13* תִּרְצָח, itemque cur ת raphato ſimul dageſch imprimatur in vocibus תִּרְצח, תִּנאף תִּגנב *v. 13.* Multa jam præſtitit in hoc circulo *Varenius* in *Decad. Moſaic.* in *Exod. XX Dec. XIV pag. 291 – 320.* Ex hocce fundamento Autor propoſito ſuo egregie defungitur, ſtudens perſpicuitati æque ac ſoliditati. Quodſi accentuum originem divinam & *Boblianum* illud fundamentum admiſeris, non eſt, quod amplius de fundamento diviſionis Decalogi *Auguſtinianæ* dubites. Accedit Appendix de nomine divino tetragrammato יהוה, quod Autor propriis ſuis punctis gaudere putat, invitis Adoniſtis. Nam Jehovæ vox nec literas nec puncta habet vocis Pag. 149.
Adonai. Præterea ex voce Jehovah compoſita fuerunt nomina, literas originarias cum punctis retinentia, e. g. Jehojakim, Jehochanan, Jehozadak, &c. Quis unquam legit Adoniakim? Pro Jehojakim alibi legitur *Eliakim*, ut certus ſis, nomen Dei יהוה ſubeſſe. Difficultas equidem inde oritur, quod præfixa ב & ל voci *Jehova* haud præponantur per chirek, uti alias moris eſt,

ſed

ſed per patach, quaſi legendum eſſet ***badonai, ladonai.*** Sed monet Rev. Autor cum aliis, patach cum chirek raro alternare. Prædicamus merito in ipſo doctrinam accentuationis ſolidam, & deſiderium conſulendi integritati Codicis Ebraici. Nobis vero liceat credere, eos, qui Keri addiderunt, Autores fuiſſe punctorum; accentus vero videri adhuc recentioris eſſe ætatis.

LE TEMPLE DU GOUT &c.
h. e.
TEMPLUM GUSTUS, OPERA DOMINI DE VOLTAIRE. Editio genuina, per Autorem curata.

Amſtelodami, apud Stephanum Ledet, 1733, 8.
Plag. 4.

Nobilis ille & celebris *Voltairius*, cujus acumen fuit tam actuoſum, ut Autorem in fugam reditumque conjecerit, fingit, ſocietatem coiiſſe, vocatam templum guſtus. Fuerunt, qui in hoc libello varia notarent, contemtum videlicet in palatia Verſalienſia redundantem, & judicia in perſonas illuſtres liberiora. Reſpondet Autor in Præfatione, eum, qui ſingula laudet, eſſe aſſentatorem: diſtinguendum eſſe inter *criticam,*
Pag. 4. *ſatyram, & libellum famoſum. Dacierius & Cl. Salmaſius* reprehenduntur ob inutiles & parum gratas ſcriptiones. In prioris translatione *Horatii* notantur nonnulla. *Fenelonio*
14. objectum fuit, in *Telemacho* notari regnandi modum, qualis fuit
ſub *Ludovico XIV. Racinii* Satyra, cognominata *Eſther*, viſa fuit miniſterium regium pungere. *Ruſſovio* tribuitur ſtilus *Maroticus*, & animus in amicos malignus, cujus verſus primi fuerint bene excepti, poſtremi haud æque. Celebratur *Godofr. Guil.*
19. *Leibnitius* ob verſuum Latinorum pulchritudinem, cum Meta-
21. phyſica & Geometria conjunctam. Domina *de la Fayette* laudatur, quippe quæ ſcripſit ſub nomine *Segraſii* libellos duos Ro-
30. manenſes, *Zaide*, & *la Princeſſe de Cleves.* Ædes guſtus ipſa
libellum ejusmodi refert, varie ex verſibus & proſa commiſſum,

Digitized by Google

ſtum, ut utile dulci committeretur. Per *guſtum* intelligitur *facultas* pervidendi & expediendi ea, quæ maxime ad rem & ſcopum ſpectant convenientem. Requirunt plerique ad hanc facultatem, ut ſit celeris & naturalis, eamque ponunt in iis, quæ ad ingenium, quam judicium, faciunt magis, ſenſusque incurrunt. In horum numero nomen ſuum profitetur Autor, qui *Leibnitium* ædi guſtus ſacræ inſerit, eo quod elegantes concinnaverit verſus Latinos, licet fuerit Metaphyſicus & Geometra, quem tamen Critica hic locum invenire voluerit ad mitigandam hoc exemplo indolem duram plerorumque ejus ſodalium. Nec præterea ullum Germanorum in templo guſtus Autor repoſuit, vel quia reliquos ea ſede dignos ignoravit, vel quia eos Abderitis judicavit conſimiles.

Vernünftige und Chriſtliche Gedancken über die Vampiers &c.

h. e.

PHILOSOPHICÆ ET CHRISTIANÆ COgitationes de Vampiriis, ſeu Sanguiſugis mortuis, expoſitæ a JOANNE CHRISTOPHORO HARENBERGIO, R. G.

Guelferbiti, impenſis Jo. Chriſtoph. Meiſneri, 1733, 8. Plag. $9\frac{1}{2}$.

In Præfatione Cl. Autor ſcripta nonnulla de Vampiriis recenſet, breviterque dijudicat, injiciens mentionem de ſpectro, quod olim clariſſimo meridie ipſi apparuerit. Tractatio ipſa complectitur narrationes de Vampiriis, ex variis ſcriptoribus delibatas. Removet primo cauſas ſpurias. Negat enim, ſpiritus ſanguini viventium imminere, eumque in corpora defunctorum hominum deportare. Eandem vim animis defunctorum denegat. Spiritum attractivum & aſtralem ad commenta rejicit. Nec largitur, aerem eſſe ſpiritum, conciliatorem ἀφθαρσίας. Enecationem, Vampiriis vulgo attributam, removet, & imaginationi perturbatæ ægrotantium transſcribit. Experientiæ leges tandem dijudicat, & in uſum rei præſentis

convertit. Pœna in corpus homicidarum apud Slavonicas gentes expromta fuit per palum, per cor tranſadigi ſolitum. Vide librum, *neue Lausnitz- Böhm- und Schleſiſche Chronica*, Autore *Henrico Koch A. 1687, 8*, Lipſiæ editum ad *A. 1674 d. 5 Julii p. 113*. Confer eundem ad *A. 1403 pag. 358*. Eadem pœna in Vampirios ob homicidii ſuſpicionem ſtatuta. Exemplum apud eundem occurrit ad *A. 1337 p. 4 ſeq.* & ad *A. 1345 pag. 5 ſeq.* Ultima commemoratio occurrit itidem in *Wenceslai Hagecii Bœhmiſcher Chronica P. I fol. 419 ſeq.* Liber is editus eſt Pragæ A. 1596 in *fol. Matthæus Merianus* exinde eandem repetiit in *Topographia Bohemiæ p. 44 ſeq.* Creditum eſt a veteribus, defunctos in ſepulchris adhuc edere & bibere, ut apparet ex inſtrumentis ad urnas una defoſſis, & ex *Auguſtino Serm. XV de Sanct.* Confer Annotationes *Henrici Chriſtiani de Hennin* ad *Itinera Joannis Arnoldi de Brand*, quæ prodierunt Germanice Veſaliæ *A. 1702, 8, p. 435*. De antiquis Boruſſis eandem opinionem recenſet *Joannes Meletius* in literis ad *Georgium Sabinum*, & inde *Boxhornius* in *Rep. Moſc. pag. 164 — 179*. Spectro palum per cor fuiſſe adactum, oſtendit *Broderus Boiſſen* in Chronico Slesvicenſi *pag. 597, Tom. III Menckenii Scriptorum rerum Germ.* Antiquitas opinionis patet ex *Tertulliano*, qui ſub initium libri *de Reſurrectione*, paucis præmiſſis, ita diſſerit: *Defunctis parentant, & quidem impenſiſſimo officio, pro moribus eorum, pro temporibus eſculentorum, ut, quos ſentire negant quidquam, eſcam deſiderare præſumant.* Sed & Chriſtianos *Auguſtini* ævo quibusdam in locis eſcas mortuis addidiſſe, arguit idem *Lib. VIII Cap. 27 de Civ. Dei.* Populi boreales ea laborabant opinione, ut ſtatuerent, homines defunctos, poſt obitum, ea quoque agere, quibus efficiendis in vita fuerant intenti. Regnum poſt hanc vitam, ad quod animas transmitti credebant, vocabant *Walhalla*. Vid. *Edda Mytholog. 43*, & *Bartholinus* in *Antiqu. Dan. pag. 509*. Præterea vulgaris vigebat opinio, morbos pleroſque immitti a ſortilegis & incantatoribus, qui, hac vita defuncti, quoque nocere pergant poſtea, niſi corpora ipſorum deſtruantur. Apud Polonos ſententiam hanc eſſe adhuc frequentiſſimam, docet copioſe

Chri-

Chriſtian. Henr. Erndtelius in *Warſavia phyſice illuſtrata*, edita Dresdæ *A. 1730*, 4, *Cap. 5*. Confer *Journal des Sçavans A. 1732 Octobr. pag. 261 ſeq.* Quæ ipſa ſi accurate penſitaverimus, originem ſententiæ de Vampiriis, & pœnæ in eos ob homicidium irrogatæ, facile perſpicimus. Eſt, qui opinatur, Autorem loca ſacri Codicis nonnulla perperam expoſuiſſe, & quidem id criminis fuiſſe admiſſum *pag. 30, 52, 69, 81, 99, 126, 131.* Evolvimus ea loca, ut Autoris mentem vel argueremus, vel defenderemus, vel intactam dimitteremus. Nullum divinioris Codicis locum excitari *pag. 30*, vidimus. Ex latere Chriſti aperto ſanguinem a lympha ſeparatum fluxiſſe, idque indicio eſſe, Chriſtum re ipſa fuiſſe mortuum, ibi docet Autor. Ea quidem ſententia dudum approbata fuit a præſtantiſſimis Doctoribus, nominatim a *Wedelio* in *Exercitat. Medico-Philolog. Centur. I Dec. III Exerc. I.* Nec eam damnat Ven. *Jo Chriſtoph. Wolfius.* Porro *pag. 52* nullus laudatur locus Codicis ſacri. Negatur ibi, vocem παραλαμβάνειν eſſe trahendam ad raptum violentum per aera. Sed idem ſentiunt *Philippus Camerarius*, *Fridericus Hoffmannus*, *Jo. Chriſtoph. Wolfius* in *Curis philologicis & criticis ad Matth. IV, 5, pag. 69.* Deinceps *pag. 69* nullum ſacræ Scripturæ dictum deprehendimus, ſed ſubſtantialis & fictus Fanaticorum *Chriſtus in nobis* ibi rejicitur. Eadem ratione nil occurrit dictorum Codicis ſacri *pag. 81.* Poſtea narratur, & quidem *pag. 99*, inſpiratum quendam in ecſtaſi allegaſſe Caput *Michæ* duodecimum. Tandem *pag. 126* docetur e locis *Matth. VII, 22, XII, 27, 1 Cor. XIII, 1, 2*, dona miraculoſa quoque ab improbis hominibus fuiſſe aliquando exercita. Ad ultimum *pag. 131* ex locis *Jobi XXIV, 24, XX, 15 — 27*, inconſtans comprobatur improborum felicitas.

M. MICHAELIS RANFTI, DIACONI NEbrenſis, von dem Kauen und Schmatzen der Todten in Gräbern, ꝛc.

h. e.

LIBELLUS DE MASTICATIONE MOR-

tuorum in tumulis, in quo genuina ratio Hungaricorum Vampiriorum et Sanguiſugarum oſtenditur, addita recenſione ſingulorum de hoc argumento emiſſorum libellorum.

Lipſiæ, in officina Teubneriana, 1734, 8.
Plag. 19 ½.

Dedicatus eſt Libellus Triumviris ſumme venerandis, *Chriſtiano Friderico Bœrnero, Henrico Klauſingio*, ac *Salomoni Deylingio*, quibus Autor aures quondam accommodavit attentas. Hoſce implorat & expetit libelli ſui patronos ac tutores, aſſeverans, ſcripto ſuo nil contineri, quod gloriæ Dei ac Theologorum honoribus repugnet. An amorem & æquitatem in ejusdem Chriſtianæ civitatis conſortes ubique ſervaverit caſtam & intemeratam, illud quidem haud definit. Id enim Lectores ipſi facile dijudicabunt. Semina libello ſuppeditavit Autoris *Diſſertatio de Maſticatione mortuorum in tumulis*, A. 1725 d. 27 Sept. Lipſiæ ventilata. Refinxit & auxit cogitata Noſter, & in chartam conjecit *de Maſticatione mortuorum in tumulis librum ſingularem, continentem duas Diſſertationes, quarum prior Hiſtorico-critica, poſterior vero Philoſophica eſt.* Prodiit opella A. 1728. Refinxit eum denuo, & Germanice loqui fecit, addita Parte tertia cenſoria, in qua diſſentientes, veluti in cathedra diſputatoria poſitus, variis abigit modulis. Illud autoritate plenum *Nos* a perſona ſua ita haud credidit alienum Autor, ut ab eo inchoet librum, & ab eo nunquam poſthæc deſiſtat. Libellus ipſe eſt inſignis tribus Præfationibus, quarum media eſt invectiva in
Pag. 6. Autores *Lipſiæ literatæ* & *Actorum Lipſienſium Academicorum*.
9. Quid Lectores ſperare debeant de hoc labore, id ipſe haud diſſimulat Autor, dum ad brevitatem temporis & impedimenta alia refugit, niſi ad ſalices fugerit, ut ſeſe cupiat
12. ante videri. *Qualitates occultas* haud penitus putat improbandas. Prodigia naturæ aſſerit. Verba ex Latino ſuo libello ſæpius

Digitized by Google

ſæpius repræſentat ac repetit, haud contentus translatione, quam præbet, Germanica. Sympathiam & antipathiam extra dubitationem collocaturus, ſeſe ad *attrahentem vim* magnetis recipit, & ad morbos hæreditarios provocat ac imaginarios. Effectus corporum mutuos ex *ſympathia & antipathia* expoſiturus, hanc tandem ex ſenſione grata vel ingrata repetit *pag. 134.* Nil igitur reſtat, niſi ut Autor crediderit, corpora quoque ſingula ſenſionibus eſſe prædita & apta. Laudat doctrinam de Magia naturali; eum tamen, qui eandem æque ſtatuerat veram, nil vel parum dixiſſe, putavit *pag. 79.* *Hagenecium* vocat, qui *Hagecius* erat appellandus. Illuſtraturus erat Autor narrationes, de Vampyriis vulgo obvias. At de maſticatione in iis altum eſt ſilentium. Quæ de miraculis doctrinæ & providentiæ afferuntur, ſunt tritiſſima. Spectra, Noſter negat, extra videntem vel audientem exſiſtere, *pag. 34 ſeq.* Exempla autem exſtant fide digna, quæ arguunt, ſpectra nocuiſſe rebus extra homines poſitis, hosque inſcientes, certe invitos, a noxa illa penitus abhorruiſſe. Ad diabolicas artes & machinationes negat effectus Vampiricos eſſe referendos. Dæmonas intermedios haud admittit. Sonitus ſubterraneos, voces & maſticationes mortuorum ſubterraneas, & momenta connexa, vel ad fabularum rejicit numerum, vel ad terriculamenta imaginariorum refert. Serpentes per ora cadaverum attrahere lintea ac pepla defunctorum, eisque deterendis vorandisque inhiare, arbitratur. Quantum ad pilos unguesque defunctorum procreſcentes attinet, ad vitam vel animæ vel hominis non eſt recurrendum. Vis vegetans, quæ in corpore defuncto permanet, pertinet ad neutram. Naſus mortui, licet corpus perduret in cohæſione firma, conſtringitur ex exſiccatione & decurtatur. Corpus *Adami*, antequam Deus ei indidit animam, jam vixit, judice Noſtro *pag. 107*, qui putat, fieri plane haud poſſe, ut Deus aliquid vita orbum creet. De pene erecto & Priapiſmo in lingua vulgari afferuntur nonnulla, quæ alii mallent Latine duntaxat fuiſſent prolata. Singularia ſunt Autori dogmata, e. g. ſingulis corporibus ineſſe ſenſum gratæ ingratæque rei, extra illa poſitæ: ſagas acie ocu-

Margin: Pag. 18. — 136. — 21. — 23 ſeq. — 29 ſeq. — 166. — 39. — 42 ſeq. — 71. — 122 ſeq. — 128 ſeq.

Pag. 136. iorum, in infantem directa, incantare eum poſſe: ſpecies Vampiriorum oblatas viventibus ex magicis viribus eſſe deri-
143. ſeq. vandas. Ubi modum poſſibilitatis in dato caſu obviæ demonſtrat Autor, haud raro ad illud *fortaſſis*, tanquam ad portum,
142 ſeq. confugit *p. 143, 154*, alibique. Voracitatem mortuorum dedu-
182. cit ex viribus magicis, quæ remaneant in corpore defuncto, donec deſtruantur, largiens, ſupereſſe in mortuis aliquid actuoſum, quod per intervallum ſatis disjunctum in viventes
152 ſeq. effectum ſuum valeat producere, & hoſce poſſit enecare. Reconciliationem *infucatam* dixit pro *non fucata pag. 161.* Libellus hic quemlibet lectorem allicere, & ſua raritate ad ſe invitare, poteſt, Autore haud refragante *pag. 166.* Qui huc usque de Vampiriis ſcripſerunt, literati minorum gentium, ac ſcripta eorum ſunt exigui momenti. Ipſi enim aut meram facti enarrationem repetierunt, aut unus ex altero ſua transſcri-
179. pſerunt, aut ſomniis tam portentoſis laborarunt, ut ab eis
196. ſit magis metuendum, quam ab ipſis Vampiriis. Incubos & ſuccubos, ac diabolum per ſemen ab homine ablatum infantes generare poſſe, negat. In Autorem Bibliothecæ ſelectæ Theologicæ falcem criticam immittit *p. 199. Putonei*, ſeu D. *Mei-*
203 ſeq. *nigii*, ſcriptum recenſens, crimine plagii eum onerat. Idem
219 ſeq. crimen reliquis quoque intentat, qui nonnullas propoſitiones earumque illuſtrationes protulerunt haud nuper inventas, a Cl.
229. *Ranftii* ſententiis haud abhorentes. Scriptum *Gottlobii Henrici Vogtii* Cenſori audit *imperfectum & perquam confuſum ſchediaſma, ex calamo feſtinabundo prolapſum.* Cum W. S. G. E. A. quem Medicum Hallenſem vocat, haud ſecus agit, ac
235. cum Garamanta quodam. Quam ob rem? Medicus ille Autoris noſtris libellum haud laudaverat. An refutatio, qualis hic fuit prolata, Theologo ſit digna, alii definiant. *Chriſtoph. Frid. Demelius* tolerari poteſt, id unicum præva-
256. ricatus, quod M. *Rumſium* vocarat, qui *Ranftius* erat dicendus. Hic enim eſt ille, qui poſt M. *Rohrium* de *Maſticatione*
259. *mortuorum* fuit commentatus. Medicus Vinarienſis ſuſpicionem præbuit plagio in Rev. Autorem admiſſo. *J. C. Haren-*
271. *bergius* laudaverat ſcriptum Medici W. S. G. E. A. quare inclemen-

Digitized by Google

clementiam Autoris admodum promeruit, copioſe expoſitam *pag.* 271 — 279. Quæ de locis Biblicis ab eo ad abuſum detortis *p. 279* tanquam ex tripode pronuntiat, eam incuſationem deprehendimus infirmo ſtare talo, uti paulo ante oſtendimus. An Rev. Diacono *Harenbergius* ſit reſponſurus, divinare haud valemus, credimus tamen, in re & obſcura & exiguæ utilitatis diſſenſum tolerari poſſe. Omittimus reliqua, id addentes uni- Pag. 180.
cum, Autorem ſeſe inſeruiſſe numero eruditorum, quos Galli vocant *Petits-Maitres.*

DONINI FIDALMI CONCEPTIONALE Biblicum Anagrammaticum, ſive Excerpta ex omnigeno ſacro Textu puriſſima Anagrammata, pro puriſſima & immaculata conceptione B. V. Mariæ.

Urbini, apud Antonium Fantauzzi, 1727, 8.
Plag. 12.

Ex ſuffragio Archiepiſcopi aliorumque Urbini Præſidum, quorum permiſſu hic liber eſt editus, *nihil in eo a catholi-* Pag. 4.
ca veritate diſſonum, nil a recta fidei ſemita devium, reperitur; quapropter donum hoc, almo fidei ac devotionis corde immaculato Deiparæ conceptui oblatum, prelo digniſſimum duxerunt. Sed, quæ his glorioſa videtur induſtria, aliis, quibus majori curæ cordique eſt veritas, contemnenda erit vanitas. Dubitamus enim, an hæc Anagrammata ſe omnibus Romanæ fidei ſociis ſint probatura, cum nos non fugiat, quas turbas inter eos dederit controverſia de *Mariæ* immaculata conceptione. In ea enim ipſi in partes abeunt, & Franciſcani cum Jeſuitis eam plane ἀναμάρτητον, ſeu omni peccato deſtitutam, ſtatuunt; Dominicani vero, peccato quidem actuali carentem, originali tamen obnoxiam, fuiſſe, ſtrenue defendunt. Nos immaculatam non *Mariæ*, ſed Meſſiæ, conceptionem extraordinarie a Spiritu ſancto procuratam ſcimus, ejusque matri propriam vitæ integritatem ac ſanctimoniam lubenter concedimus. Cum eam vero ex virili ſemine propagatam, adeoque culpæ originali

obno-

obnoxiam, nec omnis peccati expertem, aſſerimus, ſuffragatur nobis ipſius confeſſio, qua Chriſtum pro Servatore ſuo agnoſcit & recipit, *Luc. I*, 47. Accedit, quod nec mors ad ipſam tranſiiſſet, niſi peccaſſet. Interim non eſt, cur Autor nos convicietur
Pag. 55. *canes mundi, qui re ipſa deturparemus natum, ni Mariam vocaremus immaculatam.* Ejusmodi loquendi & colligendi barbariem ipſi relinquimus, ſatis edocti, hoc eo magis ad honorem Chriſti facere, quod omnium univerſalis, atque adeo etiam matris ſuæ, eſt redemtor, agnoſcente id ipſa Virgine *Luc. I*, 47, *Petro Act. IV*, 12, & Servatore *Jo. XIV*, 6. Ne tamen deſint ſpecimina, ex quibus perverſa Scripturæ ſacræ corruptio & detor-
9. ſio pateat, ſequentia exſcripſiſſe juvabit. In loco *Geneſeos* tertio verſionem ab Ebraica veritate diſſonam, & ab antiquiſſimæ fidei ſemita plane deviam, tanti tamen facit, ut ex verbis: *ipſa conteret caput tuum*, ipſum non pœniteat hujus contortiſſimi Anagrammatis: *ut Acus, Pura, noctem petit.* Ad dictum *Prov.*
33. *XX: Quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum, purus ſum a peccato*, ſequens Anagramma ſubjungit: *Cum poſcit, quod tutum uſurpas reſponſum mater Dei? Ecce me.* Cum iis, quæ *Act. XII*
73. leguntur: *Verbum autem Domini creſcebat & multiplicabatur*, ſic ludit: *Jubebunt poli & terra cum tubis, crede immaculatam.* Nullum etiam conſcientiæ Autori negotium facit, quod *Mariæ* ejusmodi cultus religioſi officia conferat, quæ ſoli Deo reſervanda ſunt, *Mariæ* etiam conditionem & naturam ſupe-
81. rant, & in manifeſtam abeunt idololatriam. Ex 1 *Jo. II: Et nunc filioli manete in eo, ut, cum apparuerit, habeamus fiduciam*, ſequens diſtorquet Anagramma: *Bene juvat, honore prius*
83. *affici immaculatam, tum plena Dei vincet.* Ex *Apoc. XI: Et apertum eſt templum Dei in cœlo, & viſa eſt arca teſtamenti ejus in templo, & facta ſunt fulgura & voces*, ſequentia elicit: *Sedente Papa Clemente, immaculata virginis Mariæ conceptio fulſit feſtum e ſtatuto: Tu eſſe tuere, ut ſalvet te.* Nonne vero ſic Jeſus fons vitæ vivus relinquitur, & per calvas & jejunas alluſiones & Anagrammatum transpoſitiones, non Chriſtianorum ſaluti, ſed quæſtuoſæ Mario-λατρεία, conſulitur? Faxit itaque Jeſus, ut ipſi confidamus ſoli, ſine hypocriſi & ſuperſtitione!

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II Sectio III.

HUGONIS GROTII OPERA OMNIA Theologica, in quatuor Tomos diviſa, ante quidem per partes, nunc autem conjunctim & accuratius, edita.

Tomi IV.

Baſileæ, apud E. & J. R. Thurniſios fratres, 1732, fol. Tom. I Alph. 9 plag. 14, Tom. II & III Alph. 16 plag. 9, Tom. IV Alph. 8 plag. 22.

Editio Operum *Grotii* Theologicorum, quam jam ſumſimus recenſendam, recuſa eſt ad exemplum editionis Batavæ, quæ A. 1679 Amſtelodami prodiit, ſervatis omnibus, ſi vel maxime viderentur emendanda, quæ in editione Operum priori reperiebantur. Præmittitur itaque Dedicatio *Petri Grotii*, *Hugonis* filii, ad *Carolum II*, magnæ Britanniæ Regem, in qua defenſionem Operum parentis ſui humillime expetit. Poſt Præfationem hæredum *Joannis Blaev*, Bibliopolæ olim Amſtelodamenſis celebris, ſequitur vita *Hugonis Grotii*. Natus is Delphis Batavorum A. 1583, ipſisque pueritiæ annis miram ingenii vim oſtendit,

 adeo,

adeo, ut maximi ejus in Philoſophia, Aſtronomia, Matheſi, Theologia, & Jurisprudentia, inque literatura Græca & Romana elegantiori, profectus exiſterent ante, quam duodecimum ætatis ſuæ annum compleviſſet. Doctoris itaque gradu, cum annum ageret decimum quintum, condecoratus, mature admodum muneribus civilibus præfectus fuit ampliſſimis, quibus functus eſt egregie. Sed, cum ob vaſtam, qua pollebat, eruditionem Theologiæ quoque ſe ſufficere opinaretur, libereque animi ſenſa, nunc ad Socinianos, nunc ad Pontificios, nunc ad alios, tuendos, aut ſaltem errores eorum mitigandos, aperiret, inprimis etiam ad Arminianos & Reformatos inter ſe conciliandos omnem ingenii vim, omnemque facundiam, converteret, ob id ipſum fuit adductus in ſuſpicionem, ac ſi novatorem in rebus religionis agere vellet, multaque adverſa, carceres, proſcriptionem, bonorum ſuorum publicationem, tulit, & alii, & inprimis *Aubery* in *Memoires pour ſervir a l'hiſtoire de Holland*, pluribus nos docent. Librorum, quos edidit *Grotius*, in quibus eruditiſſimi multi, hæc vitæ deſcriptio nullam injicit mentionem; alia autem domeſtica, inprimis *Petrum Grotium* attinentia, copioſe narrantur. Obiit Vir ſummus, redux Holmia animo & corpore æger, Roſtochii A. 1645; cujus obitum *Quiſtorpius*, Ordinis Theologorum Roſtochienſium ſenior, ad *Calovium* his ſignificavit: *Hugo Grotius æger ad nos ex Suecia, poſtquam in Caſſubiæ finibus naufragium paſſus eſſet, delatus eſt: me ad ſe vocari curavit: acceſſi: in agone ferme conſtitutum offendi. Ut ad beatam emigrationem ſe componeret, monui. Peccatorem ſe confitebatur, &, in ſolo Chriſto omnem ſuam ſpem repoſitam eſſe, aſſerebat, atque ita ſupremum vale mundo dicebat.* Annotata ejus in Libros Vet. & Nov. Teſt. multum, pro vaſta, qua pollebat Vir ſummus, eruditione, conferunt ad emphaſin verborum, ad ſenſum textus, ad hiſtoriæ illuſtrationem, ſed immiſcuit ille paradoxa varia, propterea a diverſis atro notatus lapillo. Annotationes ejus in Pentateuchum, librosque hiſtoricos, multa referunt ex antiquis Scriptoribus depromta, quæ non ſunt nullius uſus. Hiſtoriam *Jobi* veram eſſe,

Digitized by Google

eſſe, ſtatuit, ſed poetice tractatam; in *Pſalmis* multa acceſſiſſe Carmina, dicit, poſteriorum temporum, *Esdra* addente; librum *Proverbiorum* ἐκλογὴν eſſe optimarum ſententiarum, ex plurimis, qui ante *Salomonem* fuere, ſcriptoribus; quales multi Imperatorum Conſtantinopolitanorum conſcribi in ſuos uſus curaverint; קהלת non tam recte *eccleſiaſten*, quam *coacervatorem*, verti, putat, ut intelligamus, redactas in hunc librum varias hominum, qui ſapientes apud ſuos quisque habebantur, opiniones περὶ τῆς εὐδαιμονίας: neque adeo mirari nos debere, ſi quædam hic legamus, non probanda; omnes enim ſententias cum ſuis argumentis recitanti, neceſſe fuiſſe, id accidere. *Salomonis* eſſe librum, negat, quod multa vocabula, quæ non niſi in *Daniele*, *Esdra*, & Chaldæis interpretibus, habeantur, hic reperiantur. De *Cantico Canticorum* judicat, eſſe garritum conjugalem inter *Salomonem* & filiam Regis Ægypti, nuptiarumque arcana ſub honeſtis verborum involucris hic latere; ille amor autem typus cum fuerit amoris Chriſti erga eccleſiam, Chriſtianos ingenia ſua ad applicanda ad eam rem hujus carminis verba exercuiſſe, laudabili ſtudio, quod & Apoſtoli Chriſti cum eccleſia conjunctionem matrimonio comparaverint *Epheſ. V*, *32*, *2 Cor. XI*, *2*, *Apocal. XIX*, *7*, *8*. Ceterum in explicatione hujus libri allegat *Catullum*, *Horatium*, *Theocritum*, *Virgilium*, *Tibullum*, *Martialem*, *Ovidium*, ex iisque impudicas loquendi formulas excerpit, explicationi phraſium hujus libri deſtinatas. Pergit dein ad *libros Propheticos*, inque eorum explicatione ita verſatur, ut ſæpius faveat Judæis, a multis eam ob cauſam reprehenſus. *Libros apocryphos* etiam notulis, multam continentibus eruditionem, illuſtravit.

Horum Operum *Tomo II* habentur *Annotationes in quatuor Evangelia & Acta Apoſtolorum*. Fatetur in Præfatione *Grotius*, ſibi, cum iſta annotare, captivo, cum perficeret, privato, cum ederet, in aliquo jam honore conſtituto, propoſitum ſemper fuiſſe, non alicui earum ſervire partium, in quas ingenti ſeculi noſtri malo diviſi ſumus Chriſtiani, ſed Chriſtianis plane omnibus, ſuaque ſtudia dirigere ad notitiam evangelicæ veritatis, & incrementum pietatis ejus, ad quam omni ſtudio debeamus

 con-

Digitized by Google

contendere. Satis fuſe expoſuit mentem Evangeliſtarum, eruditione rara ex antiquis deſumta; inprimis, quæ ſpectant ad dilucidandam orationem Chriſti montanam, copioſe eſt perſecutus.

Tomus III Annotationes complectitur in *Epiſtolas Apoſtolicas* & *Apocalypſin*. Epiſtolas *Paulinas*, in præloquio bene obſervat, non eſſe temporis ordine locatas ab iis, qui eas primi in unum volumen compegere, ſed pro dignitate eorum, ad quos ſcriptæ ſint: ideo præcedere, quæ ad eccleſias, ſequi, quæ ad ſingulos, ſcriptæ ſint. *Epiſtolam ad Romanos*, ob urbis ejus majeſtatem, primo omnium loco collocatam. Græce ſcriptam largitur; quod & ipſe, & ſcriba ejus, *Tertius*, quanquam forte Latini ſermonis non eſſent plane ignari, Græce tamen rectius ille dictaret, hic ſcriberet, quam Latine, & quod Græca lingua Romanis omnibus, etiam fœminis, ut ex *Juvenale* diſcimus, in uſu eſſet quotidiano, peregrinis vero, Romæ morantibus, notior, quam Romana. Hanc etiam Epiſtolam, quanquam Romanis proprie miſſam, ita continere omnia religionis Chriſtianæ monumenta, ut digniſſima eſſet, cujus exempla etiam ad alias eccleſias mitterentur; Græca autem, ut *Cicero* ait *pro Archia*, leguntur in omnibus ferme gentibus, Latina ſuis finibus, exiguis ſane, continentur. Multa ceteroquin carpit in hac Epiſtola: accuſat enim *Paulum* obſcuritatis, quod Hebraiſmis & Syriaſmis utatur; quod ſermo ejus ſæpe abruptus, ſæpe interciſus, nec tam fluens præmeditato ordine, quam impetu dicendi, quicquid in mentem veniret, ruens; quod non inſtet propoſito, & ſæpe ab incepto ſermone in alterum transvolet; quod generaliter enuntiet ea, quæ vera ſunt ἐπὶ τὸ πολὺ, ſive plerumque, quod manifeſtiſſimum ſit *Cap. III, 10*, quod & ad alia pari jure porrigi debeat. Scriptores novos plerumque hujus Epiſtolæ ſenſum non ſatis bene eſſe aſſecutos. Sic *fidem* minus recte explicari, quæ re ipſa in Epiſtolis *Paulinis*, & in illa ad Hebræos, ſit *exiſtimatio, magnifice ſentiens de Dei potentia, juſtitia, bonitate, &c, ſi quid promiſerit, in eo præſtando conſtantia*: hanc a Deo magni plane fieri, & hoc eſſe, quod in hac Epiſtola dicitur, fidem

dem ad juſtitiam imputari, aut juſtitiam imputari per fidem; non enim id ſignificare, Chriſti obedientiam fide apprehenſam haberi pro noſtra, ſed fidem cenſeri a Deo rem egregie bonam. Quæ Viri doctiſſimi ſententia quantopere abhorreat ab evangelica veritate, quivis facile intelligit. In notulis ad alias Epiſtolas multa eruditiſſima, ſed & a communi interpretatione admodum abeuntia, deprehendes. Adjicitur huic *Tomo* copioſiſſimus Index rerum & verborum, vocum etiam Hebræarum & Græcarum.

Tomus IV continet *Opuſcula diverſa*, quæ ſeorſim prodierunt, conjuncta inter ſe & copulata: nempe illum *de veritate religionis Chriſtianæ*, in quo ex veteribus ac novis ſelegit & expoſuit, quæ ſibi probabantur: ea, quibus aſſentiebatur, ordine certo diſpoſuit, & expoſuit, quam potuit maxime, populariter, verſibusque incluſit ſermone patriæ ſuæ, ut eo rectius memoriæ mandarentur, inprimis a navigantibus: ii deinceps in ſermonem Latinum fuere converſi, ſermoneque non ligato prolati. *Libro primo*, Deum eſſe, probavit, eundem eſſe unum, in eo eſſe omnem perfectionem, aliisque coruſcare eum attributis, denique regi univerſum a Deo. Occurrit dein objectioni, quod tanta ſit ſcelerum licentia, ſæpe ut opprimantur boni. Animos, ex eo concludit, ſuperſtites eſſe corporibus, hominemque felicitatem poſt hanc vitam quærere debere, ad quam comparandam indaganda vera religio. *Libro ſecundo*, religionem Chriſtianam veriſſimam eſſe, atque certiſſimam, oſtendit. *Liber tertius* autoritatem libris Veteris & Novi Fœderis aſſerit. *Liber quartus* paganiſmi, *quintus* Judaiſmi, *ſextus* Muhammediſmi, refutationem continet. Sed, cum liber is præſtantiſſimus omnium teratur manibus, in eo excerpendo noluimus ambagibus ſtudere. *Ordinum Hollandiæ ac Weſtfriſiæ pietas* vindicias horum Ordinum continet ab improbis multorum calumniis, præſertim vero a nupera *Sibrandi Lubberti* Epiſtola, quam ad Reverendiſſimum Archiepiſcopum Cantuarienſem ſcripſit. Depellit *Grotius*, eo tempore Ordinum Fiſci Advocatus, criminationem *Sibrandi* ab Ordinibus Hollandiæ, qua, eos fautores eſſe Socinianiſmi, ea ex cauſa

 clamat,

clamat, quod *Conradum Vorſtium* ad munus Profeſſoris Theologiæ, in Academia Lugdunenſi obeundum, vocari permiſerint. Sic & alterum accuſationis caput, quod tolerandos judicaverint Ordines Hollandiæ eos Paſtores, qui de prædeſtinatione a *Sibrando* diſſentiunt, ſolidiſſime ſolvit. Huic *Grotii* ſcriptiunculæ cum quædam repoſuiſſet *Sibrandus*, reſpondit ille in libello, quem inſcripſit: *Bona fides Sibrandi Lubberti demonſtrata ex libro, quem inſcripſit reſponſionem ad pietatem Hugonis Grotii.* Monſtrandum fuiſſe, *Grotius* dicit, quos partus ferat tam fœda mater. Hinc illa ſunt, negare dicta, quæ dixeris; alteri nec dicta, nec cogitata, impingere; errata tueri mordicus; aliena bene dicta depravare, conviciari muliebriter. Brevibus itaque *Sibrandi* reſponſionem cum ſua confert, illiusque docet futilitatem. Exhibetur jam *Decretum Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ pro pace eccleſiarum, munitum ſacræ Scripturæ autoritate, & Conciliorum, antiquorum Patrum, confeſſionum publicarum, & recentiorum doctorum, teſtimoniis.* Publicatum fuit menſe Januario A. 1614. Digniſſimum ideo notatu, quod ſtatum religionis, qui fuit iſto tempore, inſigniter illuſtret, cum lites Arminianos inter & Reformatos multas in iſtis locis turbas excitarent. Ita habent ejus inter alia verba: *Rebus diu multumque perpenſis, religioſeque & circumſpecte examinatis ſingulis; quæ in colloquio duodecim Paſtorum A. 1611 noſtro in conventu primum peracta, mox etiam cum ipſorum conſiliis perſcripta, nobisque tradita fuere; — — — nos imperamus, ut Paſtores inſigant populo, ſalutem quidem noſtram ex Deo ſolo eſſe, at nos nobis ipſis perniciem accerſere, ac — — — principium, progreſſum, & finem humanæ ſalutis, atque ipſam adeo fidem, non nativis hominum viribus aut factis, ſed ſoli, nec promeritæ, Dei in Jeſu Chriſto, Servatore noſtro, gratiæ accepta ferri debere: nullos a Deo omnipotente homines ad damnationem creatos, nullis a Deo peccandi neceſſitatem imponi, neque a Deo ad ſalutem invitari quemquam, cui ſalutem omnino non dare decreverit.* Adjiciunt denique: *Qui ſupra nec docent, nec ſentiunt, quam a Deo omnipotente ab æterno ad ſalutem perpetuam electos,* pro

pro benevolo affectu voluntatis ipſius, fundato in Jeſu Chriſto, redemtore ac ſervatore noſtro, eos, qui per impromeritam gratiam Spiritus Sancti operationem in Jeſum Chriſtum, dominum noſtrum, credunt, & in fide per ſimilem impromeritam gratiam ad finem usque perſeverant: contra vero ad damnationem rejectos eos, qui in Jeſum Chriſtum non credunt, & in incredulitate ad finem perſeverant; hos nolumus eo nomine moleſtiam pati, aut urgeri, ut ſupra doceant aut ſentiant, cum eam ipſam docendi formam judicemus ad ſalutem ſufficere, & ad Chriſtianam inſtructionem eſſe idoneam. Illud decretum erudite illuſtravit *Grotius* ex Scripturæ S. aliisque teſtimoniis. Sequitur dein *Oratio, ab Hugone Grotio in ſenatu Amſtelodamenſi nono Cal. Maji A. 1616 habita*, ad informandum Conſules, & Senatum ante dictum, de ſincera Ordinum Hollandiæ Weſtfriſiæque mente, in conſervanda vera Chriſtiana reformata religione, deque probis & graviſſimis rationibus, quibus moti in eccleſiaſtica re ea ſanxerunt decreta, ad religionem attinentia: quam e Belgico in Latinum ſermonem convertit *Theodorus Schrevelius*. Fatetur tamen ipſe *Grotius*, ſe Collegasque non unius relatu didiciſſe, tam ante adventum, quam poſt, certum quendam per urbem diſperſum fuiſſe rumorem, ac ſi eo miſſi eſſent ad religionem innovandam, neque prætermiſiſſe ex adverſo omnibus, quos convenire datum fuit, fidem facere de rumoris illius falſitate. Interſeritur *Defenſio Decreti Ordinum Hollandiæ pro pace eccleſiæ*, quæ tantum fragmentum eſt. Tum legitur *de imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra Commentarius poſthumus*, in quo & imperium ſummis poteſtatibus circa ſacra ſolide aſſerit, & ad dubia reſpondet, quæ moveri forte poſſent. Subſequitur *Defenſio fidei catholicæ de ſatisfactione Chriſti adverſus Fauſtum Socinum, Senenſem.* Deum vult in hoc negotio conſiderari ut rectorem, qui agat per diſpenſationem; reconciliationem, redemtionem, expiationem noſtram per mortem Chriſti factam eſſe, concedit. Sequuntur nonnulla, quæ, ut pacem eccleſiaſticam promoveret Vir eruditiſſimus, conſcripſit: *Conciliatio diſſentientium de re prædeſtinaria & gratia opinionum*; *Diſquiſitio de dogmatibus Pelagianis*, in qua, an

Pela-

Digitized by Google

Pelagiana dogmata ea ſint, quæ nunc ſub eo nomine traducuntur, disquirit. Excipit hos Tractatus liber: *Philoſophorum ſententiæ de fato, & de eo, quod in noſtra eſt poteſtate, collectæ partim, & de Græco verſæ.* Adduxit *Hieroclem*, de uſu Deorum, compendium *Hieroclis* de providentia, fato, & eo, quod noſtræ eſt poteſtatis, ut & *Platonem, Tacitum, Plutarchum, Alcinoum, Chalcidium, Maximum Tyrium, Plotinum, Jamblichum, Alexandrum Aphrodiſienſem, Ammonium,* Stoicos, Epicuræos, Judæos, Chriſtianos, Philoſophos. Hinc legitur *Commentatio ad loca quædam Novi Teſtamenti, quæ de Antichriſto agunt, aut agere putantur, expendenda eruditis*; addita eſt *Appendix, in qua via ſternitur ad Chriſtianorum concordiam.* Omnem *Grotius* eo confert operam, ut explicationem faciat Pontifici Romano faventem: uti in Appendice eam Chriſtianis concordiam ſuadet, quæ cum veritatis ſtudio, ſollicito ſatis, componi nequit. Excipit hanc *Diſſertationum* par, altera *de cœnæ adminiſtratione, ubi paſtores non ſunt*; altera, *an ſemper communicandum per ſymbola?* In *priori*, familiam ſacerdotem eſſe ſibi, ubi paſtores non ſunt, cœnæque adminiſtrationem in illa in caſu neceſſitatis accipi omnino poſſe; in *poſteriori* autem, a Symbolis, contendit, interdum abſtinere nos poſſe; ipſam ſacram cœnam non per modum præcepti eſſe inſtitutam, ſed ritum a Chriſto, more Hebræorum, obſervatum. Morem fuiſſe Hebræis, qui & nunc maneat feſtis diebus, vocare ad cœnam propinquos; cœnæ fine panem meliorem ac frangi facilem allatum fuiſſe; de eo particulas convivatorem diviſiſſe convivis, allatum fuiſſe & calicem, qui & ipſe a convivatore libatus iverit in orbem, additis verbis, Deo pro certo beneficiorum genere gratias agentibus; Chriſtum adjeciſſe mortis ſuæ cruentæ commemorationem. Itaque illud **τῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν** non eſſe definitum imperium, ſed intelligendum hoc ὅταν ποιεῖτε, quoties feſtas cœnas habetis, & more ſolito, iſto poſtcœnio illas clauditis. *Paulum* nusquam præceptum, ſed inſtitutum, vocare, nec quosvis invitare, ſed eos, qui bene ſe exploraverint, an nempe in ſpiritu ſint dilectionis, cujus ſymbolum habeat iſta panis vinique participatio.

tio. Symbolorum autem eam eſſe naturam, ut facile ex cauſa probabili omitti ſe ferant; interdum igitur cum *Auguſtino* dicere licere: *crede, & manducaſti.* Sequuntur jam *Explicatio trium utiliſſimorum locorum Novi Teſtamenti, Capitis I Pauli ad Ephesios, poſterioris partis Capitis II Jacobi, commatis 14 & ſequentium, Capitis III Epiſtolæ I Joannis, in quibus agitur de fide & operibus*; *Via ad pacem eccleſiaſticam*, in quo Tractatu continentur: *Bulla Pii IV Papæ ſuper forma juramenti profeſſionis fidei*; *Confeſſio fidei, exhibita invictiſſimo Imperatori Carolo V in Comitiis Auguſtanis anni MDXXX*; Georgii Caſſandri *Conſultatio de articulis religionis inter Catholicos & Proteſtantes controverſis*; Hugonis Grotii *Annotata ad Conſultationem* Caſſandri; *Ejusdem Disquiſitio de dogmatibus Pelagianis*; *Ejusdem baptizatorum puerorum inſtitutio & eucbariſtia*; *Syllabus Autorum, qui de conciliatione controverſiarum in religione ſcripſerunt.* Fuit Viri alioqui eruditiſſimi conſilium, oſtendendi viam, qua Pontificii & Lutherani ad pacem religionis poſſent pervenire: ſcilicet polum arcticum cum antarctico copulare voluit, ſive pro ingenii pariter ac eruditionis amplitudine præſtare, quæ fieri non poſſunt. Legat modo, qui impoſſibilitatem inſtituti agnoſcere non vult, Bullam illam Pii IV, &, quam huic adjunxit ſtatim, Auguſtanam Confeſſionem, hanc etiam conferat cum illa, ita, quæ eo in negotio verſatur, pugnam ſtatim quilibet deprehendet. Celebris olim Reformatorum Theologus, *Rivetus*, docuit eandem, & demonſtravit quam luculentiſſime, ſed hypotheſi ſemel recepta faſcinatus *Grotius*, non vidit, quæ videre poterat, Vir alioqui ſagaciſſimus. Fidem hujus rei nobis faciunt, quæ hoc *Tomo* ſequuntur: *Animadverſiones* Grotii *in Animadverſiones* Riveti, *una cum voto* Grotii *pro pace eccleſiaſtica, contra examen Andreæ Riveti, & alios irreconciliabiles*; & Rivetiani *Apologetici, pro ſchiſmate contra votum pacis facti, diſcuſſio.* Finem faciunt perbreves *Grotii* Diſſertationes, quarum *prima, de ſummo ſacerdotio*, derogat ſtatui eccleſiaſtico regnum, quod mira hujus vis ſit animorum corruptrix; *altera, de dogmatibus, ritibus, & gubernatione eccleſiæ Chriſti*, his tribus

vinculis eccleſiam Chriſtianam contineri, defendit; *tertia, de dogmatibus, quæ reipublicæ noxia ſunt, aut dicuntur,* eos accuſat inprimis, qui hominibus in ſpiritualibus liberum arbitrium concedere nolunt. Hæc ſunt Opera Theologica *Hugonis Grotii.* Vir ille ſummi ingenii, & doctrinæ ferme incomparabilis, fuit, ſed ſola ferme πολυπραγμοσύνη & vitæ ſuæ maxima incommoda, & nomini ſuo maculam non levem, attraxit. Qui ſapit, πολυπραγμοσύνην ceu peſtem fugiet.

HISTOIRE GENERALE DES AUTEURS SAcrés & Eccleſiaſtiques, &c.

h. e.

HISTORIA GENERALIS AUTORUM SAcrorum & Eccleſiaſticorum, continens eorum vitas, catalogum, examen criticum, judicia, chronologiam, analyſin, & recenſionem variarum editionum Operum eorundem, &c. Autore R. P. REMIGIO CEILLIER, Benedictino.

Tomus III.

Pariſiis, apud Phil. Nicol. Lottinum, 1732, 4 maj. Alph. 4 plag. 5.

Poſtquam duo priores hujus Operis *Tomi* in *Supplementis ad Nova Acta Tom. I Sect. XI pag. 541,* & *Tom. II Sect. I pag. 7,* paulo fuſius ſunt recenſiti, ita, ut de inſtituto Autoris, & ratione tractandi, Lectoribus jam conſtare queat, brevior nunc recenſio *Tomi tertii* exhibetur. Habet autem *Tomus* iſte, Autorum Eccleſiaſticorum, præcipuorum Martyrum, & Conciliorum Seculi III notitiam tradens, Capita XXXVI ſequentis argumenti. *Capite I,* valde copioſo, & quartam *Tomi* partem conſtituente, Autor *Artic. I* vitam S. *Cypriani,* doctoris Eccleſiæ, Epiſcopi Carthaginienſis, & Martyris, curate enarrat. *Artic. II & III* ſcripta ejus ſigillatim recenſet, inprimis librum ad *Donatum,* qui & nonnunquam Epiſtola dicitur,

tur, a *Cypriano*, recens converſo, ſummo ſtili nitore ſcriptum; ſtilum autem libri de vanitate idolorum, ingruente perſecutione, e *Tertulliano* & *Minucio Felice* raptim conſarcinati, minus caſtigatum dicit; hujusque & reliquorum librorum atque Epiſtolarum omnium pleniori analyſi varias obſervationes inſpergit. *Artic. IV* de ſcriptis *Cypriani* deperditis, deque ſuppoſititiis, agit; hisque eos omnes, quos *Rivetus*, *Caveus*, & reliqui Scriptorum Eccleſiaſticorum critici atque enarratores Proteſtantes, inter ſuppoſititios referunt, accenſet. *Artic. V*, de doctrina ejusdem exponens, divinitatem librorum Vet. Teſt. apocryphorum ab eo agnoſci, more ſolito jactat; ſententias etiam ſingulares, e. g. de angelis poſt hominis creationem ex invidia, quod ad imaginem Dei ille ſit conditus, lapſis, mulierum deinde conſuetudine pollutis, hasque ad laſcivum cultum ſemper ſtimulantibus, de aqua, populum repræſentante, vino, ſanguinis Chriſti ſymbolo in S. Eucharistia ſemper miſcenda, de Baptiſmo hæreticorum invalido, deque ſchiſmatico, rite conſecrare S. Euchariſtiam haud valente, de veſtibus atris ob defunctos haud aſſumendis, quando illi indumenta alba jam ſumſerint, &c. commemorat. *Artic. V* judicium de *Cypriano* vere panegyricum exhibet, & ſententiam ejus de rebaptizandis, qui ab hæreticis eſſent baptizati, ab Eccleſia damnatam, verbis *Auguſtini* emollit atque excuſat. *Artic. VI* ſcripta *Cypriani* ſummopere laudat, & catalogum editionum addit. *Artic. VII* vitam *Cypriani* a *Pontio* Diacono ſcriptam, & diverſa Acta martyrii ejusdem, examinat. *Caput I* per errorem, in ipſa tabula Capitum notatum, ſtatim excipit *Caput VI*, Acta martyrii S. *Fructuoſi*, Epiſcopi Tarraconenſis, S. *Lucæ*, *Montani*, & ſociorum, S. *Jacobi* Diaconi, & S. *Mariani* Lectoris, referens. *Cap. VII* Acta martyrii S. *Nicephori*, quæ a *Ruinarto* magis γνησίως, quam a *Surio*, repræſentata dicit, item Acta S. *Cyrilli*, S. *Priſci*, & aliorum Martyrum Palæſtinæ, exhibet. *Cap. VIII* Acta S. *Felicis*, Presbyteri Nolani, & Confeſſoris, tradit. *Cap. IX* S. *Dionyſii*, Epiſcopi Alexandrini, & Confeſſoris, mortui A. 264, vitam & Acta *Artic. I*, tum & ſcripta, Epiſtolas nempe ad *Novatianum*, *Fabium* Antioche-

O 2 num,

num, &c. *Artic. II*, fuſe enarrat. *Cap. X* de *Beryllo*, Epiſcopo Boſtrenſi, ab *Origene* a Sabellianiſmo revocato; deque *Tryphone*, *Origenis* diſcipulo, quorum ſcripta ſunt perdita; *Cap. XI* de S. *Stephano*, Papa & Martyre, ejusque Epiſtolis; *Cap. XII* de Martyrio S. *Laurentii*, Diaconi Romani, & Martyrum CCC Uticenſium, A. 258 in grandi fornace calcaria exuſtorum, qui dicti ſunt *Maſſa candida*; *Cap. XIII* de *Novatiano*, Presbytero Romano ſchiſmatico, ejusque ſcriptis, optime editis a *Jo. Jackſonio* Londini A. 1728, 8; *Cap. XIV* de S. *Sixto II*, Papa & Martyre, ejusque ſcriptis ſuppoſititiis: de *Nepote*, Epiſcopo Ægypti, *Baſilide*, Epiſcopo Pentapoleos, & *Malchione*, Presbytero Antiocheno, *Paulum Samoſatenum* in Concilio Antiocheno erroris convincente; *Cap. XV* de *Euſebio*, Confeſſore, & S. *Anatolio*, Epiſcopo Laodicenſi, utroque patria Alexandrino, illiusque ſcriptis ſuppoſititiis, & hujus genuinis, ſpeciatim Canone paſchali; *Cap. XVI* de S. *Firmiliano*, Epiſcopo Cæſareæ Cappadociæ, acri *Pauli Samoſateni* adverſario; *Cap. XVII* de S. *Gregorio Thaumaturgo*, Epiſcopo Neo-Cæſarienſi, ejusque vita, *Artic. I*, de ſcriptis ejus, Symboloque fidei, quod S. *Joannes* Evangeliſta, hortante B. V. *Maria*, ei in viſione tradidiſſe fertur, a quo diverſa eſt expoſitio fidei ad *Ælianum*, Epiſtolis denique, Paraphraſi in Eccleſiaſten, & aliis Operibus, eorumque editionibus, *Artic. II*, fuſius agit. *Cap. XVIII* de S. *Dionyſio*, Papa Romano, A. 259 orthodoxæ fidei defenſore ſtrenuo; *Cap. XIX* de *Theognoſte* Alexandrino, ab *Athanaſio* inprimis laudato, ab *Hieronymo* vero in Catalogo Scriptorum eccleſiæ omiſſo, cujus Orationes VII *Photius* Cod. 106 recenſet; *Cap. XX* de *Archelao*, Epiſcopo Caſcarenſi in Meſopotamia, non niſi ex Diſputationibus adverſus *Manetem* noto, & *Hieronymo* in Catal. Script. Eccleſ. Cap. 72 memorato, ſimulque de origine & progreſſu errorum Manichæorum; *Cap. XXI* de S. *Victorino*, Epiſcopo Petavionenſi in Styria, Martyre, ejusque ſcriptis, Cap. 74 ab *Hieronymo* laudatis, ſpeciatim de Commentario in Apocalypſin, commemorat, quem interpolatum, &, cum regnum millenarium, teſte *Hieronymo*, ille ſtatuerit, contrariam ſententiam inſertam, dicit, uti & in aliis Patrum

ſcriptis

ſcriptis factum haud diſſimulat. Tum & de *Pierio*, Presbytero Alexandrino, ejusque ſcriptis deperditis, item de *Athenogene*, Martyre, cujus Acta Martyrii, metaphraſti tributa, nullam veri ſpeciem habere ait; *Cap. XXII* de Actis (iisque proconſularibus, h. e. a notariis Proconſulis conſignatis, adeoque genuinis,) S. S. *Martyrum*, fratrum, *Claudii*, *Aſterii*, *Neonis*, A. 285 crudeliſſimis ſuppliciis exſtinctorum; *Cap. XXIII* de Actis S. *Mauritii*, & aliorum Martyrum legionis Thebææ, quæ ab *Eucherio*, Epiſcopo Lugdunenſi, medio Seculo V collecta, atque adeo fide digna, ea autem, quæ *Surius* exhibet, minus genuina, dicit; *Cap. XXIV* de Actis S. *Donatiani*, & S. *Rogatiani*, Martyrum Nannetenſium, quæ originariis æquiparanda dicit, licet Seculo demum V conſignata videantur; *Cap. XXV* de Actis Martyrii S. *Bonifacii*, & S. *Victoris*, Romæ circa A. 290 paſſorum, quæ dubia, certe interpolata, ſtatuit, licet ea *Ruinartus* in Actis Martyrum ſinceris, & *Bollandus* in *Actis* Sanctorum, pro genuinis habeant; item de Actis S. *Maximiliani*, Tebeſtæ in Numidia ſupplicio affecti, quæ genuina dicit; *Cap. XXVI* de Actis S. *Marcelli*, Centurionis, & S. *Caſſiani*, tabellionis, in annum 298 incidentibus, quæ ſincera agnoſcit; *Cap. XXVII* de *Arnobio*, Rhetore, ejusque vita & libris VII contra paganos, quorum fuſam dat analyſin, & doctrinam *Arnobii* examinat, erroresque, quod neophytus adhuc, & parum in religione Chriſtiana inſtructus, ſcripſerit, excuſat, editionesque recenſet; *Cap. XXVIII* de *Lactantii*, Rhetoris, & defenſoris eccleſiæ, vita & ſcriptis genuinis, (inter quæ librum de mortibus perſecutorum in medio relinquit, neque aſſeveranter ei tribuit Autor,) ſcriptis item deperditis & ſuppoſititiis, cum examine, doctrina, & catalogo editionum; *Cap. XXIX* de S. *Pamphilo*, Presbytero Cæſaræenſi, ejusque Apologia pro *Origene*, cujus non niſi liber primus e verſione *Ruffini* reſtat, aliisque ſcriptis, & doctrina, commentatur. *Capite XXX*, admodum copioſo, & in *Articulos XIX* diſtincto, de Actis variorum Martyrum ſub *Diocletiano*; *Cap. XXXI* de Conciliis, primis tribus Seculis in Eccleſia habitis, ample & erudite tradit. In his *Artic. I* agit de Concilio Apoſtolorum, A. C. 50 aut 51 Hieroſolymæ habito,

bito,

bito, quod exemplar aliorum Conciliorum dicit. Concilium autem Apoſtolorum Antiochenum, & alia, quæ nonnulli fingunt, rejicit. *Artic. II* de Concilio contra Montaniſtas, A. 171 aut 172, incertum, in qua Aſiæ urbe, habito; *Artic. III* de Conciliis in controverſia Paſchali Cæſareæ circa A. 196, Romæ eodem anno a Papa *Victore*, in Ponto, in Gallia, Epheſi, & alibi, habitis; deque *Victore* Eccleſias Aſiaticas ob diverſam Paſchatos celebrationem excommunicante; *Artic. IV* de Conciliis Carthagine, Iconii, & alibi, ob quæſtionem de baptiſmo hæreticorum, habitis; *Artic. V* de Conciliis, Alexandriæ in Numidia, Arabia, Aſia, & Achaja, contra *Origenem* habitis; *Artic. VI* de Conciliis Carthagine A. 249 & 251, maxime in cauſa lapſorum, Romæ A. 251, & Antiochiæ A. 252 contra *Novatianum*, item Carthagine A. 252, ob lapſos in perſecutione, habitis; *Artic. VII* de Conciliis, quæ Narbone & Romæ A. 263 habita, incerta fide feruntur: deque Concilio Antiocheno I, A. 264, 269, & 270, contra *Paulum Samoſatenum* habito, diligenter agit. Sub finem Capitis non dubitat Autor falſum & fictum pronuntiare Concilium, quod *Baronius*, ex verbis *Athanaſii* perperam intellectis, ſub Papa *Dionyſio* contra *Paulum Samoſatenum* habitum, ſtatuit. *Capite XXXII*, de Canonibus Apoſtolorum agens, eos ab Apoſtolis ipſis profectos, contra *Turrianum*, & alios, id aſſerentes, allatis rationibus negat; Concilio tamen Nicæno antiquiores, &, ſi non citius, certe ineunte Seculo IV, collectos, ſtatuit. Simul vero & *Dallæi* ſententiam, qui eos Seculo demum V confectos aſſerit, refutatum it, magnamque ſemper eorum in Eccleſia Latina æque ac Græca autoritatem fuiſſe, oſtendit; eosdemque cum analyſi exhibet, & editiones recenſet. *Capite XXXIII*, de Conſtitutionibus Apoſtolicis disquirens, has itidem ſuppoſititias, & impoſturam omnibus paginis elucere, ait: quas *Epiphanius* citat, ab his, quæ hodie circumferuntur, diverſas fuiſſe, monſtrat; hasque a Scriptore quodam Seculi V e diverſis ſcriptis, nomine Apoſtolorum inſignitis, compilatas, & *Clementi* Romano falſo tributas, docet, variaque ad diſciplinam & ritus eccleſiæ pertinentia ex iis adducit. *Cap. XXXIV* Concilia Seculi IV percenſet. *Artic. I* de Concilio Elvi-

Elvirenſi, in Bætica A. 300 aut 301 habito, cujus Canones LXXX recenſet, & obſcuriores explicat; *Artic. II* de Concilio Alexandrino in cauſa *Meletii*, quem circa A. 301 Epiſcopatu Lycopolitano in Ægypto ob crimina dejectum, atque eapropter, non autem ob diſſenſionem de receptione lapſorum, uti *Epiphanius*, forte a ſectatoribus *Meletii* deceptus, narrat, ſchiſma excitaſſe, dicit; *Artic. III* de falſo Concilio Sinueſſano tractans, quod in cauſa *Marcelli* Papæ deponendi, quod idolis ſacrificaverit, habitum fingitur, quodque a *Somiero*, ſcriptore *Hiſtoriæ dogmaticæ S. Sedis*, ſine dubio ob canonem ei adſcriptum: ***Prima ſedes non judicatur a quoquam***, pro vero defendi, miratur Autor, illud ab homine inſulſo confictum, aliquot argumentis oſtendit; objectionemque, hiſtoriam lapſus *Marcellini*, & Concilii Sinueſſani, tamen autoritate Breviarii Romani confirmari, reſponſione vix dignam cenſet; cum omnes hodie, parum modo in arte critica verſati, agnoſcant falſitatem multarum narrationum, e quibus lectiones Breviarii Romani ſint compoſitæ, e. g. illius de baptiſmo & donatione **Pag. 685.** *Conſtantini M.* Conſentit itaque *Coutantio*, in *Append. Tomi I Epiſtol. decretal. Pontif.* ſtatuenti, circa A. 502, tempore Concilii Romæ in cauſa Papæ *Symmachi* habiti, forte ad ſtabiliendum, quod pro eo factum erat, decretum, a quodam ſemilatino Gotho totum illud Concilium Sinueſſanum fuiſſe confictum. *Artic. IV* de Concilio Cirthæ in Numidia A. 305 habito contra Epiſcopos traditores; *Artic. V* de Conciliabulo Carthaginienſi, a ſchiſmaticis contra *Cæcilianum* Epiſcopum A. 311 vel 312 habito, unde origo Donatiſtarum repetenda; *Artic. VI* de Concilio Romæ in cauſa *Cæciliani*, juſſu *Conſtantini* Imperatoris, in palatio *Fauſtæ*, uxoris ejus, dicto domus Lateranenſis, habito, quo *Cæcilianus* abſolutus, & *Donatus* condemnatus eſt, reſciſſaque ſunt Acta Conciliabuli Carthaginienſis; *Artic. VII* de Concilio Arelatenſi in cauſa Donatiſtarum, de Concilii Romani decretis conquerentium, auſpiciis *Conſtantini M.* A. 314 habito, cujus & Canones XXII recenſet, fuſiusque de Africanarum Eccleſiarum more rebaptizandi hæreticos agit; ipſumque hoc Concilium præ omnibus eo usque in Eccle-

Eccleſia habitis illuſtre & venerandum appellat; *Artic. VIII* de Concilio Ancyrano in Galatia, anno, ut vulgo fertur, 314, certe ante annum 319, habito; cujus Canones XXV, maxime ad lapſos in perſecutione pertinentes, recenſet; *Artic. IX* de Concilio Neocæſarienſi, circa A. 315 habito, ejusque Canonibus XIV, refert, item de Concilio Romano fictitio anni 315, in quo *Helena, Conſtantini M.* mater, Judæiſmi fuerit accuſata, & cum Judæis diſputatum, citato in Actis S. *Sylveſtri*, in decreto *Gelaſii*, in Epiſtola Papæ *Hadriani* ad *Car[illegible]* M. & alibi: cujus Acta abſurditatibus plena nullam fidem mereri ait, paucisque refutat. Ceterum huic etiam *Tomo* additus eſt Index rerum copioſus.

M. ANTONII MURETI OPERA.

Tomus II — V.

Veronæ, apud Jo. Alb. Tumermannum, 1727 — 1730, 8.

Tom. II Alph. 1 plag. 3½, Tom. III Alph. 1 plag. 6½, Tom. IV Alph. 1 plag. 2, Tom. V Alph. 1 plag. 7½.

Etſi cum *Tomo V* nondum finita ſit præſtantiſſima hæc *Operum Mureti* Collectio, ſed plures ejus Partes expectare nos jubeat Præfatio *Tomo V* præmiſſa, quibus an videre jam lucem publicam, poſt tot annorum decurſum, contigerit, nos variis de cauſis dubitamus; non putavimus tamen ingratum nos facturos Lectoribus noſtris, ſi horum, quæcunque ad hunc diem venere in manus noſtras, *Voluminum* brevem ipſis notitiam ſuppeditemus. De *Tomo primo* dictum, quod ſatis fuit, in *Actis A. 1728 Menſ. Jun. pag. 286*, quo in loco ipſum Editoris inſtitutum, dotesque editionis hujus præcipuas, ex merito commendavimus. Jam igitur, dum *Tomos* Operis præclari reliquos percurrimus, illud nobis agendum reſtat, ut, quid ſcriptorum *Mureti* complectatur unusquisque, unde hæc petita Editori, quâm is curam in edendo adhibuerit, paucis edoceamus Lectores. *Tomum ſecundum* dedicavit Typographus Rev. Patri *Carolo de Lodolis*, Veneto,

Digitized by Google

neto, Sacræ Theologiæ Lectori, quem partim ob virtutes præclaras, partim ob id inprimis, laudat, quod ipſi non pauca ad editionem hanc *Operum Mureti* adornandam ſubminiſtraverit. Nulla præterea huic *Tomo* Præfatio Editoris acceſſit; ut de eo nihil nobis ſit dicendum, quam quod ex ipſo rubro diſcimus, contineri eo *Epiſtolarum Libros IV*, non earum tantum, quas in editione *Operum Mureti* Lipſienſi, A. 1714 a *Jac. Thomaſio* publicata, legimus, ſed aliarum etiam, quas, in faſciculum collectas, Lugduni A. 1661 *Jo. Mich. Brutus* edidit. Nec uberiorem dicendi materiam ſuppeditat *Tomus III*, & ipſe Præfatione deſtitutus, etſi Epiſtola non ineleganti in tutelam traditus *Jo. Antonii Aſtorii*, eruditiſſimi Viri, & in omnis generis antiquitatibus, quod varia ejus ſcripta teſtantur, verſatiſſimi. Habes hic *Variarum Lectionum Mureti Libros XV*, & Græcorum in his locorum Latinam interpretationem, quorum utrumque ſua *Operum Mureti* editione exulare juſſerat *Jac. Thomaſius*, ſed quæ huc translata ex editione Pariſienſi anni 1531, *Tomi* hujus rubrum indicat, niſi, mentiri, verius dicas. Fatemur enim, nullam nobis anni 1531 editionem Pariſienſem eſſe cognitam; cumque in Præfatione *Tomo IV* hujus Collectionis præfixa, deſumtos eſſe hos *Variarum Lectionum* libros ex editione Pariſienſi anni 1606, nos doceat Editor, hinc, in illa indiciorum diverſitate, parum abeſt, ut in titulo *Tomi* hujus errorem numerorum agnoſcamus. Frontem *Tomi quarti* ornat Dedicatio ad Illuſtriſſimum Virum, *Jo. Franc. Muſellum*, Eccleſiæ Veronenſis Archi-Presbyterum, quam excipit Editoris ad Lectorem Præfatio, vicem earum, quæ *Tomo ſecundo* & *tertio* accedere debuiſſent, ſuſtinens, quidque aut præſtiterit huc usque, aut in poſterum ſit præſtiturus Editor, ſtrictim commemorans. Ex ſcriptis *Mureti* hic comparent *Variarum Lectionum Libri quatuor* poſteriores, a *XVI* ad *XIX*, nec non *Liber ſingularis Obſervationum Juris*, ex *Lampade critica Gruteriana* petitus, præterea *Carmina Mureti*, non ea tantum, quæ *Thomaſius* olim cum ceteris *Mureti* ſcriptis edidit, ſed duo etiam alia, unum *ad Nearam*, in *Aldina Orationum Mureti* editione obvium, alterum *ad Fulviam, puellam*, non antehac editum, ſed jam liberaliter conceſ-

ſum Editori a *Catarino Zenone*, præclaræ doctrinæ & magnæ inter Venetos exiſtimationis Viro. Duxit & e re Lectorum Editor, ex Collectione *Thomaſiana* repetere *P. Syri Mimiambos*, quod eos eleganter expreſſit *Muretus* in *Inſtitutione puerili ad nepotem*, carmine feſtivo, cui eodem in *Tomo* inter alia Poetæ noſtri locus eſt datus. Ultimus, quem præ manibus habemus, *Operum Mureti Tomus ſextus* eſt, conſecratus *Jacobo Comiti de Taſſis*, Bergomati, continensque *in Ethicorum Ariſtotelis Libros Commentaria*, ea quidem mutila paſſim, nec ſatis ab Autore elimata, at, ſi judicem Editorem in Præfatione audias, ita comparata, *ut integros aliorum labores exſuperare videantur.* Ediderat hæc olim A. 1602 Ingolſtadii *Adamus Sartorius*, cujus labore præſentis Editor Collectionis uſus eſt in rem ſuam, etſi rejectis nonnullis, quæ ille addiderat ſuo libro, ſed quæ ad *Muretum* prorſus nihil pertinebant. Editor noſter, cum in Præfatione mentionem facit horum *Commentariorum*, præter morem ſuum affert aliquid, quod ſcitu jucundum ſit Hiſtoriæ literariæ ſtudioſis, oſtenditque, *Oberto Giphanio*, ad eadem *Ariſtotelis Ethica* Commentarios ſcribenti, laborem hunc *Mureti* prorſus incognitum fuiſſe. Operi huic ſubjuncti ſunt *Commentarius in Oeconomica Ariſtotelis*, a *Jacobo Ludovico* verſa, & *Interpretatio Commentariorum Alexandri Aphrodiſienſis in Librum VII Topicorum Ariſtotelis.* Quam lubenter jam ad recenſendos *Tomos Operum Mureti* reliquos pergeremus, ſi quid horum veniſſet in manus noſtras! Nobis, ut ſupra diximus, ne id quidem ſatis certo conſtat, an proſecutus ſit inſtitutum ſuum Editor, etſi, in animo id ei fuiſſe, ſit certiſſimum, partim quod *Operum Mureti* corpus integrum daturum ſe ſpoponderit paſſim, partim quod *Commentaria in Jus Civile*, & *in Græcos Latinosque Autores*, maxime *Poetas veteres*, expectare nos in *Tomi quarti & quinti* Præfatione diſertis verbis jubeat. Quo promiſſo ſi nondum ſe exſolverit Vir, quisquis eſt, de Republica literaria meritiſſimus, ut propediem ſe exſolvat, meliorum literarum cauſa vehementer optamus.

L A

LA MEDECINE THEOLOGIQUE &c.

h. e.

MEDICINA THEOLOGICA, SIVE MEdicina creata, qualis ea conſpicitur, profecta e manibus Dei, naturæ conditoris, ſuisque legibus gubernata: Opus, In quo Hygiene per principia mechaniſmi explicatur, deinceps per ſimiles notiones, ex ſcientiis, ad perficiendam Medicinam maxime accommodatis, petitas, ideæ genuinarum cujusque morbi cauſarum, ordinis, quo ſe excipere ſolent, verorumque remediorum, eruuntur. Accedunt in fine Theſes medicæ ejusdem Autoris.

Tomi II.

Pariſiis, apud Guilielmum Cavelierum, 1733, 12 maj. Tom. I Alph. 1 plag. 6, Tom. II Alph. 1 plag. 7.

Quare doctiſſimus Autor præſtantis hujus & omni eruditionis genere referti Operis, quem Cel. *Hecquetum* eſſe, ex Privilegio Regis cognovimus, librum ſuum Medicinæ Theologicæ nomine inſcribendum putarit, tum demum, ubi ſummam argumentumque ejus breviter retulerimus, clarius haud dubie intelligetur. In anteceſſum tamen monuiſſe ſufficiat, Medicinam Theologicam ipſi eandem eſſe, ac Medicinam divinæ inſtitutioni conformem. Deum enim ipſum primum fuiſſe omnis medicinæ autorem, magiſtrumque, & doctorem, toto hoc libro, & prima præcipue ejus Parte, Cel. Autor contendit. Cum enim is ipſe, cum reliquo mundi opificio, hominem condiderit; optime ſine ulla controverſia cognovit, quid ad eundem hominem conſervandum maxime idoneum eſſet atque accommodatum. Quam ob cauſam media, quibus vitam ſuam ſuſtentaret, ei monſtravit. Atque hinc primus Medicinæ præcepta tradidit, quippe quam non eſſe niſi artem vitam valetudinemque conſervandi, inter omnes conſtat. Præcepit autem homini, ut herbis, legumi-

nibus, & fructibus terræ, veſceretur, carnium vero uſum poſt diluvium demum, ex ſingulari benignitate, & propter cordis humani duritiem, fere ut Judæis poſteris temporibus divortia, indulſit. Ipſos etiam Judæos in locis deſertis manna, non carnibus, niſi ſemel, admodum invitus, aluit. Terra Canaan, quæ ipſis erat promiſſa, non ob carnium copiam, ſed vegetabilium præſtantiam, mellisque & lactis abundantiam, prædicatur. Quod ad potum attinet, aqua ſimplex potus fuit initio omnibus communis, haud dubie ex præceptione divina. Ante diluvium nullus conceſſus fuit vini uſus, nec ipſum vinum potus cauſa creatum. Huic igitur victus vivendique rationi præcipue hominum ante diluvium vita tam longa, & valetudo tam firma & proſpera, debetur. Qua occaſione doctiſſimus Autor copioſe de præſtantia leguminum & vegetabilium præ uſu carnis animalium, & de vita primorum hominum longiori, diſputat. Atque primum hoc regimen, a Deo ipſo profectum, commonſtratumque, humanæ naturæ quam optime convenit, ut ſcilicet uſu vegetabilium ſuſtentetur ac recreetur, quæ a diluvio neutiquam mutata & in deterius fuerunt converſa. Carnes vero ſecundum primam divinam inſtitutionem non conveniunt, & ſolidorum tonum, fluidorum autem fluiditatem, deſtruunt, hincque omnibus morbis occaſionem ſubminiſtrant, & vitam ipſam breviorem efficiunt, ut deinceps etiam hæc infirmitas & labes ad poſteros magis magisque propagetur. Quare nunc utique hominis natura maxime eſt immutata, & velut inverſa, ut legumina cum propter hanc mutationem, tum propter varias incruſtationes, & condimenta, quibus corrumpi ea ſolent, nobis in præſenti non æque conveniant, quam olim, ubi ſimplici modo aſſumebantur. Idcirco hic regulæ exponuntur, ad quarum ductum ſimplex victus reducendus ſit. Propter eandem mutationem ipſa etiam vegetabilia ſpecifica non adeo efficaciter agunt in corpus, nec morbos tam prompte profligant. Quoniam itaque has leges a Deo ad conſervandam valetudinem ſancitas Medicus ſemper in animo habere, & imitari, debet, atque corpus humanum, illud omnium perfectionum divinarum, in rebus creatis

creatis expreſſarum, velut compendium ſibi perpetuo objectum propoſitumque habet, in quod intueatur, & cujus commoda curet, ubique Deum præſentem venerabitur, nec facile, ut nonnulli cavillantur, artis ſuæ exercitio omnem ejus memoriam cultumque animo exſtinguet, ſed medicinam velut catechiſmum ad fidem eſſe comperiet, quod alias *Cyrillus* appoſite de Philoſophia dixit. Idque argumentum Parte altera uberius perſequitur, ubi corporis humani fabricam, atque omnium ejus partium ſtructuram, elegantiſſime evolvit, &, quæ ab oculatiſſimis recentioris ævi Anatomicis detecta fuerunt, concinne nitideque exponit, & ſimul quarumlibet partium officia ex rationibus mechanicis elegantiſſime explicat, eo ſcilicet conſilio, ut, quibus machinamentis corpus noſtrum ſecundum Dei conditoris fines moveatur, quibus motuum legibus omnes functiones peragantur & determinentur, exinde cognoſcatur, ſimulque pateat, medicinam hac quoque ratione viam ad cognoſcendam Dei exiſtentiam, inſpiciendasque ejus perfectiones, parare. Ut non immerito hanc Partem Phyſiologiam corporis humani ad Theologiam naturalem applicatam dixeris. Illa ipſa etiam vis inſita ſanitatem corporis conſervandi, & morbos ſæpe depellendi ſine externo auxilio, quam naturam medicatricem vocant, Noſter autem Medicinam naturalem & domeſticam ſubinde appellat, Deum autorem ſuum manifeſte teſtatur, atque hic copioſa oratione explanatur. Ad extremum monet Autor, omnem illam perfectionum divinarum notitiam non poſſe non in Medico cultum amoremque Dei, & fidem, ſimulque amorem erga ſocios, accendere, perpetuam autem conſiderationem infirmitatis humanæ imperfectionisque, in theoria pariter atque praxi medica ſe manifeſtantis, omnem animi elationem ſupprimere, & modeſtiam conciliare. Nec a Theologia & religione alienam eſſe Medicinam, ut nonnulli calumniantur, inde potiſſimum probat, quod tot viri ſancti Veteris Teſtamenti, Chriſtus ipſe, ejusque Apoſtoli, & tot Sancti, morbos curarunt, atque ea, quæ Medicorum eſſe ſolent, tractarunt. Pars denique tertia ſecundum principia & fundamenta, in prioribus Partibus poſita, ſcientias, quæ ad perficiendam Medicinam valent,

Digitized by Google

adeoque ad ejus encyclopædiam pertinent, enumerat. Referuntur autem eo ſcientiæ proportionum. Unde jam veteres Medicinæ utiles eſſe dicebant Aſtronomiam, Arithmeticam, Muſicam, pictoriam, & in lignum vel æs incidendi, artem. Inprimis autem ei perficiendæ deſerviunt Anatomia, Geometria, & ſcientiæ Mathematicæ, Botanica, Chymia, quam tamen non admodum honorifice appellat Noſter, ſed ubique fere notat, & reprehendit, denique Philoſophia morum. Horum itaque ad Medicinam habitu enodato, progreditur ad eruendas veras morborum cauſas, ex quibus tot morborum diverſorum genera naſcuntur, quorum varios generatim excutit, in ſuas claſſes redigit, principem tamen fere cauſarum ſpaſmum eſſe, multis propugnat. Omnis hæc tractatio Pathologiæ cuidam generali non diſſimilis videtur. Quemadmodum & mox, Therapiam quandam generalem tradi, facile quis crediderit, quando de variis medicationum generibus, quæ cauſæ illæ generales antea recenſitæ expoſcunt, & præcipue etiam de remediis variæ indolis, ad componendos ſpaſmos comparatis, diſceptat. Poſthæc perquirit & exponit, qua ratione morbi ſe invicem in corpore humano excipere & ſuccedere pro ætatis diverſitate ſoleant, & quomodo alius in alium mutetur. Sequitur hic præcipue obſervationes *Hipprocratis*, & theoriam Cel. *Stahlii*, eo tantum ab hoc diverſus, quod, omnem illum motuum variorum, qui modo ad hanc, modo ad illam, partem contendunt, apparatum non ab anima rationali proficiſci, aſſeverat. In his itaque naturæ motibus attendendis omnem mentis aciem defixam habeat Medicus, & naturam ducem ubique conſectetur, nec quidquam ſuſcipiat, quod ſalutaribus iis motibus repugnet, vitioſos e contrario motus in ordinem redigat, ubique autem in curationibus morborum ſtudium induſtriamque debitum adhibeat. Quæ dum fuſius inculcat Autor, permultas affert præceptiones, ad Medicinam pragmaticam præcipue generalem admodum fructuoſas. Inſiſtit vero & hic veſtigiis *Stahlii*, ejusque ſectatorum, quem magni admodum æſtimat, ad ejusque ſcripta lectores infinitis locis remittit. Quanquam univerſum

verſim Cel. Autoris candor a nobis laudandus eſt, qui non ſuæ gentis ſcriptores amat unice & admiratur, ſed ſine omni invidia præſtantiſſimos cujuscunque provinciæ antiquiores pariter ac viventes adhuc rei medicæ Scriptores, præcipue e Germanis, admodum prædicat, & ipſorum libros commendat. Enimvero non unica hæc laus eſt, quam doctiſſimo Autori debemus, qui potius ob rerum prudenti ſelectu exquiſitarum varietatem, quæ ad veram Medicinæ theoriam atque praxin illuſtrandam, ejus dignitatem amplificandam, & ſummi conditoris gloriam concelebrandam, multum momenti habent, judiciique, quo eæ proponuntur, acumen, librum hunc ex elegantiſſimis eſſe exiſtimamus, qui haud ita pridem apud Gallos editi fuerunt. Nunc vero facilius liquet, quare is Medicina Theologica inſcribatur. Scilicet quod talem dare medicinam inſtituat, quæ cum ipſa inſtitutione a Deo profecta convenit. Qualem vero medicinam Deus intenderit & conſtituerit, partim ex præceptione illa, qua homines ad comedendos terræ fructus & herbas, partim ex fabrica corporis humani, legibusque illis naturæ divinitus conſtitutis, ſecundum quas omnes humani corporis functiones peraguntur, atque res etiam externæ in corpus agunt, planum redditur atque manifeſtum. Omnem itaque medicinam, fabricæ corporis humani, & legibus illis divinitus conſtitutis, præceptoque illi divino, conformem, optime cum inſtitutione divina conſpirare, adeoque Theologicam eſſe, & ad ſcientias Theologicas optime referri, Cel. Autor ratiocinatur. Ipſum vero nomen hoc, a Theologia deſumtum, Medicinæ honorificum eſſe, eandemque a fœdiſſimis criminationibus vindicare, demonſtrat. Reſtat, ut quæſtiones, quæ in calce Operis Latino ſermone excutiuntur, & dimidiam partem alterius *Tomi* conficiunt, pauciſſimis indicemus. Ita vero ſe habent ordine a nobis paululum immutato: An functiones a fermentis? an morbi a ſeroſa colluvie? an remediorum curta ſupellex? an potus ægris interdicendus? an, quos morbos non ſanat chirurgiæ ferrum, eos ſanet chymicus ignis? an chronicorum morborum medicina in alimento? an impeditæ transſpirationi ſan-

ſanguinis miſſio conducat? an morbi a ſolidorum tritu? an creatoris & naturæ legum imago carnisprivii lex? Ad quarum quinque priores negando, ad quatuor autem poſteriores affirmando, reſpondetur.

DESCRIPTIONES TUBULORUM MARInorum, in quorum cenſum relati Lapides Caudæ Cancri Geſneri, & his ſimiles Belemnitæ, eorumque Alveoli, ſecundum diſpoſitionem Muſei KLEINIANI. *Addita eſt Diſſertatio Epiſtolaris de Pilis marinis.*

Gedani, apud Marcum Knochium, 1731, 4.
Plag 5, cum Tabb. æn. 10.

Maximam ab omnibus, qui veritati ſtudent, ineunt gratiam, quotquot rerum naturalium pſeudonymias, ſi quæ præter rationem concretis ſuis inhærent, everrunt, & genuina, habito honore antiquis, qui aliter hactenus dixerunt, modeſte afferunt, declaratis, quæ mutationes nominum imperabant, argumentis. Si quis unquam, ſane Cel. *Kleinius* id ſumma induſtria, nec felici minus ſucceſſu, peregit, tum variis, tum hoc potiſſimum argumento, quod petrefacta quæpiam, nomine Caudæ cancrinæ vel aſtaci ob qualemcunque ſimilitudinem a *Geſnero* appellata, gaudere in poſterum hoc titulo paſſus non fuerit. Sunt quædam & inanimatis fata rerumque viciſſitudines, maxime quod nomenclaturas attinet, quas eruditi pro ſui quilibet ingenii felicitate ſubinde varias excogitant. Inde mirum nemini eſſe debet, huncce, de quo eruditiſſimus libellus agit, lapidem diu ſub nomine Vertebrarum petrefactarum aut Ichtyoſpondylorum a perſpicacioribus circumferri haud potuiſſe. Excuſari poterat quodammodo a ſimilitudine petitus *Geſneri* terminus, verum nec ille placuit, quod non eo, quid eſſe poſſint, ſed quid re ipſa exiſtant, res creatæ ſint explicandæ. Fatetur *Kleinius* noſter, pro ſua, qua pollet, modeſtia, ſe lapides hoſce aliquando pro Alveolis Belemnitarum habuiſſe, quod tamen

Digitized by Google

tamen ſecus ſe habuiſſe, deprehenſum fuit poſtea, etſi negandum non ſit, inter Alveolos iſtos inveniri, qui pro ratione Belemnitæ, quo concluduntur, capacitatis ſint ad controverſum lapidem proxime accedentis, ita quidem, ut minus oculatis perinde eſſe ſoleant. Differunt tamen eo, quod conicam figuram, quæ Belemnitis per eſſentiam ineſt, vix unquam attingant, & uno alterove modo ad obliquitatem vergant; quo factum ſine dubio eſt, ut lapis ille caudæ aſtaci æmulus, viſus ſit quibusdam majoris Nautilitæ fragmentum eſſe, eo, quod & concamerationum multitudo, & ſiphunculi per easdem errantis præſentia, id innuere videatur. Interim ſolide demonſtrat Noſter, diverſum quidpiam huncce lapidem ſuique generis exiſtere, ex Tubulorum ſcilicet genere, quorum diverſitates in ſuo rerum naturalium theſauro præſto habet. Nihil enim impedit, quo minus ſub alia claſſe collocandus ſit, etſi mechaniſmo cum Nautilitis eodem gaudeat; nempe & in alveolis Belemnitarum ſiphunculus ille per concamerationes ad apicem exſurgens deprehenditur. Neque vero cum omnibus Nautilis Teſtaceum iſtud marinum olim, nunc lapis, convenit, ſed cum illo ſaltem, qui Nautilus craſſus *Rumphio* eſt, cum Nautilus alter, tenuis & papyraceus vulgo dictus, ſtructura totus diſcrepet, ita quidem, ut parum abſit, quin, Nautilum eſſe, negare quis poſſet. Nam multiplici iſta camerarum ſerie, quæ nautilis characterem facit, minime, ſed unica tantum ſpira gaudet unicapſulari, ſiquidem nec ſiphunculus ullo modo conſpicitur. Exinde urget Noſter, methodum conchyliorum a forma interna deſumendam non eſſe, multo minus illam, quam Celeberrimus quidam Vir haud ita pridem excogitavit, qua conchylia alia monothalamia, alia, & primo quidem loco Nautili, Polythalamia appellantur. Duo ſunt, quæ Noſter contra eundem monet, unum, methodi iſtius anguſtia, nam excluditur ovum iſtud Polypi, prout *Ariſtoteli* dicitur, a Nautilis, eo, quod Thalamos plures non habeat; alterum, vagus thalami conceptus, qui Nautilum definire neutiquam poſſit, cum thalamus aut camera ab incola ſuo dici debeat, Polypus autem ſaltem in ſuperiore Nautili cavo habitet, non in reliquis, utpote quæ cum ſi-

phunculo neutiquam communicent. Videbunt Doctiſſimi Viri, quomodo amicum iſtud diſſidium componi inter ipſos poſſit. Id certum eſt, a camerarum ſuarum ſerie huncce lapidem Tubulum concameratum Noſtro dici, cum reliqui omnes, quotquot in hiſtoria Conchyliorum Tubuli nomine veniunt, unam cavitatem omni ſuo corpore ſervent, Penicillos puta, ſeu Enthalia Cordi, Dentalia, Solenes vermiculares, lignorum, arenarios, anguinos, aut corallorum, dictos, quos hinc inde in lapide effictos magna ſollicitudine & felicitate congeſſit. Nemo eſt, qui non exinde intelligat, a Tubulis iſtis, etiam concameratis, multum differre Belemnitas ipſos, in cohæſione partium ſuarum conſideratos. Belemnita enim, quem antiquitas Lyncurium, lapidem Lyncis, ex urina hujus animalis generatum, dixerat, alii vero ſuperſtitioſius Ceraunium appellant, tria conſideranda exhibet, cruſtam externam, inde alveolum, de quo jam dictum fuit, qui ſub tegmine belemnitæ latet, & denique haud raro nucem. Apparet id ex lapidis iſtius facta per medium ſectione, qui miram iſtam interiorem machinam patefacit. Quando adeoque Belemnitam, prout entrochi ex variis articulis factum, & lævi, aliquando etiam pellucida, cruſta tectum, prout eſt, conſideres; tunc mira iterum claſſium varietate animos oblectat. Magna tamen & hic errorum genitrix æquivocatio in primo limine removenda fuit; nempe non omnes conicæ figuræ lapides, etſi prima facie haud abſimiles, pro belemnitis habendi ſunt, cum & Tophi haud raro hanc formam induant, neque deſint, qui dactylos vel radios Echinitarum, articulo ſuo facile dignoſcendos, pro Belemnitis habeant. Verus autem Belemnitæ genuini character eſt radiorum a peripheria omnium ſegmentorum contingens ad centrum concurſus, cum foramine, a baſi ad apicem eunte, cujuscunque poſtea diverſitatis fuerint, cylindrici, hemicylindrici, dimidiati, coniformes, fuſiformes, cum alveolis & nucleis ſuis, & ſic porro. Enata eſt iſta claſſium ſeries ex locuplete iſtiusmodi lapidum, quem poſſidet, theſauro, quo noluit ſolus uti Vir, ſibi parum, plurimum patriæ orbisque literati commoditati & emolumento, vivens. Accedit Epiſtolica

lica ad Magnum in Lithognoſia Virum, *Heucherum*, Archiatrum Regium, Diſſertatio de Pilis marinis maris mediterranei. Exponuntur primo loco diverſæ eruditorum de origine iſtius ſphæræ marinæ ſententiæ. *Joannes Paulinus* ex alga vitriariorum ejusdemque fibrillis fieri ſuſpicatur, *Ferdinandus Imperatus*, ex minutis paleis & pellibus volvendo formari, aſſeverat, *Mercatus* ex fimo, quo ſcarabæi ſibi nidos compoſuerant, texturam impetraſſe maluit; alii aliam amplectuntur ſententiam. Singularis eſt eorum opinio, qui pilas haſce pro animalium marinorum excrementis habent, inducti ſine dubio ægagropilarum, in Antelopum ventriculis inveniri ſolitarum, naſcendi conditione. Huic variis argumentis erudite obviam ivit Noſter, album ſuum *Baubinianæ* ſententiæ addens calculum, qui ex algarum fibris eandem oriri dixerat. Conſpirant amice cum veritate phænomena, radices ſcilicet & folia algæ, pilis plerumque iſtis intertexta: mare autem littoribus appulſum artifex eſt, cujus impetu mire inter ſe complicantur radicum fibrillæ, & in pilæ modum, prout Figuræ ad calcem adjectæ declarant, effinguntur.

SCHIDIA CYRTONOSI. EPISTOLA, QUA SIGISMUNDUS HAHN, D. Filio ſuo, JO. GOTTFR. HAHN, Phil. & Medic. Doct. Societ. Cæſar. Leopold. Carol. Socio, Practico inter Vratislavienſes Celebri, S. P. D. Accedit Reſponſio Filii, Cyrtonoſi, quæ Gliſſonio Rhachitis eſt, tabulas aliquot antiquas exhibens.

Vratislaviæ, absque mentione Typographi, 1735. 4.
Plag. 6, Fig. æn. 1.

Schidiorum vocabulum, totius Epiſtolæ frontem ornans, obſcurius quibusdam viſum iri, declarat doctiſſimus Autor, aſſulas appellans ſchidia, quibus faſcinare cyrtonoſorum curvaturas tentant Chirurgi. Subſtituitur pro Rhachitide Cyrtonoſis, habeturque pro affectu articulorum maximæ ſpinæ dorſi, quo incrementi vitalis ſymmetria depravatur, & actionum exter-

 narum

Digitized by Google

narum integritas læditur, neque vero connatus ille affectus eſt, ſed paulo poſt a partu ſuperveniens & adſcititius. Ex *Hippocrate* probatur, huncce morbum pueris cumprimis ſolennem eſſe, non abſurde pro arthridite habendum, niſi oraculo *Hippocratis* interdicti eſſent podagra aut alio morbo articulari infantes & pueri. Quo appareat inter Rhachitidem & hunc morbum exiſtens differentia, Cyrtonoſus ſpinæ æque ac aliorum artuum, Rhachitis vero ſolius ſpinæ dorſalis curvatura appellatur. Picturam apponit Autor lepidam, hic a nobis repetitam, quæ diverſas Cyrtonoſi ætates, prout ineunte, progreſſa, & decrepita, vitæ humanæ ſtatione eſſe ſolet, definit. Sedes primaria mali ſunt oſſa, ſecundaria muſculi, quamvis & liquidorum in vaſis non contemnendum ſit vitium, quod malo huic naſcendi vel adoleſcendi commoditatem præbet. Quicquid id eſt cauſarum, quibus rectitudo fulcrorum & ſtabilimentorum corporis humani, oſſa puta, depravatur, in eo conveniunt, quod vaſa, quibus oſſa & vires motrices corporis conſtant, varices patiantur aut anevriſmata, vel prorſus mutentur, cum enaſcente hinc oſſium & cartilaginum in ſubſtantia ſua mollitie & flexilitate. Formalitas Cyrtonoſi conſiſtit in læſa incrementi proportione in ætate maxime puerili, ob mollitiem oſſium ipſorum, perioſtei minus efficacem reniſum, & cartilaginum æque ac epiphyſeum luxuriem. Accuſantur muſculi, tanquam cauſæ ſociæ, in quantum, incremento oſſium obſiſtentes, iisdemque breviores, ita quidem renituntur, ut flexiles oſſeæ fibræ in recta linea, uti decebat, perſiſtere non poſſint. Homines, in quibus hæc contingunt, ſi provectiori ætate vis naturæ tandem vim Cyrtonoſi ſuperet, puſiones quidem manent, ſed quadratis & robuſtis artubus inſtructi, ob muſculos latiores factos, & oſſium vitio ſeſe apte accommodantes. Inveniuntur inter eos, qui hoc oſſium vitio laborant, quos deprehendes nodos ad interarticulationes oſſium enatos poſſidere; duplices artus appellant, qui vulgari dictionis generi aſſueverunt, *groſsknorricht, gedoppelte Glieder*. Tophi haud raro ſunt ſub perioſteo enati, qui hancce artubus deformitatem conciliant, multo magis, ſi caries oſſium vel latens vel eroſis muſculis & cute erumpens concurrat,

TAB. I.

rat,

TAB. I ad Supplem. Nov. III. pag. 124



rat, non perioſteum tantum, ſed ipſa oſſium medulla, ſuos cruciatus experitur, quo tempore ſpinæ ventoſæ nomen nanciſcitur morbus. Ea quandoque muſculorum, morboſi oſſis reſiſtentiam ſua virtute ſuperantium, virtus, ut & oſſa ipſa diffringantur, quod in variis obſervavit Autor. Ligamenta, quæ oſſium arthrodias potiſſimum obfirmant, non leviorem culpam ferunt; illa enim laxa, &, prout Autor id eloqui amat, anevriſmatibus divexata, ita apophyſibus oſſium, quo ſeſe mutuo attingunt loco, certos ponere limites haud poſſunt, ut non morboſum cartilaginum incrementum enaſcatur, cum ſymmetriæ corporis deformitate, & motus ipſius læſione, aut penitus facta ſuppreſſione. Prout iſtud proportionis læſæ vitium modo hoc, modo illud, corporis humani os invaſerit, variæ exinde enaſcentur læſiones. Sunt, quibus os linguæ læſum organum loquelæ ad articulatum ſonum effingendum ineptum prorſus reddidit. Aliis quadrata eſt capitis forma, occiput prægrande, aut frons patula, orbita oculorum immenſa, mentum hinc inde diſtortum. Phænomena diſtortorum, quæ ſpinam attinent, non minoris momenti ſunt; aut enim omnes vertebræ, aut quædam ex omni earundem tractu, curvitate, & exoſtoſi, deformis fit, cui morbo non tantum cauſæ præternaturales, ſed & pravus habitus, & conſuetudo, aut indulgentia, qua infantes inconvenientem corporis ſitum ſervare addiſcunt, occaſionem præbent. Cura malorum, quibus rectitudo & elegantia artuum inſigniter adeo depravatur, ardua omnino eſt, neque niſi in tenera, rarius in adoleſcente, nunquam in provectiori, ætate curationem morbus hic admittit. Non faſciæ, non ocreæ, aut thoraces, ſufficiunt, quamvis ulterius morbi incrementum impedire haud intermittant, ſed altiori indagine opus eſt. Eluenda ſunt infantum, & a ſordibus viſcidi acribus liberanda, viſcera, propinata aqua mellita, ſalita, aliaque; corrigenda ſanguinis vitia, potus largior, dilutus, temperie inter calidum frigidumque medius, nervina oleoſa, ſub unguenti forma, non ſine ſucceſſu ſtipendium merebuntur, nec re infecta diſcedent vinoſa, mediocri uſu propinata, dulcia tamen, nec ſubacida, prout ſunt canarinum & malvaticum. Reſpondet felix Filius feliciori

Digitized by Google

liciori Parenti Epiſtola, qua *Medicorum Suidnicenſium Seniori Practico per Sileſiam Celebri, Doctori Sigismundo Hahn, animi vere patrii Patri, S. P. D. Filius enixe obediens, Jo. Godofredus Hahn.* Illuſtre & prorſus jucundum dicendi genus, quo Doctiſſimus *Hahnius* filius paterno amori reſpondet. Ex antiquitate magnorum virorum imagines exponit, prout vel hoc vel illo curvaturæ & Cyrtonoſi vitio laborarunt. *Paulus* de re medica ſpinæ inclinationem in interiorem partem λόρδωσιν, in poſteriorem partem κύφωσιν, in latera σκολίωσιν, appellat. Rigidus magis cervice, quam flexus, fuit *Tiberius*, obſtipus *Suetonio* dictus, quamvis de cetero nullam vel vultus vel corporis deformitatem præ ſe ferret. Oſſium vitio laboravit non minus *Caligula*, *Longurio* dictus, quod, depingente *Suetonio*, corpore eſſet enormi, gracilitate maxima cervicis & crurum, oculis & cervice concavis, fronte lata & torva. Pectoroſus *Julianus*, delineante *Ammiano*, homo brevis fuit, humeros extentans anguſtos, & barbam præ ſe ferens hircinam, grandiaque incedens tanquam Oti Frater & Ephialtes, quorum proceritatem *Homerus* in immenſum extollit. Sequuntur quædam ex antiquitate depromta, de variis Heroum effigiebus, hac vel illa Cyrtonoſi ſpecie deturpatis. Depingitur *Galba* hybris, *Pericles* Schinocephalos. Rhachitidis vero ipſius alia eſt *Hippocratis*, alia *Gliſſonii*, & recentiorum, declaratio. Exponitur utraque ſententia. *Hippocrates* adeo in definienda hac puerorum diſtorſione ſolers eſt, ut nec venas colli intactas relinquat, quin, easdem reliquis magis tumefactas eſſe, affirmet, id quod noſtri temporis *Hippocrates*, *Boerhavius*, diſertis verbis nos docet, dum, nullum vidiſſe ſe, ait, niſi tumentibus colli venis, rhagiticum. Naturalis quodammodo eſt Cyrtonoſus, ſeu morbus ex curvatura ſpinæ, illis, qui decrepitæ ſenectæ terminum attingunt; ſunt tamen, quibus ex præcoci ſenio declive caput eſt, & juvenilia quandoque exiſtunt Silicernia, quale adducitur exemplum fœminæ ante diem gravi morbo ſeneſcentis, & Cyrtonoſum paſſæ. Expectamus propediem Cl. *Hahnii*, Filii, Vindicias, quibus Eruditiſſimi *Werlhofii* contra Variolarum antiquitates emiſſa tela avertere ſedulo conabitur.

DISSER-

DISSERTAZIONE CRONOLOGICA &c.

h. e.

DISSERTATIO CHRONOLOGICA DE quarta mundi ætate, ſpectans ad ſolam Hiſtoriam ſacram, & dedicata Eminentiſſimo Cardinali, JOSEPHO RENATO IMPERIALI, a Patre Magiſtro, F. Dominico SCIFELLI, Auguſtiniano, Expoſitore Scripturæ S. in Eccleſia Romana S. Auguſtini.

Romæ, apud Jo. Zempel, 1732, 4.
Plag. 14.

Doctus Autor & in ſacra Hiſtoria diligenter verſatus, cum librum Judicum, Romæ, in templo S. *Auguſtini*, publice interpretaretur, atque in Chronologiam illorum temporum curatius inquireret, monitusque ab amico, etiam annales *Uſſerii* conferret, longe quidem plurima præclariſſime tradi a ſummo illo viro, nonnulla tamen cum ſuo minus congruere, & cum genuino ſacrorum Scriptorum ſenſu, judicavit. Ea in præſenti Diſſertatione modeſte proponuntur ac pertractantur, diſtributionemque annorum 480 reſpiciunt, qui ad quartam mundi ætatem referri ſolent, hoc eſt, ad tempus, inter exitum Hebræorum ex Aegypto, & ædificationem templi Salomonis, interjectum. Secuti *Uſſerium* magno conſenſu ſunt homines doctiſſimi, iique cum ceteris, qui Rationarium temporum *Dion. Petavii* auctius ediderunt, annotationemque & Tabulam *Uſſerianam*, de quarta mundi ætate, præter multa alia, adjecerunt. Quam Tabulam cum ipſius *Petavii* eſſe, *Scifellius* noſter ſibi perſuaſerit, miratur, tam perfecte in ea Viro magno, & usque ad diſſenſum a ſe ipſo, cum æquali *Uſſerio* convenire. Ceterum, ut totius controverſiæ ſummam quam breviſſime complectamur, utramque Tabulam, *Uſſerii* & *Scifelli* ſubjiciemus:

Tabula

Tabula Uſſeriana, *annos exhibens quartæ ætatis:*

Moyſes mortuus eſt, *Devt. 34, 7, Exod. 7, 7,* anno ab exitu	40
Hinc ad quietem, per *Joſuam* datam, *Joſ. 14, 10,* ſunt anni	6
Hinc ad quietem, per *Othonielem* datam, *Jud. 3, 11,* anni	40
Hinc ad quietem, datam per *Aod, Jud. 3, 30,*	80
Hinc ad quietem, datam per *Deboram, Jud. 5, 32,*	40
Hinc ad quietem, datam per *Gedeonem, Jud. 8, 28,*	40
Poſtea filii Iſrael averſi ſunt ad *Baal* per aliquot annos, *Jud. 8, 33,*	9
Poſtea *Abimelech* præfuit, *Jud, 9, 22,* annos	3
Thola, Jud. 10, 2, annos	23
Jair, ibid. 3, annos	22
Jephte, Jud. 12, 7, annos	6
Abeſan, ibid. 9, annos	7
Abialon, ibid. 11, annos	10
Abdon, ibid. 14, annos	8
Heli, 1 Reg. 4, 18, annos	40
Samuel, annos 21½, vel	22
Saul, Act. Apoſt. 13, 21, annos	40
David, 2 Reg. 5, 4, annos	40
Templi fundamenta jacta ſunt, ineunte *Salominis* anno	4
Summa	480

Tabula Scifelli, *ab ipſo Autore in compendium redacta:*

A *Moſe* ad *Joſuam, Devt. 29, 5,* ſunt anni	40
A *Joſua* ad *Othonielem, Judic, 3, 11,*	40
Ab *Othoniele* ad *Aod, Jud. 3, 30,*	80
Ab *Aod* ad *Deboram* & *Baracum, Jud, 5, 32,*	40
A *Debora* ad *Gedeonem, Jud. 8, 28,*	40
Gedeoni ſuccedens *Abimelech, Jud. 9, 22,* regnavit annos	03
Huic ſuccedens *Thola, Jud. 10, 2,* judicavit annos	23
Huic ſuccedens *Jair, verſ. 3,* judicavit annos	22
Poſtea ſervitus ſub *Ammonitis, v. 8,* duravit annos	18
Jephta liberavit *Iſrael, Jud. 12, 7,* & judicavit annos	06
Huic ſuccedens *Abeſan, v. 9,* judicavit annos	07
Huic ſuccedens *Abialon, v. 11,* judicavit annos	10

Huic

Huic ſuccedens *Abdon*, *v. 14*, judicavit annos	08
Huic ſuccedens *Samſon*, *Jud. 15, 20*, & *16, 31*, annos	20
Huic ſuccedens *Heli*, *1 Reg. 4, 18*, annos	40
Poſtea judicavit *Samuel*, & regnavit *Saul*, *Act. Apoſt. 13, 21*, annos	40
Succedens *David*, regnavit, *3 Reg. 2, 11*, annos	40
Succedens *Salomon*, templum ædificare cœpit, *Cap. 6, 1*, anno	04
Summa	480.

HERMANNI ALEXANDRI ROELL COMmentarius in principium Epiſtolæ ad Epheſios.

Tomus I.

Trajecti ad Rhenum, apud Gisbertum a Paddenburg, 1731, 4. Alph. 6 plag. 3.

Licet hic *Tomus prior* tantum exhibeat principii Epiſtolæ ad Epheſios explicationem, a *Cap. 1 v. 1* usque ad *v. 14*, & ſic juſtum Commentarii modum excedere videatur; tanta tamen benevolentia, cum olim, vivente adhuc Autore, ederetur, exceptus eſt, ut omnia, quæ privatis prælectionibus in totam Epiſtolam tradiderat, communicandi, & Commentarium ſic perficiendi, Cl. Autori ingens adderetur animus. Sed, quod ipſe voluit, nec morte præreptus potuit, ipſius Cl. filio contigit, nempe ut totius Epiſtolæ explicationem, a paterno ingenio profectam, elegantiſſime duobus *Tomis* impreſſam daret. De *priori* ſi nunc tantum agemus *Tomo*, non mirandum exiſtimamus, eodem ab eruditis jam pridem magnam iniiſſe gratiam Autorem, cum, quæ in genere de tota Epiſtola hic commentatus eſt, erudite ſint diſputata, & in uberiori ſelectorum argumentorum explanatione ſic verſetur, ut excellat. Primor- Pag. 1 — 21.
dia capiunt fontes, eisque adjuncta verſio Latina. Subſequuntur obſervata, quæ ad totius Epiſtolæ argumentum ac dignitatem ſpectant, annexa totius Epiſtolæ analyſi. His præ- 33 — 39.
miſſis, ad Epiſtolæ exordium ſe convertit *Cap. 1 v. 1, 2*. Cum 40 — 57.

ibi ſe *Paulus* non tantum a munere ſuo, ut *Apoſtolum Jeſu Chriſti*, deſcribat, ſed etiam divinam muneris ſui originem urgeat, addendo *per voluntatem Dei*; de duodecim Apoſtolorum munere ac characteribus, quibus ſe probarunt veros Dei legatos, nec non de duodenario ipſorum numero, multa lectu digniſſima proferuntur. Demonſtraturus enim, *Paulum* divina autoritate miſſum, ante omnia de veris miſſionis divinæ in
Pag. 57 - 66. Apoſtolo ſignis ac requiſitis disquirit, quibus tam ipſe, quam alii, divinæ miſſionis reddantur certiſſimi. Omnis Apoſtolus id dignoſcere potuit ex iis, quæ, cum divinitus vocaretur, circa ſe videbat, & audiebat, & intra ſe experiebatur, ſentiebat, ac percipiebat, nec non ex ſtupendis & plane divinis effectibus in muneris ſui adminiſtratione. Sic etiam ſe vox & manus Dei ſatis conſpiciendam dedit Apoſtolo *Paulo*. Aliis vero innotuit, ſi, Apoſtolos vitæ ac fidei integritate conſpicuos, audiverunt, ea Dei nomine annuntiare, quæ, teſte ipſorum conſcientia, non ſolum fuerunt vera, Deoque digna, ſed etiam ab hominum ſenſu & cognitione remota, voluntatis divinæ myſteria, ad quæ cognoſcenda divina revelatione opus fuit. Si porro doctrinæ maximum pondus ex miraculis, veram Dei cooperationem arguentibus, accedere cognoverunt, illud ipſis pro certiſſimo legationis divinæ argumento haberi potuit. *Paulum* vero his characteribus munitum invenimus. Probata enim vitæ ac morum ſanctitate erat inſignis, ac Evangelii myſteria ita tradebat, ut extraordinariam præ ſe ferat illuminationem, dum res divinas decenti explicat ſermone, dictisque ſuis fidem conciliat tam miraculis, quam ſua fide & conſtantia, ad patiendum & moriendum pro Chriſti nomine paratiſſima. Quæ
67 — 76. omnia ut quam evidentiſſime cognoſcantur, Cl. Autor eum in finem omnem *Pauli* hiſtoriam, ejusque vitæ, vocationis, factorum, fatorumque, ſeriem ſic examinat, ut inde manifeſta divinæ vocationis *Pauli* argumenta ſint perſpicienda. Tot enim tantisque veritatis notis ac argumentis ſe commendat
80 — 85. *Pauli* hiſtoria, ut eam nemo, niſi qui omnem ejuret rationem, in dubium vocare, aut negare, poſſit: *Paulum* re vera eo, quo dicitur, tempore vixiſſe, docuiſſe, & eas, quæ hodie ſuperſunt,

perſunt, Epiſtolas, ad varias eccleſias ſcripſiſſe. Quid magis enim a veritate abſonum eſſet, quam ſtatuere, tunc temporis omnes omnino homines, Judæos & Ethnicos, Græcos & Romanos, rerum Chriſtianarum tam negligentes & incurios fuiſſe, ut neſcirent, verane, an falſa, ſint ea, quæ *Paulus* tam confidenter jactat, ſe ex acerrimo Chriſtianorum perſecutore in præcipuum Evangelii Chriſti confeſſorem ac præconem converſum, poſtea virtute Spiritus S. ab Hieroſolymis & circumjacentibus regionibus ad Illyricum usque omnia adimpleviſſe Evangelio Chriſti. Quis *Paulum* ad ea, quæ publice a ſe geſta fuerint, provocaſſe credat, niſi experientia ipſa, ſtultorum magiſtra, idem comprobaſſet. Concedenda ſic hiſtoriæ ac doctrinæ *Pauli* veritate, progreditur ad examinandam ipſius doctrinam, vitam, mores, facta, & pro nomine Jeſu paſſiones. Pag. 87 – 93. Conſideranti *Pauli* Epiſtolas obveniet doctrina, qua nihil ad ingenerandam hominum animis veram religionem ac pietatem efficacius dici poterit. Dogmata ipſius ſi ſpeciatim ſpectentur, ea docuit de Deo, de divinis virtutibus, conſiliis, & operibus, quæ non tantum Deo digna ſunt teſte conſcientia, ſed & ad quæ cognoſcenda opus fuit ſupernaturali revelatione. Nec minus agenda, quam credenda, divino plane 93 – 97. modo exponit. Quæ enim circa officia tradidit, tantam ſan- 125 – 137. ctitatem, ac cultum tam rationalem, præſcribunt, ut eis ad perfectionem nihil addi, nihilque demi, queat. Quæ *Pauli* moralia ſi conferantur cum iis, quæ gentilium Philoſophi de mo- 137 – 155. rum inſtitutione tradunt, pateſcit, eos nec veras virtutis officiorumque cauſas, nec verum finem, nec genuinam formam, neque veros ac vere ſalutares fructus atque effectus, ſatis habuiſſe perſpectos. Certe non omnia a Deo deducunt, & ad eum reducunt, cum e contrario *Pauli* doctrina, proponendo Dei gloriam, hominumque felicitatem, ceu finem noſtrum ultimum, ſe ſolam eſſe divinam, demonſtret. Prædictiones ac 97 – 99. Prophetiæ *Pauli*, eventu comprobatæ, etiam divinæ miſſionis ſuæ ſunt vindices. Nunquam enim, niſi Deus ipſi revelaſſet, 181 – 185. itineris in mari Adriatico ſociis prædicare potuiſſet, fore non tantum, ut naufragium facerent, ſed & ut ſalvi & incolumes

 evade-

evaderent omnes. Et ſic etiam ſeſe res habet cum *Paulo*, optimo *Moſis* ac Prophetarum interprete. Sic enim Vet. Teſt. myſteria, allegorias, ac prædictiones, evolvit, ut omnia ad Chriſtum, & ad veritatem, quæ in Chriſto eſt, referat, & ideo pro
Pag. plane divino Evangelii revelatore ſit cognoſcendus. Accedunt
191—205. etiam *Pauli* miracula, quæ omnem incredulitatem validiſſime expugnant. Quis enim tam dura fronte eſt, ut affirmare ſuſtineat, hominis vel naturæ opera eſſe, claudis ab utero matris ſola voce reddere greſſum, impoſitione manuum, & ſudarii etiam & ſemicinctii contactu, non tantum pellere febrim, dyſenteriam, & quoſcunque alios morbos atque infirmitates, ſed & ejicere malos Spiritus, & communicare cum aliis Spiritum S. & varias loquendi linguas & prophetandi dona, denique reſtituere vitam mortuis, & quæ ſunt id genus alia ſigna, prodigia ac virtutes, ad quæ *Paulus* ipſe provocat. Certe, qui talia, tot, tantaque opera, eo tempore ad eum finem, ut per illa confirmaretur doctrinæ, quam *Paulus* tradebat, veritas ac divinitas, ſine ſingulari Numinis divini vi fieri potuiſſe dicat, illum vel pudor vel ratio deſeruerit, opor-
206. tet. Niſi etiam *Paulus* certiſſimus ac perſuaſiſſimus fuiſſet, Jeſum unicum mundi ſervatorem ac ſoſpitatorem eſſe, nunquam tot perſecutiones, virgas, flagra, carceres, vincula, tormenta, ac denique cruentam mortem, ſubiiſſet. Nullum denique ad probandam divinam *Pauli* miſſionem, & doctrinæ, quam tradidit, divinitatem, efficacius dari argumentum poteſt, quam illud, quod a ſtupendis & vere divinis effectis deſumtum ac omnium oculis expoſitum eſt. *Pauli* enim, aliorumque Apoſtolorum, doctrina, propagato per totum terrarum orbem Evangelio, ea produxit effecta, quæ producere debuit. Converſio enim tot populorum, qui propter præjudicia, errores, ſuperſtitionem, idololatriam, ac impietatem, a Chriſtiana religione alieniſſimi erant, exiguo tempore per ſolam Evangelii prædicationem ſuſcepta & perfecta eſt, non obſtantibus atrociſſimis, quibus Apoſtoli omneſque Chriſtiani obnoxii erant, perſecutionibus, licet omni vi ſua ii, qui in ſummis verſabantur imperiis, reniterentur; hæc, inquam, converſio

ſecun-

Digitized by Google

ſecundum clariſſimas Veteris Teſtamenti prophetias, Apoſto-
lorum tempore facta eſt evidentiſſimum divinæ cooperationis
argumentum, & ſic divinus Evangelii ſucceſſus eſt miraculum
longe maximum. Nec eſt, ut Chriſtianæ religioni introdu- Pag.
ctio Muhammedanæ ſuperſtitionis objiciatur. Nam immen- 212—215.
ſum diſcrimen eſt non tantum inter doctrinam *Muhammedis*
& Pauli, ſed & in modo eam ſtabiliendi. Evidentiſſimum
enim falſæ religionis argumentum eſt, ſi in ignorantia, vi, &
armis, firmamentum ſuum quærit. Tandem, an etiam de
Paulo vaticinati ſint Prophetæ, inquiritur, &, tam *Jacobum* 216—236.
Gen. XLIX, 28, quam Pſalten *Pſ. LXVIII, 28*, ad Apoſtolum 237—255.
Paulum reſpexiſſe, oſtenditur. Sic, ſatis copioſe demonſtrata
miſſionis ac doctrinæ *Pauli* divinitate, ad ejus Epiſtolam redit, 257.
& omnia fere verba pleniori Commentario illuſtrat. Eſt enim,
quod Autor noſter ſingulariter præ ſe ferre videtur, id, quod
non tantum in verborum ac phraſium genuinam ſignificationem
inquirat, ſed ipſius materiæ ac rei, de qua agitur, indolem ac
momentum quam pleniſſime comprehendat. Sic, occaſione
ſalutationis *Paulinæ*, ut ſanctis, qui ſunt Epheſi, & fidelibus, in
Chriſto Jeſu ſit gratia, & pax, a Deo patre noſtro, & Domino
noſtro Jeſu Chriſto, ibi quam ampliſſime conſiderat ſanctita-
tem, tam in Deo, quam in hominibus, meditandam, quia ſan-
ctitatem Dei, qua omnia agit ad ſui gloriam, pro norma habet 259—302.
omnis fidelium ſanctitatis, qui forent ſancti, ſi divinæ gloriæ
eſſent quam ſtudioſiſſimi. Sic etiam, qui ſint fideles, egregie 302—314.
deducit. Deinde ad pernoſcendam gratiam & pacem Dei ſe 314—346.
confert, quibus verbis ad ſolennem benedicendi formulam *Aa-*
ronis Paulum reſpexiſſe putat. Cum vero omnis benedictio- 353—455.
nis cauſæ ſint Deus pater noſter, & Dominus Jeſus Chriſtus,
omnia hæc nomina quam uberrime explicat, ediſſerens etiam
munera Chriſti, ſacerdotale, regium, ac propheticum. Exami- 456.
nato exordio, ad Epiſtolæ argumentum *Cap. I, 3*, progreditur,
duabus contentum partibus. Prior pars eſt inſtitutio de Dei
gratia in Chriſto, & beneficiis, inde proficiſcentibus, ſeu de fi-
dei Chriſtianæ myſteriis, a *Cap. I, 3*, usque ad finem Capitis III.
Poſterior pars eſt informatio de Chriſtianorum vita, gratia

Pag. Dei & vocatione cœleſti digna. In inſtitutione de Dei gratia
457 — 525. cum primo hæc occurrat δοξολογία, *benedictus ſit Deus & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti*, divinitatem Meſſiæ copioſe deducit, & contra omnes Socinianorum exceptiones vindicat.
525 — 538. Et ſic devenit etiam in ſacerdotium Chriſti ad ordinem
538 — 545. *Melchiſedeci*, de quo ſibi imaginatur, eum non fuiſſe merum hominem, ſed ſecundam perſonam Trinitatis in hu-
555 — 622. mana ſpecie *Abrahamo* apparentem. Poſtea, quæ *omni benedictione ſpirituali, qua Deus nobis benedicat*, comprehendantur, primo generatim oſtendit, deinde etiam ſpeciatim per-
623 — 632. pendit. Et, cum *Paulus v. 4, 5, electionem Dei & prædeſtinationem ad adoptionem per Jeſum Chriſtum* conſtituat fontem benedictionum ſpiritualium, etiam de electione & prædeſtinatione ex Reformatorum mente ſibi agendum duxit. In enucleandis verbis, *ut eſſemus ſancti & inculpati coram ipſo*
635 — 698. *in charitate*, diu multumque verſatur, amorem Dei & proximi
700 — 735. pluribus perſequens. De adoptionis antiquiſſimo uſu apud Hebræos & Athenienſes etiam profert, quæ noſtram ad Deum adoptionem illuſtrant. Occaſione verborum *v. 5, dum prædeſtinavit nos ad adoptionem per Jeſum Chriſtum ad ſe ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ*, operoſe Reformatorum prædeſtinationem adſtruit, & pro ſolius veræ religionis nota
836. habet, *pag. 836* de ea jactans, quod ſola in inquiſitione & explicatione cauſarum ſalutis omnia ad Deum referat, quod ſola doceat, omnia, ut in natura, ita & in gratia, eſſe ex Deo, per Deum, & ad Deum, quod ſacrilega ſit omnis religio, quæ laudem hanc gloriæ & gratiæ Deo detrahat. Sed ſpecioſo huic ſophiſmati Cl. *Roellii* opponimus ea, quæ apud *Tillotſonium* in concione de ordinariis Spiritus ſancti operationibus in fine nobis conceduntur; nempe gratiæ divinæ nihil detrahi, ſi eam non fingamus irrefragabilem, aut coactivam, ſed
838 — 902. cui nos curemus relinquendos ac triumphandos. Ad *v. 7* progreſſus, de redemtione per Chriſti ſanguinem, & remiſſio-
903 — 992. ne peccatorum, diligentiſſime diſputat. Sic etiam ſeſe habent, quæ de abundantia gratiæ in omni ſapientia & prudentia Chriſtiana commentatur ad *v. 8, 9, 10*. Diſtribuente autem

Deo

Deo beneficia Evangelii non ſolum Judæis, ſed etiam gentili- Pag.
bus, de vocatione Judæorum, & quomodo hi in ſortem aſſum- 993 – 1030.
ti eſſent, ex *v.* 11 expendit, & huic vocationem gentium ſub-
jungit, qui etiam communionis cum Chriſto per fidem, & obſi- 1030 - 1093.
gnationis per Spiritum ſanctum, facti eſſent participes, ex *v.* 12 - 14. Quæ omnia ita pertractat, ut explicandis verbis ac rebus, quo diutius, eo plenius, immoretur. In *ſecundo* hujus Commentarii *Tomo*, qui non ſolum Epiſtolam ad Epheſios, ſed etiam ad Coloſſenſes, complectitur, brevior eſt, de quo proxime agemus.

ALCIPHRON, OR THE MINUTE PHILOſopher, &c.

h. e.

ALCIPHRON, SIVE PHILOSOPHUS MInutus, ſeptem Dialogis comprehenſus. Editio altera.

Tomi II.

Londini, ſumtibus Jo. Tonſon, 1732, 8.
Tom. I Alph. 1, Tom. II Alph. 1 plag. 2.

Septem Dialogis Autor inſtitutum ſuum perfecit: qua occaſione ſermones liberiores inſeruntur Latitudinariorum, hominumque ejus furfuris, qui ſectantur gloriolam in judiciis contemtim de Deo, & rebus divinis, de virtutibus, earundemque ſtudio, proferendis. Sic *Dialogo primo* fraudes miniſtrorum eccleſiæ & magiſtratuum recenſentur, addita laude hominum atheorum, nihil credentium, qui felices prædicantur; ſed Autor eos Philoſophos miſeros, hominesque nauci & nihili, eſſe docet, contradicente homine atheo, religionis contemtore. *Dialogo ſecundo* ejus generis hominibus occurrit, qui vitia commendant, voluptatem, luxuriam, contemtum regiminis magiſtratus. *Dialogo tertio* de honore, virtute, pulchritudine, & vera ſapientia eorum, qui, virtutem præmium eſſe virtutis, opinan-

Digitized by Google

opinantur, cum obſervationibus, huc pertinentibus, diſſerit. *Dialogo quarto* de exiſtentia Dei, ejusque probatione, agit, & eorum ſententiam examinat, qui Dei cognitionem & ſapientiam, proprie ſic dictam, ceterasque res divinas, explicari poſſe, negant, periculumque, quod ex eo reſultet, exponit, ut, Autorem analogiæ divinæ refutari, facile pateat. *Dialogo quinto* oſtendit excellentiam religionis Chriſtianæ, ejusque uſum, ex quo ſola vera felicitas repetenda; ex ea naturalem religionem ſtabiliri, quæ revelatæ haudquaquam ſit opponenda, ſapienter docet. Denique de libertate ſentiendi diſſerit, quæ & utilis eſſe poſſit & noxia, prout quisque eadem utatur.

Tomi II principium ornat *Dialogus ſextus*, quo Scripturæ ſacræ dignitatem aſſerit Autor, rejectis, quæ opponi poſſent, rationibus. Homines, docet, per ignorantiam divinæ œconomiæ, difficultates augere, multaque affert pro fide & autoritate *Moſi* vindicanda. Inquiſitionem rationalem, concludit, probe ferre poſſe religionem Chriſtianam. *Dialogo ſeptimo* fidem Chriſtianam defendit, cujus dogmata non ſint abſurda, ſed a contemtoribus religionis ſæpius minus recte intelligantur; hominem omnino habere libertatem, adeoque teneri ad reddendam rationem actionum ſuarum; contemtores nonnullos ſacrorum ad hæc extrema delabi, quod nec recte ratione utantur, nec fructibus gaudeant educationis prudenter inſtitutæ; difficultates, quæ adverſus religionem cieantur, non tollere religionis veritatem & certitudinem; alioqui ſcientias humanas plerasque tollendas eſſe. Adjicitur *Specimen novæ theoriæ viſionis, ſive potentiæ viſivæ*, primum publicatæ A. 1709.

COMPENDIUM ANTIQUITATUM Græcarum e profanis ſacrarum collegit CHRISTIANUS BRUNINGS, Bremenſis, Gymnaſii Crucenacenſis in Palatinatu Rector.

Francofurti ad Mœnum, apud Franciſcum Varrentrapp, 1734, 8.
Alph. 1 plag. $4\frac{1}{2}$.

Quan-

Digitized by Google

Quanquam noſtræ ætatis Viri bene multi, iique doctiſſimi, cum ex Græca Autorum dictione, tum etiam ex ritibus veterum Græcorum, illuſtranda Novi Teſtamenti oracula non ſine laude ſuſceperunt; nondum tamen huic negotio ita ſe accinxiſſe quemquam conſtat, ut antiquitates Græcorum, per univerſum Fœdus Novum obvias, uno volumine exhiberet. Nam, quæ *B. Stolbergius* aliique hoc in genere moliti ſunt, ea vel interierunt penitus, vel in ſcriniis etiam nunc latent. Laudabilem igitur operam navaſſe cenſendus eſt Cl. *Chriſtianus Brunings*, qui Compendium antiquitatum Græcarum, ſacrarum literarum illuſtrationi accommodatum, non concinnavit ſolum, ſed & juris fecit publici. Nam, quemadmodum nemo, niſi literarum Græcarum plane ignarus, negabit, plurima omnino Novi Fœderis dicta ſine cognitione antiquitatum Græcarum, ad quas collineant, & digitum quaſi intendunt, vix intelligi poſſe, ita hoc majorem laudem, qui huic operi manum admoverunt, merentur, quo faciliorem reddunt Novi Fœderis intelligentiam. Abſolvit autem Cl. Autor hoc Compendium antiquitatum Græcarum Capitibus XXXV, in iisque exponit de partus ritibus, de cibo & potu, de veſtitu, de educatione juventutis, de ſervis, de conjugio, de militia, de armis, de caſtris, de victoria, de militia navali, de magiſtratu, de concione, de judiciis, de pœnis & ſuppliciis, de religione, de Diis, de ſacerdotibus, de templis, de precibus, de ſacrificiis, de conviviis, de luſtrationibus, de divinationibus, de oraculis, de feſtis, de myſteriis, de ludis, de ſepulcris, de ſepeliendi ritibus, de amore & honore defunctis exhibito, de teſtamentis, de temporis diviſione, de pecunia, de menſuris Græcorum. Singulis Capitibus, in §§. diſtinctis, traduntur, licet pro inſtituti modulo breviſſimis, ritus Græcorum varii, allatis, ad fidem dictis faciendam, vel ipſis veterum Autorum locis, vel recentiorum, qui antiquitates Græcas data opera explicuerunt, teſtimoniis. In annotationibus vero, ſingulis paginis ſubjectis, indicantur Novi Fœderis loci, quorum verba & dictiones ex his ipſis antiquitatibus lucem fœnerantur. Qua tamen in re an ſemper rem acu tetigerit Autor, non immerito nobis videmur ſubdu-

Digitized by Google

Pag. 58. bitare. Nam, quando ſtigmata *Galat. VI, 17*, cum Cl. *Elsnero*, cui ſæpiuscule ſuffragatur, ita accipit, ut iis indicetur, ſervos Jeſu Chriſti ſic immunes eſſe a jugo legis & hominum, ut Herculis Aegyptii cultui & ſervitio ſeſe ſacrantes hominum ſervituti exemti credebantur, id nobis contra Apoſtoli mentem fieri videtur, cui non de libertate a jugo legis & hominum, ſed de calamitatibus propter Chriſtum ſuſtinendis, in
59. allato loco eſt ſermo. Nec ſcimus, an vim verbi διχοτομεῖν rite ſit aſſecutus *Matth. XXIV, 51*, quando per illud ſeparationem a ſervis fidelibus manifeſtari putat. Nam & origo vocis, & orationis ſeries, majus aliquid graviusque, quam nudam ſeparationem, requirere videntur. Sed, licet hæc ita ſe habeant, & in ipſis antiquitatibus quoque nonnulla vel rectius dici, vel ſolicitius afferri, potuiſſent, tamen hæc ipſa nihil derogabunt præſtantiſſimo Cl. Viri conatui, quem, ſi iterum limæ ſubjecturus ſit ipſe, elegantiorem ſine dubio & copioſiorem proferet. Interim non poſſumus hoc Compendium antiquitatum Græcarum omnibus non commendare, qui, præeunte libello aliquo, ſed fuſius illuſtrando, antiquitates Græcas, in Novo Fœdere forte obvias, vel addiſcere, vel aliis tradere, cupiunt. Nec incommodos fore putamus Lectoribus Indices, qui res hinc inde pertractatas tam ex Græcis, quam ex Novo Fœdere, inventu reddunt faciliores.

REVELATUM SACROSANCTÆ TRINItatis Myſterium, methodo demonſtrativa propoſitum, & ab objectionibus diſſentientium variis, Indice ſimul adjecto, vindicatum, Autore JACOBO CARPOVIO, Phil. Mag.

Jenæ, ſumtibus Jo. Adam. Melchioris, 1735, 8.
Plag. 16½.

Diſſertatio olim fuit, A. 1730, Præſide D. & Prof. Ven. *Eſaia Friderico Weiſſenbornio*, Jenæ emiſſa ac ventilata, quæ nunc librum ſingularem conſtituit, Commentatio. In Præfatione Lectori nonnulla de uſu rationis rectæ in exponendis Theo-

Digitized by Google

Theologiæ myſteriis inſtillantur, quorum hæc eſt ſumma, rationem rectam in myſteriis non eſſe normam, judicem, vel arbitrum, ſiquidem myſterium ſit veritas ſupra rationem poſita, reſpectu ad minimum cognitionis illius, quam in hac vita attingere licet. Datur equidem veritatum in ſeſe nexus, quam infinita ratio Dei utique introſpicit. At nos hic cognoſcimus ἐκ μέρȣς. Nec tamen negare licet, rationem ſanam eſſe certo ſenſu normam, judicem, & arbitrum falſitatis myſteriorum. Quod enim rectæ rationi penitus repugnat, ita, ut contradictio ejus ac impoſſibilitas evidenter oſtendi poſſit, id e numero verorum myſteriorum eſt eliminandum. Cave tamen, ne id habeas pro repugnanti doctrina, quæ talis non eſt. Uſus rationis in myſteriis exponendis adhibendus duo complectitur momenta. Propoſitiones ſacris literis patefactæ ſecundum regulas hermeneuticas ſunt explicandæ. E propoſitionibus revelatis, earumque inter ſeſe comparatione, eruuntur ſæpius propoſitiones novæ, quas dicimus in diviniori Codice contineri κατὰ διάνοιαν. Lectoris eſt inprimis, ad ea, quæ Autor de voluntate in Deo perſonali docuit, monitu ipſius animum attendere. Alii enim haud facile hæc pari evidentia ediſſeruerunt. Liber ipſe complectitur Capita quatuor. Primo principia demonſtrandi exhibentur; ſecundo & tertio myſterium ipſum verbis, & ſacro Codici & eccleſiæ propriis, proponitur; quarto errores, in hac doctrina ab antagoniſtis commiſſi, ſuccincte enarrantur. In calce Opuſculi comparet Epiſtola *Wiſſowatii*, viri inter Socinianos ſatis clari, contra dogma de Trinitate directa, in qua ipſe Illuſtris *G. G. Leibnitius* olim refellenda vires ſummi ingenii exercuit, cujus reſponſio æque ac *Carpoviana* nunc ſunt conjunctæ. Qui norunt, Theologiam revelatam haudquaquam reſpuere methodum logicam, ii haud ægre ferent, ſed potius Autori Clariſſimo gratias habebunt, quod doctrina cardinalis tam accurate ſit expoſita, & ab inſultibus adverſariorum vindicata. Qui principium rationis ſufficientis haud admittunt, eos, haud mirum eſt, citra rationem ſufficientem & per ſaltum ac umbras larvasque philoſophari. Merito celebratur hic Pag. 2. Ven. *Joaynes Guſtavus Reinbeckius*, qui, pro ea, qua pollet,

Pag. 11 ſeq. judicii acie illud extra dubitationem collocavit. Deum exiſtere poſſe duntaxat unicum, ſolide hic evincitur ex notionibus, quas recentior Philoſophia de *æqualibus ſimilibus*que
14. ſuppeditat. Φῶς illud ἀπρόσιτον, in quo Deus habitat *1 Tim. VI, 16*, Autor venuſte de perfectionum infinitate exponit. Φῶς eſt perfectio *Matth. V, 16.* Creationem eſſe actionem
20 ſeq. ſoli Deo propriam, ſolide oſtenditur. Dei filium per λόγον, cujus αὐτόπται καὶ ὑπηρέται fuerint ſcriptores vitæ Chriſti *Luc. I, 2*, æque ac per λόγον τῆς σωτηρίας *Act. XIII, 26*, denotari, exiſtimat. Locum *Col. II, 2*, pro omniſcientia Chri-
28. ſti comprobanda laudat, & adverſus diſſentientes vindicat.
36 ſeq. Locum *Jer. XXIII, 6*, ita judicat transferendum: *Et*
49. *hoc* eſt, *quod prædicabit* germen Davidis, de quo *v. 15*, *ipſi* Hieroſolymæ, nempe *Jehovam, juſtitiam noſtram.* *Pauli-*
57 ſeq. *num* dictum *Col. I, 16*, egregie contra παρερμηνείαν *Joannis*
80. *Clerici* tuetur. Approbat porro translationem Cl. *Hoffmanni*, qui locum *Pſ. II, 7*, *Act. XIII, 33*, ita per circuitionem vertit: *Hodie*, hoc eſt, in diebus carnis, *me te*, ſcilicet ab æterno, *genuiſſe, demonſtravi*, per teſtimonia cœlitus data, per
85. innumera miracula, & ipſam ex morte reſuſcitationem. Voluntas Dei hic diſtinguitur in perſonalem & eſſentialem. *Perſonalis* vocatur ea, qua pater vult filium eſſe Deum; *eſſentialis* vero ea, quæ omnibus divinitatis perſonis ex æquo eſt communis. Cum igitur voluntas perſonalis ad hoc ipſum tendat, ut eſſentiam divinam cum quadam divinitatis perſona communicet; Spiritus ſanctus ſecundum hanc diſtinctionem ca-
109 ſeq. ret voluntate perſonali. Nec putat inde perfectiones Spiritus S. violari, ſiquidem eæ ſint vel eſſentiales, vel perſonales. Proceſſionem Spiritus ſancti, ejusque miſſionem, qua procedit & mitti-
111. tur, ipſe diſcernit, priorem ad acceptionem eſſentiæ divinæ referens, poſteriorem ad dona hominibus conferenda. Ita miſſio ſingulis tribus perſonis erit communis, nec abſonum erit, Spiritum ſanctum a ſemet ipſo mitti, uti quidem ſibi perſuaſit Autor. Concedit tamen, *miſſionem naturæ* & proceſſionem illam ſacroſanctam haud differre, eamque a Chriſti humana natura eſſe deducendam, negat. *Miſſionem* vero *gratiæ* quoque ſpectare ad Chriſtum qua hominem, ſcilicet per com-

munio-

Digitized by Google

munionem divina cum natura arctiſſimam. Quæ *Scherzeri* fuit quondam opinio. Per vocem אלהים *pluralitatem perſonarum*, quæ unicam eſſentiam divinam poſſident, ſignificari, largimur; id vero eſſe perpetuum, ille demum credet, qui ignorat, perſonam patris dici אלהים, haud ſecus, ac viciſſim perſonam filii *Pſ. XLV*, 8. Errores eorum, qui dogma Trinitatis refellere audent, hic nervoſe ſolideque eſſe remotos ac enodatos, merito lætamur. Inprimis diſtincte oſtenditur, Trinitati ſacroſanctæ haud reclamare canonem illum tritiſſimum, quod illa, quæcunque cum uno tertio ſint eadem, inter ſeſe eadem eſſe conſueverint. Qui in ea verſantur hæreſi ac ignorantia, ut, methodum demonſtrativam & apodicticam conſtare lineis angulisque Geometrarum, vel doctrinis e recta ratione patentibus duntaxat inniti, exiſtiment, eis haud arridebit Cl. Autoris labor. At perperam. Qui vero ſolidam rerum pertractationem amant & excolunt, eis ipſe videbitur omne punctum tuliſſe. Nihil enim votis ardentioribus eſt expetendum, quam ut ſingula Theologiæ & dogmaticæ & moralis capita conſimili inſtituto & diligentia elaborentur.

Pag. 127.

171 ſeq.

187 ſeq.

OBSERVATIONUM PHILOLOGICARUM in Novum Fœdus ex Euripide collectarum Proluſio, ad Virum Nob. CASPARUM ARLETIUM, Philoſophiæ D. & Gymnaſii Vratislavienſis Profeſſorem, cognatum, gratulandi ergo miſſa a M. CAROLO HENRICO LANGIO, Gymnaſ. Lubec. Subrect. & Biblioth. Publ. Præfecto.

Lubecæ, operis Willerſianis, 1734, 4.

Plag. 2.

Ut a re ipſa illico exordiamur, brevitas Opuſculi exigit, quod promulſidem apponit eorum, quæ Cl. Vir ad prelum ferme habet parata, & quæ ultimam duntaxat limam exſpectant. Poetas Græcos uſibus exegeſeôs ſacræ inſervire, haud inficiabimur; Hiſtoricos tamen, præcipue eos, qui paullo ante ſcriptores Novi Teſtamenti, cumque eis, & paullo poſt eos, ſcriptis condendis animum appulerunt, ei fini eſſe conve-

Digitized by Google

nientiſſimos, credere licebit. Ad *Matth. I, 16*, annotatur, voces γεννᾷν & τίκτειν, haud ſecus ac Ebræorum illam ילד, promiſcue de viris ac mulieribus adhiberi. Μνηστεύεσθαι di-
Pag. 4. cuntur ii, qui ſponſalia ineunt, licet domumductio haud ſe-
5. quatur. Δίκαιος apud *Matth. I, 19*, de *facili & miſericorde* exponitur. At ſuſpicamur, *Joſephum* jure diſſolvendi ſponſalia fuiſſe uſurum, quod haud ſecus, ac formulæ divortiorum, ab infamia & ignominia publica erat immune. Euphemiſmus ille γινώσκειν γυναῖκα Græcis quoque ſat eſt ſo-
7 ſeq. lennis. Id notatur ad *v. 25*. Porro ex *Cap. II, 6*, vox γῆ illuſtratur, & per *urbem* convertitur. Sed, γῆν ſæpius tellu-
8. ris habitatæ partem quantamcunque cultam denotare, quis dubitat? Inciſum hinc decimum ejusdem Capitis ex *Euripide* exemplis ſimilibus illuminatur, adeo, ut non opus ſit, phraſin χαίρειν χαρὰν μεγάλην σφόδρα cum *Vorſtio* ad Ebraiſmos
10 ſeq. rejicere. Ii dicuntur ȣ̓κ εἶναι, *non exſiſtere*, qui mortem contraxerunt & obierunt. Ad *Matth. II, 18*, hic ultra duodecim exempla eam ob cauſam ex *Euripide* afferuntur. Ψυχὴ notat *vitam Matth. II, 20*, haud ſecus ac ſæpius apud *Euripidem*.
14. Quæ cum Cl. Autor exemplis illuſtravit, & de præconibus, κή-
15 ſeq. ρυξι, Græcorum nonnulla addidit, lectoris deſtituit deſiderium, complures ſimilis farinæ dapes appetentis. Quare nil65 ſupereſt, niſi ut publico eum rogemus nomine, ne reliquas locorum Novi Teſtamenti ex *Euripide* illuſtrationes nobis invideat, ſed primo quoque tempore in lucem emittat.

Lob- und Trauer-Reden, ꝛc.

h. e.

M. MAURITII CAROLI CHRISTIANI WOOGII Orationes & Panegyrici funebres, cum Præfatione de cauſis eliminatæ a quibusdam ex umbone ſacro Eloquentiæ.

Lipſiæ, apud Jo. Mich. Teubnerum, 1735, 8 maj.

Alph. 1 plag. 6.

Cave, ſuſpiceris, hic, recenſeri, elumbes quosdam jejunæ aut, ſit venia verbo, poſtillaris facundiæ fœtus. Ven. Autor, cujus eloquentia maſcula & nervoſa non nudius ter-

tius

Digitized by Google

tius emicare cœpit, in hiſce Orationibus talis eſt, qualem Dresda, ubi per plura luſtra ſacris operatur, cognitum dudum admiratur. Quamvis enim, id quod & præſtantiſſimis Oratoribus ex ordine ſacro ſolenne eſt, in ipſis Orationibus ad phraſes & exempla ſacri Codicis ſæpius alludat Noſter, iisdemque, ad ſcopum ſuum ſcite accommodatis, utatur; attamen diſcrimen inter Orationes & homilias funebres exactiſſime ſervare didicit, licet oſcitans in paucis paginis typotheta, invito, quod in prooemio diſerte profitetur, Autore, loca ſacrarum literarum in medio textu Orationum citaverit. Non pœnitebit haſce XXV cupreſſos, totidem enim ſunt Orationes hujus voluminis, excuſſiſſe, quibus & exquiſita pertractari videas argumenta, & eadem non contemnendis exornari obſervationibus, quarum nonnullas huc transferemus. Sic in *prima* ſtatim Oratione, quæ in obitum D. *Gottlob Friderici Seeligmanni*, Eccleſiaſtæ quondam Aulici Dresdenſis primarii, habita eſt, commemoratur, quod Celeberrimus ille Theologus famoſum quendam Atheum ad meliorem frugem reduxerit, perſuadendo eidem, ut tantummodo unicum ex Pandectis ſacris Caput prælegi ſibi pateretur, & attente auſcultaret. Id quod cum obtinuiſſet, ac primam aliquam occurrentem pericopen prælectam breviter explicuiſſet, obteſtatus hominem, ut vel iſtud ſaltem ſecum reputaret, utrum verbis mere humanis tanta vis aut efficacia inſit, tunc illum attonitum abiiſſe, poſt paucos autem rediiſſe dies, petentem, ut adhuc unum ejusmodi Caput, perinde ac nuper, ſibi prælectum explicaretur, quo facto, hominem abunde convictum, ſacris oraculis & Chriſtianæ religioni fidem adhibuiſſe. Nec injucundum erit decerpſiſſe ex *quarta* Oratione obſervationem de obitu *Victorini Strigelii*, Jenenſis quondam Theologi, quem *Ziegleru*s & alii mortem ſub manibus lavantium, in ipſa lotione manuum, oppetiiſſe dicunt. Obſervat enim Ven. Autor, præter ſilentium *Freheri*, *Zeumeri*, & aliorum Biographorum, fabellæ huic adverſari verba *Melchioris Adami*, qui referat, *Strigelium inter manus ſublevantium* placidiſſime exſpiraſſe, quæ verba minus recte intellecta fuiſſe, conjicit Autor, voti tamen *Strigelium* compotem redditum fuiſſe, quod ſæpius ingeminarat, ut ſcilicet Deus ipſi mortem equeſtri velocitate inſignem (*einen* Pag. 56 ſeq.

Reu-

Pag. 63. *Reuteriſchen Tod*) largiretur. *Quarta* Oratio, in exequiis *Mar-*
thæ de Oppel habita, beatam analyſin cum ſomno argute compa-
rat. *Septima* mortem cum cenſu & vectigalibus exquiſite
101. contendit. In *nona* ultimum D. *Jo. Boſſekii*, Antiſtitis Oſſi-
125. tienſium, morientis verbum: Sufficit! Oratori noſtro occaſio-
177. nem dedit varia egregie ſermocinandi. *Decima tertia* evincit,
Chriſtianum debere ſtantem mori, quam theſin memorabili ex-
182. emplo *Hieron. Godofr. Behriſchii*, qui jucundos inter de morte
215. ſermones e vivis exceſſit, comprobat. Nec minus *decima ſexta*
Oratio, de meditatione mortis, tanquam pharmaco immortali-
tatis, lectu jucunda eſt, uti & *decima ſeptima* de viragine heroi-
254. ca mortis victrice. In *decima octava* quædam de *Petro Bleſenſi*
annotantur tum ex antiqua Operis *Trithemiani* de Scriptori-
bus Eccleſiaſticis editione anni 1494, tum ex Bibliotheca *Telle-*
riana, & maxima Patrum; item de Pyrrhis, ſeu ſaltationi-
262. bus armatis veterum, Oratione *decima nona*. In *vigeſima*
279. *Chriſtoph. Henr. de Schleinitz*, & in ſequente *Magda-*
303. *lenæ Eliſab. de Luckowien*, elogium comparet. Utrumque ty-
pus poterit eſſe panegyrici perſonis illuſtribus dicendi. Famam
325. & exiſtimationem eſſe optimam homiliam funebrem, *vigeſima*
331. *ſecunda* Oratio demonſtrat, in qua memorabile ſimul *Juſti Li-*
pſii epitymbion affertur, uti in *vigeſima tertia*, de hora mortis,
ex antiquis Inſcriptionibus obſervatur ſcrupuloſa veterum cura
347. in conſignandis vitæ horis, ſemihoris, & ſcrupulis. *Vigeſima*
quarta ediſſerit, beate obeuntibus nihil deeſſe, & *vigeſima quinta*
353. vitam humanam veluti noſocomium depingit, ubi etiam de Pa-
365. rabolanis Eccleſiæ veteris quædam afferuntur, cumprimis de e-
373. tymologia vocis. Præfatio his Orationibus præfixa conqueritur, Eloquentiam a multis inique contemni, quam tamen Ven. Autor defendit, eamque definit præſtantiſſimum Dei donum & habitum ſcite loquendi, qui ſana ratione ſuffulcitur, & naturalem loquendi facultatem corrigit Hanc eloquentiam, cum doceat ſcite, i. e perſpicue, ac ordinate, cogitationes ſuas diſponere, & easdem venuſte exprimere, ſicque adeo auditoribus optima quæque perſuadere, non niſi injuſte contemni. His præſtructis, neceſſitas & utilitas hujus artis adſtruitur, & deinde in cauſas eliminatæ a quibusdam ex umbone ſacro eloquentiæ inquiritur, quæ nimirum ſunt varia præjudicia, & artis ipſius ignorantia, quæ falſe ridentur; omnia vero jucunde proponuntur, ut harum cupediarum cupidi tum ad ipſas Orationes, tum ad Præfationem, nobis ſint ablegandi.

❀ ❀ ❀

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II Sectio IV.

ANNALES ECCLESIASTICI, AB ANNO 1566, quo ODERICUS RAYNALDUS deſinit, usque ad annum 1567 continuati, Autore JACOBO DE LADERCHIO, Faventino, Congreg. Orator. Presbytero.

Tomus XXII.

Romæ, typis & ſumtibus Hieronymi Mainardi, 1729, fol. Alph. 6 plag. 10.

Hæc eſt altera Continuatio, a Rev. Autore adornata, ut *Baronio* Supplementa juſta ac legitima adjungantur. Hunc primum Continuationis ſecundæ *Tomum* ea fini inſtruxit, ut præcipue Hæreticorum hujus temporis deliramenta pateſiant, rejiciantur mendacia, ac, producta veritatis luce, tenebræ falſitatis dispellantur. Addit in fronte libri Autor magnificum promiſſum, ſperans, fore, ut hac Continuatione munificentia Apoſtolicæ ſedis erga egenos, in bellum Turcicum vigilantia, adverſus Proteſtantes & Concilium Tridentinum impugnantes providentia, Receſſuum Cæſareorum præcipua argumenta, propoſita credantur. Si quærimus fontes, e quibus Autor hæc hau-

 ſit,

Digitized by Google

ſit, tum ipſe indicat, ſeſe adhibuiſſe probatiſſimos Autores, monumenta originalia & Vaticana, arcana urbis Romanæ Archiva, & celebriores Bibliothecas, Epiſtolas *Pii V* ad Imperatorem, Reges, Reginas, Archiduces Auſtriæ, & Principes, conſcriptas, & aliorum literas, ad Pontificem illum Romanum, ejusque Pronepotem, Cardinalem Alexandrinum, viciſſim miſſas. Commemorat adhæc, enodationem hic exhiberi dubiorum, ad Concilium Tridentinum & Confeſſionem Auguſtanam pertinentium. Scilicet dantur ideæ quoque relativæ, ex quarum applicatione profluunt judicia relativa ac hypothetica. Ponit Autor, dogmata, Romanæ eccleſiæ propria, eſſe veriſſima, eosque, qui illa haud admittunt, eſſe hæreticos, cœcos, miſeros, & deteſtandos. Si fuiſſet ex conſortio eorum, qui fundamenta dogmatica evidentiæ demonſtrationis ſuperſtruunt, indubie ſtilum & ſententiarum enarrationem aliter inſtituiſſet. Nævos ſtili haud recenſebimus, e. g. *alteræ* pro *alterius*, *complecti* pro *contineri*, *expiſcarunt* pro *expiſcati ſunt*, *ad minus* pro *ad minimum* &c. Curatores & Correctores id jam culparunt, quod Opus hoc parum Latine, vel etiam barbara dictione, ſit elaboratum. Judicium Autor ſubjungit incuſationi huic tale: *Prævaluit ceterorum ſententia, magis rem, & jure quidem, quam modum, ſpectantium, & iſtis Grammaticorum nugis longe præponendam, judicantium. Tomus* hic complectitur duntaxat biennium, ob ubertatem materiarum quam maxime diffuſam. Plura in hoc Opere obvia purgatiſſimo cuique oculo diſplicere poſſe, ultro fatetur Autor, cum ea ne ipſi quidem arrideant. Multos id male habebit, quod Decreta Pontificumque Statuta ſingula ad verbum Operi inſeruerit, ideoque Bullarium fere condiderit, immo Menſuarium, vel Diarium. Fatetur Autor id, quod *Baronius* diſſimulat, nempe *Baronio* fuiſſe propoſitum, ut Hiſtoriam Centuriatorum Magdeburgenſium everteret, ac dogmata deinde catholica confirmaret ex priorum Seculorum teſtimoniis, quæ Novatores illi (ſic ſcribit,) ſubtraxerant. *Baronium* imitaturus Noſter, animum in id intendit, ut ſcriptorum, præcipue hæreticorum hujus temporis, deliramenta ac commenta patefaciat. Dedicatum eſt Opus

Virgini

Digitized by Google

Virgini Mariæ Θεοτόκῳ, quam Autor docet Hieroſolymis mortuam, & in valle Gethſemane ſepultam, deinde glorioſe redivivam, unaque cum corpore ad cœlos aſſumtam, & ſuper Angelorum choros evectam. Meminimus, *Agium*, Presbyterum, Seculi noni ſcriptorem, *Mariæ aſſumtionem* expoſuiſſe per ejus mortem. Conferri poteſt *Papebrochii* Epiſtola *in Ausführlichen Berichte von neuen Büchern A. 1708 Parte VIII pag. 767.* Altera Dedicationis formula reſpicit *Benedictum XIII*, Romanæ eccleſiæ Pontificem Maximum. In Præfatione & alibi *Baronii* fides admodum celebratur, de qua inſignis eſt locus in *Guidonis Patini* Epiſtolis in partem contrariam, ex *Lucæ Holſtenii* teſtimonio depromtus. Aggredimur nunc arcem cauſæ, ipſosque Annales. Primordia capiuntur a *Pii V* in Pontificem electione. Refelluntur paſſim Autores Proteſtantium, quorum ſcripta & nomina ne quidem Autori ſatis fuerunt cognita. Initium fit a *Joan. Eur. Haidegero*, quem, ni Pag. 2. *Hiſtoria Papatus* commemoraretur, ægre cognoſcere & expiſcari liceret. S. *Philippus Nerius*, ſi *Petro Jacobo Baccio* eſt fides in *Vita* illius *Lib. III Cap. 6 n. 6*, eligendum *Pium V* & electionis futurum diem in ecſtaſi prænovit. Signa idem præſagientia afferuntur unum & alterum, v. c. crinitus cometes, Londini per eos dies viſus, ignisque de cœlo terribilis. *Dio Caſſius, Suetonius, Tacitus*que, ſolent ſimilia oſten- 3. ta ad illuſtrandum natalem obitumque ſuorum heroum proferre. *Eliſabetha*, Britannorum Reginæ, hic exprobrantur *immania flagitia* & *tyrannis*. Porro *Jacobus Auguſtinus Thuanus* reprehenditur, qui rectius vocatur *Auguſtus*. *Archangelus Carraccia* de vita & geſtis *Pii V* ſcripſit, ex quo præcipua 4. denuo apponuntur. Elogia uberrima in *Pium* cumulantur. Decreta & Epiſtolæ Opus omnino commendant. *Pius V* ad Chriſtianam religionem amplectendam adduxit *Eliam*, Ju- 30 ſeq. dæum, Synagogæ præfectum, filium *Eliæ Levitæ*, qui libros complures ſcripſit. Caraffis honores ac bona reſtituit idem. Durum Autoris eſt judicium, dum, *hæreticos hujus ſeculi Tur-* 40 ſeq. *cis deteriores eſſe*, ſtatuit. Memorabilis fuit A. 1566 concer- 49. tatio, quæ inter *Guilielmum*, Mantuæ Ducem, ac *Pium V*, Pa- 61 ſeq.

Digitized by Google

pam, ob Epiſcopatus Mantuani nominationem interceſſit, ſiquidem Dux a *Pio IV* Diplomate ſpeciali jus patronatus ec-
Pag. 63. cleſiæ ejus obtinuerat. Coarguitur ideo *Bzovius* erroris. Conſtituit *Pius V* ſeminaria nova pro pueris Helveticis in Mediolanenſibus aliisque provinciis. Omittimus conſultationes de Turcis profligandis, & refutationes in *Thuanum* evibratas. Prædicantur *Hoſii* machinamenta in Lutheranos & Calviniſtas, per Poloniam invaleſcentes. Attribuumtur ab *Hoſio* Cardinale
122 ſeq. *Confeſſioniſtis*, i. e. Lutheranis & Calviniſtis, *innumeræ fraudes*, *iniquiſſimæ adinventiones*, & *calliditates*, ad Regem Poloniæ decipiendum excogitatæ. *Gentilis* Hæreſiarcha, e Polonia abire juſſus, Regi librum dedicavit, confertum in ſanctiſſimam
124. Trinitatem ac Dei filium horrendis blasphemiis, cauſatus in Præfatione, profanas ac monſtroſas voces *ὁμοούσιος*, *perſona*, *eſſentia*, *unitas*, *trinitas*, in eccleſiam frivole eſſe invectas.
125. *Gentilis* inde Helvetios petiit, &, articulis ſuis paſſim publice affixis, Bernæ ſupplicio capitis eſt affectus. Cathechismus Romanus hoc anno typis deſcriptus publicis, *Pio* mandante, ad *Hoſium* miſſus, ut, hoc curante, in Polonicam linguam trans-
128. ferretur, Parochisque Poloniæ ſingulis aliisque traderetur. E-
129. piſcopatus Sambienſis & Pomeſanienſis in Boruſſia Ducali nunc, Rege *Sigismundo* vel decernente, vel conſentiente, ab eccleſiæ Romanæ corpore ſunt avulſi. In *Albertum* Brandeburgicum,
130. primum Boruſſiæ Ducem, miræ emittuntur injuriæ. *Joachimus Mœrlinus*, qui hic vocatur *Merlinus*, vocatur *perfidiſſimus hæreſeos miniſter*. Si vituperare & refutare haud differunt, Autor profecto diſſidentes a Romana eccleſia & maſcule & egregie refutavit. *Maria*, Scotiæ Regina, laudatur; *Eliſabethæ* contra, Anglorum Reginæ, tribuitur inſana æmulatio, religionis cujusvis abdicatio, per quam, ope perditiſſiorum hæreticorum, ſacrilegas impiasque commolitiones in *Mariam* ſtruxerit, porro inexplebiles ambitionis conatus atque exceſſus. *G. Buchanani* Hiſto-
132. ria Scotica a *Genebrardo* & *W. Cambdeno* autoritate ſua fuit exuta. De *Thuano* ſingulare hic profertur judicium. En illud: *Thuanus, ſpurciſſimi corvi inſtar, ſuas narrationes ex alio-*

rum

Digitized by Google

rum narrationibus contexuit, bonisque ac probatis rejectis, calumniatorum putida commenta ſelegit. *Buchanani* libros falſitatis fuiſſe damnatos ab Ordinibus Regni Scotiæ, ipſumque, *Moranii* munificentia abreptum, falſa ſeviſſe, fama eſt. Inde tamen nondum patet, ubique eum fefelliſſe lectorem. Veritas plerumque odium parit Hiſtoricis. Mors, *Davidi Rizio* illata, inaudito imputatur ſceleri ab Autore, cui ea ſunt laudabilia, quæ ad Romanæ eccleſiæ incrementa qualiacunque faciunt, ea vero criminoſa, quæ a ſic dictis hæreticis fuerunt facta vel cogitata. *Bzovii* errores hinc inde eſſe detectos, e re omnino eſt publica. Vide *pag. 139, 140, 141.* Succenſet Autor, quod *Georg. Buchananus Jacobo I* Regi, in pueritiæ annis verſanti, datus fuit præceptor. Ea de cauſa *Buchananum* appellat *Minoritam excucullatum, Bacchicum hiſtrionem, & Atheum Poetam.* Rituale Anglicanum, ſub *Eduardo* Pag. 141. *VI* Rege confectum, hic vocatur *opus tenebrarum.* Judicent alii, num ex Autoris judiciis lectores artem conviciandi poſſint addiſcere. Thuanus *ſemper hæreticorum facta & ſcelera confictis narrationibus contegere ſtuduiſſe* perhibetur *pag. 146 b.* Calvinianorum dogmata de S. Cœna vocantur *impudentiſſimi ſatanæ miniſtri blaſphemiæ pag. 149 b.* Lutheranorum doctrina de *S. Euchariſtia* dicitur *infelix lutulenti Lutheri grunnitus* ibidem. *Beza* appellatur *Calviniſtarum* 150. *Pſeudo-Patriarcha, inficiatus Dei omnipotentiam.* Singulare profertur miraculum, quo transſubſtantiationem diabolus confirmaverit; ſiquidem refertur, diabolum in obſeſſo ad ſacræ hoſtiæ conſpectum horrore tremuiſſe, cauſamque interrogatum, reſpondiſſe, ſe ita tremere ob *Hoc eſt, Hoc eſt,* innuentem verba: *Hoc eſt corpus meum.* Malumus veritates cœleſtes ex ejus verbis, qui eſt veritas, diſcere, quam a cacodæmone, mendaciorum patre. Omittimus vituperia, in Reginam Navarræ 163. effuſa. Obiit A. 1566 Saloni in Provincia *Michael Noſtradamus*, ſub cujus deinceps nomine plurimi alii verſus recens conditos, ut plebeculæ imponerent, evulgarunt. Ad A. 1567 haud ita copioſus eſt Autor, ut ad annum præcedentem. Exitus criminoſus *Petri Carneſecbii*, Clerici Florentini, & A- 198 ſeq. poſtolici Protonotarii, hic tragice & fuſe exponitur. Ipſe fa-

verat repurgationi rei ſacræ, ideoque odiis fuerat oppreſſus. Articuli, quos docuit, & ob quos miſere perire debuit, ſacris
Pag. 200 ſeq. literis non ſunt repugnantes, aut ab his diſſoni. Teſtem veritatis cœleſtis eum merito appellamus. De *Michaele Bajo*, Lovanii olim Doctore, Janſeniſtarum progenitore, afferuntur omnino
224 ſeq. jucunda & ſingularia. *Gabriel Gerberonius Baji* Opera A. 1696 in Belgio edidit. Colonienſis Academiæ lites cum Imperatore *Maximiliano II*, precibus primariis ibi uſuro, le-
254 ſeq. ctores plurimos docebunt incomperta. Et quid multa? Literæ ineditæ & decreta Pontificum, hic in lucem protracta, erroribus hiſtoricis paſſim delendis omnino medentur. Index rerum & verborum ſpirat induſtriam. *Thuano* ubique oblatratur. Hæreticis portenta nomenclaturarum impinguntur, ut ipſi videantur ſolide refutati. Anglicorum Epiſcoporum ordinationem eſſe invalidam, operoſe adverſus *Curajerum* monetur & contenditur. Qui hiſtoricam veritatem in ſectario animo hoſpitari negant, eos hiſce Annalibus, minus pure contextis, exiguum ſtatuere pretium, haud ægre arbitramur.

CHRISTIANI SCHOETTGENII HORÆ Hebraicæ & Talmudicæ in univerſum Novum Teſtamentum, quibus Horæ JO. LIGHTFOOTI in libris hiſtoricis ſupplentur, Epiſtolæ & Apocalypſis eodem modo illuſtrantur. Accedunt Diſſertationes quædam Philologico-ſacræ, Indicesque locorum Scripturæ, rerum ac verborum, neceſſarii.

Dresdæ & Lipſiæ, apud Chriſtoph. Hekelii B. Filium, 1733, 4. Alph. 7 plag. 7.

Si verum eſt, quod nemo dubitat, *Jo. Lightfootum*, in Orientis literis olim ita, ut excelleret, verſatum, editis in lucem Hebraicis ſuis Talmudicisque Horis de ſacra Philologia egregie promeruiſſe; non erit inficiandum, Cl. *Schœttgenium*, qui eosdem præclaros mirum in modum auxit locupletavitque labores,

bores, magnam omnino gratiam a literata iniiſſe civitate. Multi quidem, ut fit, *Lightfootianum* vituperarunt inſtitutum, ejusdemque utilitatem non nimis magnam eſſe, jure ſibi viſi ſunt contendere poſſe. Sed hi erant fere, qui, expertes literarum Talmudicarum, peritaque judicandi facultate minus inſtructi, quemadmodum illæ in uſum Novi Fœderis explanandi eruditum convertendæ ſint, parum habebant exploratum. Quocirca non immerito Cl. *Schœttgenius* male ſana horum contemſit judicia, rationibus omnibus diligentius ſapientiusque ſubductis ac circumſpectis; id quod in docta, quam ſuis continuatis præmiſit Horis, non parum luculenter declaravit Præfatione. Hæc duo enuntiata omni vacant dubio: 1) *Chriſtus & omnes Nov. Teſt. ſcriptores Judæi fuerunt, & cum Judæis verſati ac locuti ſunt;* 2) *iidem cum Judæis illa lingua locuti, iisque apud eos dicendi formulis uſi ſunt, quæ tunc temporis omnibus patebant.* Ex quo conſequitur, ut Dominus ejusque legati non potuerint facere, quin locutiones, in dialecto Syro-Chaldaica uſitatas, ſuæ nonnunquam admiſcerent orationi. Hinc Judaici codices, in quibus hujus διαλέκτȣ perſpiciuntur veſtigia, dici non poteſt, quantum phraſin Novi Teſtamenti ſacram illuminent. Sunt quædam dicendi genera, quæ, cum in Veteri Fœdere haud exſtent, lucem inde capiunt nullam, ut *exaltari a terra, ſuſcipere jugum, odor vitæ ac mortis, cœlum tertium, Hieroſolyma cœleſtis, juſti perfecti,* & quæ ſunt alia ejusdem generis. Hæc quidem exempla Vir doctiſſimus adducit. Verum, uti genuina trium ultimarum loquendi rationum ſignificatio ex ipſo φράσεως Apoſtolicæ uſu, ac tota orationis cohærentia, non vero ex ingenio Rabbinico, infelici perſæpe dictionis ſacroſanctæ imitatore, declaranda evolvendaque eſt, ita tres illæ priores in Vet. Fœdere omnino aut totæ, aut ſaltem ex parte, inveniuntur, ex eodemque ſuo quodam jure illuſtrari merentur. Sic verbum ὑψωθῆναι *Jo. XII, 32* aut nulla eget luce, eo quod ipſe divinus Hiſtoricus verbum iſtud Servatoris, qui loquens illic inducitur, luculenter explanavit, *v. 33,* aut, ſi egeret, ex typo ſerpentis ænei a *Moſe,* divino homine, erigendo illam nactura foret, *Num.*

XXI,

XXI, 8, 9, Joan. III, 14, utpote quem ante oculos poſitum haud dubie habuit Dominus. ἄρειν τὸν ζυγὸν expreſſe legitur *Thren. III, 27.* נשא על *portare* vel *ſuſcipere jugum.* Nec minus dictio, *odor vitæ & mortis*, cum illa in hiſtoria *ſacrificiorum, Gen. VIII, 21, Exod. XXIX, 18, Lev. I, 9, 13*, alibique, occurrente, cum cura & ſolertia componenda. Rem interim ipſam nemo vocabit in dubium, locutiones vere ac unice Judaicas, ſi quæ in Novo reperiantur Fœdere, non ex Græcis Latinisque, ſed ex Judaicis, ſcriptoribus enodandas eſſe. De his iisdem intelligendus eſt Cel. *Surenbuſius, in Præf. ad Part. I, Miſchnæ.* Habent igitur & Judaici, & veteris Græciæ Latiique, Autores eximias ſuas utilitates, quas erudito Nov. Teſt. explanatori pollicentur. Scriptores divinitus acti eo ad ſcribendum conſilio appulerunt animum, ut utrisque orbis populis, Judæis & gentibus, quæ Deos olim venerabantur, viam monſtrarent ſalutis. Hoc ſi nobiscum poſueris principium, haud ſane paucos in Nov. Teſt. invenies dicendi modos, & Judæis, & profanis ſimulacrorum cultoribus, olim communes, intellectuque faciles. Hac nunquam ratione Hebraiſmos Novi Fœderis augebis, nec ſciſces, nimias in eo eſſe, quæ ſolis uſitatæ Judæis ſint, locutiones. Nec vero Hebraiſmos vitioſos eidem, quem ut ſacroſanctum recipimus ac veneramur, Codici attribues, eo quod Φράσεις quasdam Judaicas indoli ac genio linguæ Græcæ adaptaverunt. Prius illud ſcitum ii antehac, qui Græce non nimis gnari erant, alterum contra illi, qui ſuas omnes vigilias Hebraicis Talmudicisque devoverant literis, acriter tuebantur. Ita vero ſine negotio magna componitur lis, quæ olim in literato adeo fervebat orbe, ut, tantas cœleſtibus animis fuiſſe iras, mireris. Neque tantum Φράσιν, ſed etiam 2) *allegationem dictorum Vet. Fœd. in Nov. Teſt. felicius enodandam*, ſcriptorum Judaicorum plurimum juvat evolutio; quod graviſſimum argumentum *Guil. Surenbuſius* in ספר המשוה ſeu βίβλῳ καταλλαγῆς ex inſtituto diligenter ſtudioſeque perſecutus eſt. Exſtant 3) in libris Judæorum *multa veritatis cœleſtis veſtigia & reliquiæ*, cum dictis Domini & ejus amicorum non ſine judicio conferendæ. Sic

&

& 4) ***antiquitates populi Judaici***, in N. T. obvias, nec non 5) ***allegoricas & myſticas Vet. Teſt. in Nov. explanationes***, ex Judaicis monumentis illuſtrandas eſſe, res ipſa loquitur. Sume ſpeciminis loco *1 Cor. X, 3, 4*, ubi Divus *Paulus* de Manna & aqua ex petra manante in eandem, qua Judæi olim, loquitur ſententiam. Appellat nimirum illud *βρῶμα πνευματικὸν*, hanc vero *πόμα πνευματικόν*. Scriptores Judæorum ſimiliter, atque *Paulus*, Manna vocant מזון רוחני *cibum ſpiritualem*, in Jalkut Rubeni *fol. 48, 2*, & *fol. 90, 2*, item לחם רוחני *panem ſpiritualem*, Alſchech in *Leg. fol. 238, 1*, quo etiam eodem loco illa, quæ e petra olim profluxit, aqua מים רוחניים *aquæ ſpirituales* dicitur. Vid. a Cl. Autore ad locum indicatum obſervata. Addimus nos divinam illam Jeſu Chriſti appellationem, *Col. I, 15*, ubi dicitur *πρωτότοκος πάσης κτίσεως*. Solenne olim antiquis erat Judæis, quorum puriorem Theologiam intelligebat *Paulus*, ut verum illum ſupremumque Deum בכורו של כל עולם nominarent, teſte R. *Bechai* in *Leg. fol. 115. c.* Iſtud igitur Dei veri nomen, ex pura gentis Hebrææ Theologia petitum, Chriſto dum vindicavit Apoſtolus, ipſum veri nominis Deum eſſe, certiſſimos nos eſſe jubet. Miramur, viri laborioſiſſimi diligentiam hanc effugiſſe obſervationem, quæ hominum, divinitatem Domino invidentium, unico ictu proſternit malitiam. Hiſce uſibus annumerandæ ſunt 6) *Traditiones quædam Judaicæ*, a Spiritu S. diligenter ſervatæ, & usque ad noſtram memoriam propagatæ. Quanquam igitur Vir Clariſſimus uſum Judaicarum ſcriptionum in explanatione Sacrarum Novi Fœderis Tabularum ſobrium hactenus jam ſatis corroboravit; nonnulla tamen binis, quas expertus eſt ipſe, objectionibus præmunire, operæ fecit pretium. Eos, qui, ſcriptis Judaicis Novum Teſtamentum antiquius eſſe, autores item eorum Novus Fœdus perlegiſſe, & muta hinc, quo Chriſtianis verba darent, petiiſſe, atque in ſuos convertiſſe uſus, ipſi reclamarunt, hæc vult habere. Non eſt prior illa opinio veritati omni ex parte conſentanea. Autor Miſchnæ Seculo P. C. N. II vixit, opusque ſuum ævo Apoſtolis proximo confecit. Liber Zohar, ſi non eadem ſe commendat antiquitate, ſermones

Pag. 622 ſeq.

tamen ac doctrinas *R. Simonis*, filii *Joachi*, complectitur, qui A. C. CXX vixit, & Apoſtolorum diſcipulis æqualis fuit. Ceteri Judæorum libri recentiores quidem ſunt, at ſcita tamen & opiniones antiquiſſimorum Hebrææ gentis doctorum continent, qui vel ante vel circa Chriſti vixerunt ætatem. Jam ii, qui aut ore aut calamo erudiebant alios, non ſolum in veterum ſententias, ſed & in ipſa jurabant verba. Tum vero non videtur ei credibile, Judæos antiquos, qui in Talmude & Midraſchim excitantur, ſacros Novi Fœderis libros perlegiſſe; obſtitit enim illis odium adverſus גוים capitale. Nec in Critica arte tantos fecere progreſſus, ut Chriſtianis fucum incautis facere valerent. Nemo dixerit, Judæos ante tot Secula proſpexiſſe, viros quosdam ipſorum ſermonis peritiſſimos aliquando fore, qui dictionem Talmudicam ad uſum Novi Fœderis conferant. Ipſi fatentur ac præ ſe ferunt Judæi, Gemaram inſuperabili laborare obſcuritate, ejusque nodos difficiles nunquam a Chriſtianis, quos גוים vocant, explicatum iri. Hoc denique ſilentio haud eſt prætereundum, libros Judaicos eadem Phariſæorum vitia, quæ Salvator notavit, haud obſcure commemorare. Quodſi ergo ſacras Domini hiſtorias legiſſent; non eſt conſentaneum, ipſos dicta Servatoris teſtimonio ſuo confirmaturos fuiſſe. Sed, quoquo modo ſe illud habeat, hoc veriſſimum eſt haud dubie, Horas *Lightfootiano-Schættgenianas* illis, qui rectæ valent rationis judicio, plurimum inſervituras. *Lightfootus* ſola *Evangelia* illuſtraverat, *Schættgenius* vero ab illo hic prætermiſſa ſupplevit, *Epiſtolas*que inſuper *Apoſtolicas* & *Apocalypſin* haud abſimili tractavit ratione. Ea inprimis, quæ ad αὐθεντίαν dicti celeberrimi, *1 Joan. V, 7*, roborandam attulit, nova, ut vocat, argumenta tanti apud eum ſunt, ut, hoc uno labore feliciter exantlato, ſat magnum navatæ omnis operæ fructum ſe feciſſe arbitretur. Cum hoc ea junxit, quæ ad *Matth. XXVI, 26*, ſcripſit, recentiorem aliquam verborum inſtitutionis Sacræ Cœnæ expoſitionem enervaturus. Non neglexit quidem, officio ſuo facturus ſatis, recentiora meritiſſimorum virorum, *Seldeni*, *Wagenſeilii*, *Braunii*, *Witſii*, *Vitringa*, & *Edzardi*, monumenta; ſed fontes tamen ipſe etiam

iam, id quod laude cummaxime dignum, adiit, quorum & confecit indicem, librorum, quibus uſus eſt, editionibus accurate deſignatis. Ediderat jam A. 1719 in *Novis literariis Lipſienſibus Specimen Horarum Hebræo - Talmudicarum in Nov. Teſt. integrum, pag. 72 ſeq.* Quod cum placeret eruditis, in propoſito ſuo tunc enixius alacriusque perrexit. Multa ex Judaicis libris collegerat olim *Lightfootus*, nec vero pauciora neglexerat. Sunt viri docti, qui hoc jam pridem obſervarunt, in quibus Cl. *Majus* præ ceteris numerandus. Nec dubitamus, quin aliqui dicturi ſint, collectis a *Schœttgenio* locis plura addi poſſe. His Vir doctiſſimus opes, quibus abundant, Judaicas haud ſane invidebit, ſed eos orabit nobiſcum, ut illas literatæ civitati etiam impertiantur. At nos tamen fatemur confidenter, poſt hanc meſſem a *Lightfooto* & *Schœttgenio* factam, non nimis largum aliis relictum eſſe ſpicilegium. Addimus, antequam hanc finimus recenſionem, indicem Diſſertationum Philologico - ſacrarum, haud ſegniter elaboratarum, quas Vir Clariſſimus Horis ſuis accedere voluit. 1) agit *de regno cœlorum*; 2) *de ſeculo hoc & futuro*; 3) *de Judæis præputium attrahentibus, ad 1 Cor. VII, 18*; 4) *de lucta carnis & ſpiritus, ſecundum doctrinam Hebræorum*; 5) *de Hieroſolyma cœleſti*; 6) *de Exergaſia ſacra*; 7) *de Schilo Dominatore*; 8) *de Chriſto Rabbinorum ſummo.* Quilibet, nobis etiam ſilentibus, intelligit, has Diſſertationes argumentum in ipſo Volumine declaratum propinqua contingere cognatione. Omnes igitur, qui ſacram Philologiam in deliciis habent, toti huic lucernam olenti Operi tantum, quantum promeretur, ſtatuent pretium; & in Novi Fœderis ex locis Talmudicis illuſtratione id ſibi datum cummaxime credent, ut cultius judicium, id quod in eruditum in primis cadit interpretem, ubivis vocent in auxilium.

MARCI HIERONYMI VIDÆ, CREMONENſIS, Albæ Epiſcopi, Poemata omnia, quæ ipſe vivus agnoverat, duobus Voluminibus comprehenſa. Editio o-

mnium emendatiſſima, *curantibus* JO. ANTONIO & CAJETANO VULPIIS, *fratribus*.

Volumina II.

Patavii, excudebat Joſephus Cominus, 1731, 4.
Vol. I Alph. 2 plag. 10, Vol. II Alph. 2.

Quo quis artis eſt peritior, eo ſolertior utique videtur ſuum cuique dicere pretium. Iidem *Vulpii*, quorum ſcita terſaque ipſorum Carmina in *Supplem. Tom. IX Sect. IX pag. 366* commendavimus, jam pro ſua, quam ſtrenue pergunt Muſis amœnioribus dicare, opera, *Vidæ* Poemata exhibent ſplendore curisque tantis ſuperba, ut vel ex eo liceat conjicere, quanto aſſenſu excipienda ſint atque favore. Plures jam inde proſtitiſſe hujus Poetæ editiones, ſatis conſtat, in iisque, quæ emendatior pleniorque ab ipſo Autore fuit adornata, eminet Cremonenſis. Tamen, cum hæc *Vulpio* rudior forma, quam pro operis dignitate, ceteræ vero mutilæ ac laceræ viſæ fuerint, ſe operæ pretium facturum ratus eſt, ſi & nitore & perfectione majori ſtudioſos ejus legendi reddidiſſet cupidiores. Si qui forent, quibus ſua videretur intereſſe, plura de *Vida* noſtro referri, jam paucis præfabimur, quis fuerit Vir, quaque ratione illud ingenii & eruditionis nomen ſit aſſecutus. Fuit itaque, prout in exemplari Oxonienſi, & huic ſubjuncto operi, relatum legitur, *M. H. Vida*, Cremonenſis, patre ſatis generoſo natus, ſed minus pro ſtirpis dignitate divite. Excellens tamen, quæ jam in puero fulſit, ingenii docilitas effecerat, ut omnibus doctrinis pater eum pro ſortis conditione curaverit impertiendum. Rudimentis ita Mantuæ celeriter arreptis, Patavii & Bononiæ ſtudiis obſecuturus, præter divinarum literarum diſciplinas, Poeticen inprimis attigit. Qua quidem naturali quadam venæ benignitate adeo profecit, ut Cygnum Mincii imitatus, jam adoleſcentulus ad Serii ripas carmina cecinerit ſuaviſſima. Poſtea Mantuæ & Romæ in Canoni-

nonicos, ut audiunt, lectus, per *Gibertum Leoni X* in deliciis & honore eſſe cœpit. Et hic quidem, cognita ingenii felicitate, non ſolum autor *Vidæ* extitit, ut numeris *Virgilii* Chriſti facta canenda ſuſceperit, ſed eundem etiam primatui Tuſculano juſſit præfici, quo paulo remiſſiori a negotiis plus otii eſſet ad opus, cui ſe accinxerat, perficiendum. Averterat paululum ab hoc labore animum mors, quæ intervenerat, *Leonis*. Sed alacrior ad rem gerendam factus eſt, cum a *Clemente* eodem exceptus favore, ſummo, quod Albæ eſt, ſacerdotio præeſſe cœpit. Vixit hic in ſumma dignitate, civium favore, quem præter magnæ exiſtimationem doctrinæ adeo ſua auxerat liberalitate, ut ſummis pariter ac infimis cariſſimus, ſine offenſione per annos quinque & triginta omnium retinuerit benevolentiam. Inciderat ætas ejus in calamitoſum illud tempus, quo tota ferme Italia armis Gallorum fuit vexata. Neque tum Alba expers fuit belli illius contagionis, ſed, agris circum vaſtatis, urbs ipſa obſidione cœpta eſt premi. Civibus jam metu deſperantibus, ut, commeatu antea non convecto, vim obſidionis ſuſtinerent, parum abfuit, quin urbs, annonæ maxime laborans inopia, hoſtium per deditionem ceſſerit libidini. Sed, animis ex ſubito terrore confirmatis, *Vida* noſter inopiam publicam ſua liberalitate conſiliiſque adeo ſublevavit, ut hoſtes gradu depulſi, oppidanis acerrime ſe defendentibus, rem irritam omittere fuerint coacti. Sic unius ejus prudentia & conſilio ex tot tamque gravibus procellis cives ad incolumitatem ſeſe emerſere. Senio tandem confectus, prope annum nonageſimum diem obiit ſupremum. Situs eſt Cremonæ, urbe patriæ. Extat ejus monumentum ibi magnifice exſtructum, cujus nitor, & exemplum inciſum, deſiderii civium teſtis eſt locupletiſſimus. Hic vir, hac virtutum & ſtudiorum temperatus indole, famam ſui reliquit literarum monumentis immortalem, quæ *Vulpius* duobus hiſce emiſit Voluminibus. Utriusque conſpectum dare, haud alienum erit. Itaque Libris VI, quibus nomen indidit *Chriſtiados*, miranda Servatoris facta *Virgilii*, ut ſupra dictum, cecinit numeris. In quo quidem utrum terſæ dictionis callitas, an feliciſſimi ingenii ubertas, magis

Digitized by Google

ſit admiranda, judicatu videtur difficile. Rei indicio erit, ſi
ejus ſtudioſos, primum delibando librum, quid de ceteris ſibi
quiſque queat polliceri, doceamus. Ab itinere Servatoris ad
urbem carmen auſpicatus, *Chriſtum* ſiſtit diſcipulos, remotis
Pag. 4. 5. 6. ex nemore ſecluſo arbitris, de morte inſtanti monentem. E-
greſſo inde, & a *Zachæo* convivio Jerichunte comiter excepto,
triſtis incutitur nuntius de *Lazaro* mortuo, quem quidem, ne-
ſcimus, qua fide, ſceptra Bethanes tenentem, & patre itidem
Rege Syriæ ortum, fingit. Scite hic intertexuit, pro inſtituto vete-
rum Poetarum, quorum artem mira, quanquam diſſimulata,
imitatur arte, dæmonis concionem, quam de inſidiis Chriſto
ſtruendis ad furias diras alternis ſuadendo & querendo habuit.
Lazarum poſt auris redditum, multaque de ſtatu & conditione
12. 13. manium referentem, inducit. Ad vivum poſtea vitiis pariter
atque virtutibus illuſtrem depingit *Magdalenam*, ut hæc for-
marum ſectatrix ſtudio improbo formoſum viſendi Deum ac-
ceſſerit, ut Chriſti dictis tacta & immutata, ferocitatem cum
muliebri ornatu exuerit, ut pedes hinc nardo lachrymisque un-
15. xerit, hinc ſuis ipſius deterſerit capillis paſſis. Hanc ingenio-
ſe deſcriptam excipit ingreſſus Chriſti, favore comitumque
17. pompa ſolennis, cujus quidem veſtes jumento ſuperſtratas a
pueritia neque obſoletas neque attritas tradere audet. Miraculis
factisque inde, quæ Chriſtus, ægrotos ſanando, templumque
21. profanorum ſordibus purgando, perpetravit, narratis, eundem
cum diſcipulis magnificentiam illam templi inclyti ſtupendam
22. memorat contemplantem. Mira ingenii felicitate hic in
marmore parietum fingit ſculptas res a condito orbe terra-
24. rum memoratu digniores. Opificem mundi, arborem tri-
ſtem Paradiſi, pomaque vigilata draconibus, pœnas generi
humano injectas, vivis ferme adumbrat coloribus. Quan-
quam non diſſimulandum, Autorem cerimonias, Romanæ
religioni immiſtas, hic ſecutum, cum inter pœnas limbum
26. illum, quo unius ob noxam patres teneri oporteat, memi-
nerit. Aptiora lectu pariter atque gratiora ſunt, quæ de na-
tante *Nohæ* machina, de immolando *Abrami* filio, de fatis *Jo-
ſephi*, *Moſis*, æneique ſerpentis typo, iisdem templi in-
27. ſculpſit parietibus. Chriſto ædem egreſſo, obviam fecit *Suſan-*

nam,

Digitized by Google

nam, quam adulterii convictam, & inſtar cervæ latratibus ca-
num actam, contra acerbitatem actorum quæſtionisque capita-
lis egregie defenſam reddidit. Veſpere demum facto Chri- 31.
ſtum in monte Tabor ſiſtit precantem, cui cœleſti lumine &
ſplendore circumfuſo, Pater celſiſſima quæque præmia laborum
promittendo reſponderit. Nec hic Autor dubitavit, quin pro
patriæ religionis opinione Deum inducat promittentem, fore,
ut ex ſancta Chriſti gente Vir ille deſcendat, qui viris late at- 34.
que ipſis det jura ſacerdos Regibus. Vox certe hæc, Pontifici
per ambages blandiens, digna fuit viſa, quæ plauſu concentu- 35.
que angelorum excepta, finem Libro primo imponat lætiſſi-
mum. Per inſtituti rationem limitumque carceres non licet
nobis eſſe longioribus. De ceteris, ad quos relegamus *Vidæ*
æſtimatores, libris ſatis hoc dixiſſe videmur, in illis nihil eſſe
abſonum opinioni egregii Poetæ, famæque, apud quosque eru-
ditorum partæ, non felicitatem in rebus apte excogitandis, non
dictionis blandientis artificium, non variis coloribus venuſte
exornandi ingenium, deſiderari. Carmina, quibus huic Operi ſub-
jectis heroico hymnorum nomen indidit Autor, ſecundum divi-
nas, ſanctorum, & maxime Matris virginis, continent laudes.
Nec ſuo hæc defraudanda ſunt pretio, cum, præter floridam ſer-
monis elegantiam, intemeratæ ſpirent pietatis ardorem; licet
majore venæ felicitate in heroico, quam lyrico, genere videa-
tur uſus. Quam cognitam certe & perſpectam habuerit cu-
jusvis variæ poetices artem, documento eſt egregium de arte
poetica opus, quod altero in Volumine tribus contexuit libris.
Accuratius, quid in ea re præſtiterit *Vida*, exponit, quam præ-
miſit *Tarteſſius*, Præfatio. Nec ſuis ipſum præceptis aberraſſe
ubique patet. Quæ de bombycibus ſolertiſſime duobus libris,
item de Ludo Schachio, ingenioſe cecinit, & admirationi & ob-
lectamento haud vulgari ſunt legentibus. *Virgilii* ubique u-
bertatem imitatus graviſſime, nullius ſe expertem fuiſſe venu-
ſtatis, comprobavit. Eclogas ſimplicitas blanda commendat
atque munditiea, nec ceteris, quæ ſequuntur, carminibus ſua de-
eſt gravitas officioſa, adeo, ut, nobis quidem arbitris, non fuerit,
quod *Scaliger* invida obtrectatione tanti laudem ingenii quon-
dam

Digitized by Google

dam detriverit. Pari denique ſermonis terſi elegantia contexti ſunt libri duo, quos de Republica ſcripſit ad *Polum*, Purpuratum. In his æmulo quodam niſu *Tulliæ* dictionis divitias per dialogos, aſt latius ſeſe diffundentes, exprimere conatus eſt. Quæ verborum excurrens copia ne feſtinantibus faſtidio ſit, temperat eam tum orationis flumen, tum rerum gravitas, de quibus ſcite judicat atque veriſſime. Sub finem Operis Editores per appendicem Epiſtolas aliorumque de *Vidæ* laudibus orationes & teſtimonia curarunt adjicienda, ut qui peritiſſimi *Vidæ* æſtimatores haud quidquam prætermiſſum voluere, quod quidem ſciri, lectoris unquam interfore, fuerunt ſuſpicati.

NOVA SCRIPTORUM AC MONUMENtorum, partim rariſſimorum, partim ineditorum, Collectio; Opus ad illuſtrandam Hiſtoriam civilem, eccleſiaſticam, literariam, nec non Jurisprudentiam publicam & privatam cummaxime comparatum. Tomus II, præter varia ad Cerimoniarum diſciplinam pertinentia, Librum diurnum Romanorum Pontificum, & AUGUSTINI PATRICII PICOLOMINEI, Epiſcopi Pientini, Librum Sacrarum Cerimoniarum, quibus Romani Pontifices uti conſueverunt, exhibens. Recenſuit CHRIST. GODOFREDUS HOFFMANNUS, JCtus, Reg. Bor. Maj. Conſil. Intimus, & Ordin. Juridici in Acad. Francoſ. Ordinarius.

Lipſiæ, ſumtibus Hæred. Lanckiſianorum, 1733, 4. Alph. 4 plag. 19.

Apposuimus integrum libri titulum, ut eo brevioribus nobis jam eſſe liceat. Primum in hoc *Tomo* locum occupat *Liber Diurnus Romanorum Pontificum*, quem *Jo. Garnerius* primum typis exſcribendum curavit, & Diſſertatione de libri hujus fatis lucupletiorem auctioremque reddidit. Minime ignotus fuit hic liber, quemadmodum nonnulli perverſe exiſtimant,

ſtimant, veteribus recentioribusque, ſive Canonum collectoribus, ſive aliis illuſtribus ſcriptoribus. Ex antiquis mentionem ejus faciunt *Ivo Carnotenſis*, *Gratianus*, *Anſelmus Lucenſis*, & Cardinalis *Deusdedit*. Neque ille effugit recentiorum, *Antonii Auguſtini*, *Baronii*, *Labbæi*, diligentiam. Etenim *Labbæus* vetuſtiſſimi Codicis quaternionem unum alterumque vidit, & cum *Marca* & *Launojo* communicavit. Ab illo tempore magnopere atque vehementer expetiverunt librum Viri docti, ſed fruſtra, usque dum *Garnerius* huic labori manus admoveret, ut notam illam, & inſigni animorum contentione agitatam, de *Honorio* controverſiam componeret. Codice *Garnerius* uſus eſt optimæ notæ, & qui pæne nongentorum annorum ætatem tulit. Hunc Codicem ſub imperio *Gregorii II* paulo poſt annum 714 collectum fuiſſe, formulasque in hoc libro diurno comprehenſas usque ad Seculi noni primordia vim ſuam obtinuiſſe, non infeliciter ſuſpicatur *Garnerius*. In emendandis corrigendisque librarii, quibus Codex turpiter ſcatebat, erroribus ſingularem cautionem adhibuit, illosque non aliunde, quam ex libris, unde formulæ iſtæ deſumtæ ſunt, præſertim ex Regeſto *Gregorii M.* aliorumque Pontificum Epiſtolis, emendavit, nihilque non ſtudii collocavit, ut quam nitidiſſime prodiret liber. Præcipue meliori ordini, quem mirifice perturbatum invenerat, conſuluit, & in ſeptem Capita partitus eſt Opus. *Cap. I indiculum ſcribendarum Epiſtolarum* complectitur. *Cap. II & III ordinationem ſummi Pontificis & Epiſcopi ſuburbicarii* recenſet. *Cap. IV de uſu pallii* agit. *Cap. V de præceptis ſummi Pontificis ad Epiſcopos ſuæ ordinationis, de ſacris locis, & Sanctorum reliquiis*, pertractat. *Cap. VI, quomodo res eccleſiæ procurandæ & alienandæ ſint*, exponit. *Cap. VII diverſa privilegia Apoſtolicæ autoritatis, conceſſa Monaſteriis, Diaconis, & Xenodochiis*, commemorat. In fine hujus Operis comparent tres Diſſertationes *Garnerii*, in quibus illa, quæ in notis *Cap. I, II, & III*, attulerat, ſupplentur, emendantur, corriguntur, ulteriusque illuſtrantur. Excipit hunc *Auguſtini*, *Patritii Piccolominei*, *Epiſcopi Pientini*, *Liber ſacrarum cerimoniarum, quibus Pontifices Romani utuntur*, qui

Digitized by Google

tres libros continet. In *Lib. I Sect. I, II, & III, de conclavi, electione, ordinatione, & conſecratione Pontificis, & convivio ſolenni Pontificis cum Cardinalibus & Prælatis; Sect. IV de cerimoniis, ſi Pontifex extra urbem coronatur; Sect. V de adventu & coronatione Imperatoris; Sect. VI de canonizatione unius Sancti; Sect. VII de pluribus Benedictionibus; Sect. VIII de Cardinalibus; Sect. IX de Conſiſtorio; Sect. X de Abbatibus; Sect. XI de publicationibus ſolennibus; Sect. XII de ritibus Pontificiis equitandi per urbem, & itinera capeſſendi; Sect. XIII de receptione Principum Romam venientium; Sect. XIV de Concilio; Sect. XV de morte & exequiis Cardinalium & Pontificum,* diſſeritur. *Liber II Sect. I & II feſtorum & dierum Dominicorum hiſtoriam & res gerendas* narrat. *Liber III Sect. I varia reverentiæ genera; Sect. II ordinem ſedendi,* & *officia Clericorum in capella; Sect. III habitum Pontificis, Cardinalium, & Prælatorum; Sect. IV rationem ſermonem habendi in capella; Sect. V ceteras cerimonias*, deſcribit. Multa occurrunt in his duobus Libris memoratu digna, ex quibus pauca ex Libro diurno Pontificum Romanorum annotabimus. Olim Pontifices, quoties literas dabant ad Principes, Domini nomine eos ſalu-
Pag. 27. tabant, a qua laudatiſſima conſuetudine iterum Seculo IX receſſerunt. Vacante ſede Apoſtolica, ſumma rerum gerendarum poteſtas antiquis temporibus penes Archipresbyterum,
48. Archidiaconum, & Primicerium Notariorum, fuit. Singulari Privilegio olim uſus fuit Epiſcopus Oſtienſis. Antequam e-
121. nim ulli Epiſcopi in numero Cardinalium eſſent, Epiſcopus Oſtienſis novum Pontificem conſecravit. Mos vetuſtis temporibus Romæ obtinuit, ut Pontifex ſingulis annis, Epiſcopatus ſui natali die, Epiſcopos ſedi Apoſtolicæ ſubjectos Romam convocaret, in eorum conſeſſu Deo ob electionem ſuam demiſſiſſimas gratias perſolveret, ea, quæ diſciplina eccleſiaſtica exigeret, confirmaret, & viciſſim Epiſcopi obſequium ſuum ipſi teſtificarentur. Quid? quod nemo quisquam, niſi qui literis morbum vel ſenectutem ſuam docuerat, & veniam a
165. Pontifice impetraverat, a ſolennibus illis Comitiis abeſſe poterat. Singularis eſt ingenuitatis, qua Pontifex, quem *Gregorium*

Digitized by Google

rium M. fuiſſe, veroſimile videtur, aliquem in libertatem vindicat, formula. *Cumulo* enim *libertatis largito, ab omni ſervili fortuna & conditione liberum eſſe cenſet, civem Romanum, ſolutum ab omni ſubjectionis noxa, decernit, nec aliud cunctis debere, declarat, niſi ſolam ſalutationem, perfecto, abſolutus ab omni ſervili jugo, ritu poſſit degere*, qua formula omnia ingenuitatis jura comprehenduntur. Bullæ Pontificum nondum coronatorum ab una tantum parte, illa nimirum, ubi ſunt capita Apoſtolorum, imprimuntur. Accedit Faſciculus ſcriptorum, quæ hiſtoriam curiæ Romanæ, inprimis controverſias de cerimonias ortas, apprime illuſtrant. Quo pertinent *I hiſtorica narratio litis cum Legato Cæſareo, Principe Eggenbergio, ob neglectos quosdam honores ortæ; II Incerti Autoris de Prætenſionibus Principis Eggenbergii, Legati Cæſarei, Opuſculum; III Relatio de controverſia cum Principe Eggenbergio orta, annexo judicio Autoris; IV Informatio, porrecta Clementi VIII de juſtis cauſis obtinendæ diſpenſationis matrimonii, contracti inter Principem Lotharingiæ Catholicum, & Catharinam, Franciæ Regis Chriſtianiſſimi ſororem hæreticam.* Præmiſit huic Tomo Illuſtris Editor, nunc eheu! non amplius in vivis, doctiſſimam, & vaſtæ diffuſæque eruditionis pleniſſimam, *de libris cerimoniarum & rituum eccleſiæ & curiæ Romanæ, illorumque uſu & autoritate, nec non utilitate ex illorum lectione capienda,* Diſſertationem. Pag. 298.

EXERCITATIONE PHYSICO-MEDICA virtutem Camphoræ refrigerantem, ac internis corporis humani incendiis reſtinguendis aptiſſimam, ediſſerit, atque ex genuinis artis principiis adſtruit, D. BALTHASAR LUDOVICUS TRALLES, Medicus Vratislavienſis. Comitatur Opuſculum Præfatio D. FRIDERICI HOFFMANNI, Com. Pal. Cæſ. Conſiliarii & Archiatri Regii, Academiæ Halenſis Senioris, cetera.

Vratislaviæ & Lipſiæ, apud Michaelem Hubertum, 1734. 8. Plag. 13.

Digitized by Google

Qui ſua luce radiat libellus, & dicendorum ordine, & ſermonis elegantia, conſpicuus, eo majorem famæ acceſſionem acquirit, quo magis in gloriam cedit, Principis Medici nomen in fronte gerere, ejusdemque celebritatem partiri. Neque vero male reſpondet fiduciæ Præceptoris Diſcipulus, qui, ex magiſtri mente diſſerens, ejusdemque principiis fortiter innixus, præfaminis honorem abunde anniſus eſt promereri. Quo certiorem faceret rerum ab Autore exhibendarum fiduciam Cel. *Hoffmannus*, Camphoræ, cujus virtus, ſicut aliorum quamplurium medicamentorum, incerta eſt dubiæque indolis, declarationem præmittit, ſuccum iſtum vegetabilem nec reſinam, nec ſal oleoſum volatile, ſed oleum inſpiſſatum, deſtillato ſimile, eſſe pronuntiat, quamvis negandum non ſit, varias utrinque intercedere diſcrepantias. Neque enim, prout fieri ſolet cum oleis deſtillatis, camphoræ oleum ſpiritum Nitri fumantem inflammat, neque eadem camphora virtutem iſtam oleorum æthereorum poſſidet, qua ſanguinem ad æſtum concitant, quin potius contrarium obſervatur, ita, ut vis refrigerandi camphoræ extra omne dubium poſita ſit. Huic argumento natales ſuos debet Opuſculum prorſus elegans, quod refrigerantem Camphoræ virtutem prædicat. Camphora eidem non reſina eſt, ſed oleum vegetabile ſpiſſius, quale, artificio naturam æmulante, ex omnibus aromaticis plantis præparare docet *Neumannus*. Hujus concreti miræ prorſus exiſtunt virtutes, alexipharmacæ expellentes, malignis febribus accommodatæ, quibus utrum vomitoria poſſint debeantque præmitti, quo Camphoratorum uſus illuſtrior eſſe poſſit, ſpinoſa proponi-
Pag. 39. tur quæſtio; inde & adſtringentes, tonicæ, emmenagogæ, & tantum non omnes. Cur intermitteret refrigerans eſſe remedium, quod Panacea eſt, & certiſſimum oppoſitæ etiam indolis morborum præſidium? Refrigerat adeoque Camphora, quicquid ab inflammabilitate, volatilitate, vi expellendi, quæ nulli refrigerantium competit, in contrarium afferri poſſit, ſuadente refringerantem virtutem ſenſu frigoris circa præcordia poſt aſſumtam Camphoram, pulſu non increbreſcente, nec urina tincturam accipiente poſt ejusdem uſum. Cumque neceſſarium

rium duxerit, magnorum in arte Virorum diſcrepantes inter ſe de hoc negotio ſententias quodammodo conciliare, limitat, relatione diverſa ad cauſas morbificas Camphoram modo calefacere, modo etiam refrigerare poſſe, quæ ut clariora fieri poſſint, abſolutas nullas eſſe medicamentorum virtutes, ſed omnes relativas, aſſerit, habiturus fortiora allegatis cauſæ ſuæ adminicula, quo eludere poſſit quorundam ſatis efficaces de cathegorico quorundam remediorum effectu objectiones, e. g. Cantharidum, Antimonii ſalibus detonati, purgantium draſticorum, Narcoticorum, quæ omnia, quamvis doſi imminuta aliquid virium amittant, qualitatem tamen ſpiculorum prorſus eandem obtinent. Reliqua de indole remediorum, inflammationibus & æſtui oppoſitorum, adeoque ipſius Camphoræ, ad mentem Mechanicorum ſtudioſe & feliciter exponuntur.

GUILIELMI JACOBI S' GRAVESANDE Orationes tres; prima de Matheſeos in omnibus ſcientiis, præcipue in Phyſicis, uſu, nec non de Aſtronomiæ perfectione ex Phyſica haurienda: habita Leidæ in Auditorio majore, cum ordinariam Aſtronomiæ & Matheſeos Profeſſionem in alma Academia Batava, ex Illuſtriſſ. Curatorum & Conſulum decreto, auſpicaretur, X Cal. Julii A. 1717, editio ſecunda; altera de evidentia, recitata VI Id. Febr. A. 1724, cum Rectoris munere abiret; tertia de vera & nunquam vituperata Philoſophia, dicta, cum Aſtronomiæ & Matheſeos Profeſſioni adjuncta Philoſophica ipſi fuiſſet, VII Cal. Octobr. A. 1734.

Lugduni Bat. apud Samuelem Luchtmans, 1734, 4.
Plag. 13.

Quicunque æqui rerum æſtimatores non volumine, ſed pondere contentorum, eruditos ingeniorum fœtus dijudicant, inventuri ſunt, de quo gratulari Cel. Autori de Triade

de hac Orationum, in publicum emanante, poſſint. Dubium futurum eſt Lecturis, majorne ſit ſermonis elegantia, an argumentorum ſelectus magis exquiſitus. Prima neceſſitatem Matheſeos, quæ veritatis ſenſum indubitatum omnibus effectura eſt, imperat ſcientiis, ſi quæ demonſtrationibus nituntur, & ad perſuaſionis gloriam adſpirant, aut ſi viſibilem & prorſus pragmaticum in Republica vel œconomia finem intendunt. Ampliſſimus futurus erat exſpatiandi campus Oratori, qui, quo ſuccincte & graviter peroraret, Aſtronomiam a Phyſica mathematica auxilia poſcentem inducit. Nec alio quidem argumento fortius pro nobilitate mentis noſtræ pugnatur, quam illo, quo clarum eſt, ad impoſſibilitatem errandi non adſpiraſſe tantum, ſed & perveniſſe, ſapientes, qui aſtra metiuntur, temporum minutias calculo ducunt, & ad divinitatis viciniam hoc ipſo quam proxime accedunt. Ea eſt tum veritatis in genere, tum hujus, evidentia, ut cognatam judicandi de convenientia idearum aptitudinem ejuraſſe videatur, qui neceſſitatem veridicam, quæ cuique probe emuncto homini ineſt, negare ſuſtineat. Regulæ ſunt, quibus ratiocinia inſtituimus, quæ non vera eſſe, ſic impoſſibile eſt, quam abſurdum futurum erat, ideas *quatuor* & *quinque* ad *ideas novem* conſpiraturas, denegare velle. Atque in hoc imperii limite amicas ſibi manus porrigunt Logica & Matheſis, quarum ſi quæ eſt differentia, ea futura eſt, quod altera doceat, altera applicet, atque hoc ipſo parentem ſuam dignitate longe exſuperet, quod diſtinctiſſimos ſimpliciſſimosque, quales in alia demonſtrabili ſcientia vix exiſtunt, conceptus, *de quantitate* puta, excitet. Verum enim vero & hujus ſcientiæ, ſua evidentia ſuperbientis, quidam eſt modus, ſunt quidam limites, quos ultra notiones nobis familiares, & ad conceptum de quantitate tendentes, extendere aliquis non niſi cum manifeſto erroris periculo auſit. Sufficit, eo usque humanitatis terminos egredi Matheſin, ut, quibus regulis Creator hoc univerſum adſtrinxerit, jam cognitum ſit & penitus perſpectum. Neque enim in alia diſciplina, quam, quæ conjunctiſſimæ ſunt, Phyſica & Aſtronomia, clarius apparet, *quousque vis humani ingenii pervenerit.* Quod ſi qui

Digitized by Google

ſi qui futuri ſunt, qui *hypotheſes*, ſententias illas, quas veras eſſe optant quidam potius, quam probant, demonſtrationibus præferre audeant, næ illi Matheſeos ſpurii ſunt, non legitimi, filii. Actiones planetarum in ſeſe mutuæ, ab *Hallejo* aliisque definitæ, & ex gravitatum calculo comprobatæ, inſignem ſententiæ huic lucem fœnerantur. Cognatæ eſt, quam altera Oratio declaratam efficit, materiæ: Evidentia methodi illius in demonſtrando, quæ ignorandi aut dubitandi & contradicendi pertinaciam exturbat, ad quam equidem certitudinis felicitatem omnes adſpirant, qui de ſenſibilibus diſceptare ſolent notionibus diſciplinæ, paucæ vero perveniunt, unica Matheſi, aut ſi quæ aliæ hac duce utuntur, exiſtentibus, quæ de iſto honoris genere gloriari poſſint. Sed longiſſime a virtute demonſtrandi abeſſe videntur, ſi qui conceptus a quantitate & menſura remotos mathematicis artificiis declarare allaborant. Datur enim evidentia a mathematica remota, quales ſunt hiſtoricæ & morales certitudines, quæ ſcilicet mathematicam evincendi methodum prorſus eludunt. Utraque evidentia moralis, quæ eloquentiæ, mathematica, quæ demonſtrationis, res eſt, quamvis & methodo & fine, quem intendunt, diverſiſſimæ a ſe invicem habeantur, in eo tamen conſpirant, quod veritatis geneſis utrinque diverſis ætatibus fiat, progrediatur, adoleſcat. Idearum enim perceptio, ſenſu perpolito contingens, earundem legitima combinatio, pro cognoſcenda vel convenientia vel diſconvenientia rerum facta, denique ad propoſitionum & concluſionum, quibus ad ſciendum inducimur, evidentiam collineant. Interim mixta quædam eſt ex evidentia mathematica & morali veritas, qualem Aſtronomia exercet, quandoquidem ea non tantum ex claris & perſpicuis, ſed & ex hypotheſi, ratiocinatur. Æqualia utrinque officia exhibet ratiocinandi methodus, Logicam puta, quæ regulas idearum inter ſe comparandarum, & a ſimplicioribus ideis ad magis compoſitas progrediendi, ſubminiſtrat, imo Mathematica ab ipſa Logica non niſi objecto differt, quandoquidem hæc circa objecta ipſa eorundemque quantitatem, menſuram, pondus, tempus, illa vero circa ideas, verſatur, quæ ſi transſcendentales factæ fuerint, Ontologiæ metaphyſicæ terminos attingunt.

Ex

Ex iſta Mathematices cum intellectualium ſcientia affinitate non parum certitudinis ad ſcientias redundat, quæ quantitate conſiderationis ſuæ objectum non agnoſcunt. Neque enim vel Pnevmatologia, vel Ethica, hiſce demonſtrandi artificiis prorſus deſtituitur. Cum enim omnia ad idearum legitimum examen redeant, nulla autem vel ſimpliciſſima nobis viſa ſit, quæ non denuo in partes, qui conceptus eſt quantitatis, ſecari ingenioſe poſſint, vel hoc unico ſatis ſuperque clarum eſt, vaſtiſſimos eſſe Imperii Mathematicorum terminos, omnibus ſcilicet ſcientiis affines. Convenientiam ſane idearum inter ſe, etiamſi ipſam divinitatem tangant, mens, qua Mathematices perita eſt, declarat. In omnibus enim ſcientiis, maxime vero Phyſica, magna intercedit diverſitas inter moralem evidentiam, *dari phænomena*, *dari motus*, & mathematicam, quæ cauſas latebris ſuis extrahit, & agendi neceſſitatem emetitur, quam ſciendi evidentiam ſi qui audacter negant, næ illi ad inſipidas Scepticorum ſcholas quam proxime accedunt, qui ignorantiam impoſſibilitate recte ſciendi, quæ omnibus rebus inſit, excuſant. Quodſi quis, evidentiæ felicitatem indeptus, mentis vires exercitatiſſimas artificio concludendi reddiderit, hoc ipſo Philoſophum nunquam vituperandum ſeſe exhibebit. Hæc eſt illa vera & nunquam vituperata Philoſophia, quam tertia Cel. *Graveſandi* Oratio deſiderio digniſſimam pronuntiat. Si quæ Philoſophia veritatis nimiam & prorſus immodeſtam habet fiduciam, ita, ut de principatu cum oppoſitis ſententiis contendere auſit, hoc ipſo ſuſpectam ſui fidem reddit. Eſt quædam rerum volubilitas, qua florentiſſimæ, eædemque antiquiſſimæ, ſcholæ, ſuo tempore pro inexpugnabilibus habitæ, faſtigio ſuo deciderunt. Hiſce fatis expugnata fuerunt *Pythagoræ*, *Socratis*, & Stoicorum, placita, quamvis ſpecie veritatis ita non careant, ut haud raro carioſa ſententiarum fragmenta in ornamentum ſectarum noſtræ ætatis ex antiquiſſimis iſtis latebris in lucem denuo extrahantur. Neque vero in ſentiendo, ſed & in dicendo, quandam convenit eſſe modeſtiam, cum linguæ lubricitas, &, quæ deficientem ſcientiam ſupplere quandoque ſolet, loquacitas, tumidum Philoſophum a pudore

male

Digitized by Google

male defenſæ ſententiæ immunem præſtare neutiquam poſſit, adeo, ut, quos optime dixiſſe conſtat Sophiſtas, ſed peſſimorum morum doctores, & juventutis corruptores, haud raro publica caſtigatio & exilium conſcios effecerit gloriæ ſuæ. Verum per omnes ætates adeo male ſibi conſtitit deſideratiſſima veritas, ut novæ ſcholæ ortus antiquioris fere ſemper fuerit excidium, continua fere mutationum ſerie, donec, qui Matheſin, fallere neſciam, ſe profiteri gloriantur Mathematici dicti, ſtabiliori ſententia imperium ſuffulcire anniſi ſunt, quorum tamen celebria facta, magno hiatu celebrata, inanitatis vitio non prorſus deſtituuntur. Definitiones, Axiomata, Poſtulata, Theoremata, tot machinæ ſunt, quibus ignorantiæ caſtra ſubruere allaborant, neque quidpiam magis in ore eſt, quam Pæan iſte, *id quod erat demonſtrandum*, quem haud raro ante victoriam canunt, maxime ſi de rebus omnes conceptus mathematicos eludentibus ſermo ſit, ut ſi Deum definire audeant, quod ſit *ſphara intelligibilis, cujus centrum ubique eſt, & circumferentia nullibi.* Alio ſane, eodemque magis evidenti, ſigno philoſophantium vituperia cognoſci nequeunt, quam diſſentiendi & innovandi libidine, qua omnem Philoſophiæ utilitatem evertunt. Ea tantum eſt vera & non vituperata Philoſophia, quæ ſocietatis commodum viſibili & indubio effectu evehit atque adauget, in qua theſi ſtabilienda Celeberrimus Autor & Philoſophum ſe exhibet & Oratorem.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE DES Sciences A. MDCCXXV.

h. e.

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENtiarum A. 1725, una cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis ejusdem Anni.

Pariſiis, e typographia Regia, 1727, 4.

Alph. 2 plag. 19, Tabb. æn. 14.

Inter obſervationes phyſicas generales hæc extat: d. 13 Julii, circa 3 lunæ, ad portum Villæ Flaminiæ in Normannia, ex oppoſito Inſularum Grenezejæ, motus maris extraordinarius ſentiebatur ad hæc littora, & in toto ſinu trium leucarum

 latitu-

Digitized by Google

latitudinis, a Villa Flaminia usque ad Jobour. Regnante malacia, ventoque debili libonoto, (*Sud-Sud-Weſt*) mare cœperat elevari hora 3 p. m. In hiſce vero oris, ac talibus fluxibus, ad 10 pedum altitudinem adſcendit. Quinque jam pedes creverat, horas inter 6 & 7, cum uno quaſi momento hiſce fere 5 pedibus reſultabat, & in ſpatio octava horæ parte minore, non modo ad horum 5, ſed & ad 10, pedum ultra altitudinem aſſurgebat, ita, ut 5 pedibus excederet maximam, quam tunc temporis habere debebat, altitudinem. Altera octava horæ parte iterum decreſcebat ad 5 iſtos pedes, quibus elevabatur motu irregulari incipiente. Tandem hora ſeptima pergebat ordinarie ſcandere horis circiter 2 & dimidia, & nil præter ordinem obſervabatur nec in fluxu, nec in refluxu, nec hoc, nec ſequentibus diebus. Aſſeritur, hujus motus nil extitiſſe, nec Caroburgi (*Cherbourg*) 9 vel 10 leucis per mare ad dextram Villæ Flaminiæ nec Cartereto 6 leucis ad ſiniſtram, immo nec Rozeliis non niſi 3 leucis diſtanti. Ejusdem fere naturæ hoc eſt phænomenon cum iſto, quod d. 29 Junii, 14 diebus ante, Maſſiliæ obſervatum, tot anſam præbuit ſcriptis. Poſſetne cauſa aſſignari generalis, e. g. venti longo tempore ex uno rhumbo flantes, ac mare littora verſus propulſantes, elevantesque, quibus vero ceſſantibus, ventis contrariis impeditis, mare neceſſario uno momento quaſi caderet ad ſuam ordinariam altitudinem? In moletrina Foulonii (*Foulon*), urbis Uticæ, Languedociæ inferioris, multi panni levioris texturæ, (*Serge blanche d'Alais*) ſibi incumbentes, 12 vel 15 diebus excandeſcebant, ſine igne tamen & fumo, ſex omnium inferiores fundebantur quaſi, exhibentes maſſam nigram, friabilem, lucidam, cornu uſtum redolentem, ad ignem liquefientem, & ad candelam ignem concipientem. Horum ſex tres priores perfecte carbonem, vel bituminis referebant ſpeciem, nil plane panni formæ retinentes, ſed in 3 poſterioribus ſtratorum, imo & filorum, agnoſcebatur ordo. Altitudo pluviæ A. 1724 Pariſiis erat 12 d. 4 lin. minima thermometri altitudo 28 partium 26 Nov. maxima 82 partium 1 Septembris. Barometri maxima elevatio 28 d 4 lin. ſeptem primis Januarii diebus, minima 26 d 4 lin. ½ decimo nono Decembris. Declinatio acus magneticæ obſer-

obſervata 9 Novembris A. 1724 & 3 Januarii A. 1725 acu 4 digitorum, 13″; ſtationaria ergo jam ex 16 Oct. A. 1720.

In Anatomia *Petit*, Chirurgus, novum epiploo aſſignat uſum, quo impedit, ne motus muſculorum abdominis irregularis evadat, nunc pleno, nunc vacuo ventre & inteſtinis. Occupat epiploon ex hujus ſententia loca vacua, derelinquit plena, ac proin totum abdomen & inteſtina in eodem circiter continet volumine. *Petit*, Medicus, de cataracta Diſſertationem inſeruit, ubi, *Heiſtero* meritas tribuens laudes, *Celſi* operationem reliquis præferre videtur. *Senac* aqua ſubmerſos ſolo aeris defectu mori aſſerit. Cur vero tument, hanc qui ſubiere mortem? In corpore vivente aer compreſſus eſt, & aere externo, & tono partium. In cadaveribus, ceſſante tono, prima tantum ſubſiſtit cauſa. Partes omnes aqua madentes laxatæ, aerem non amplius continere valent, qui proin eo dilatatur, quo externus id permittit. *Senac* hinc nova coſmetica ſexui fœminino proponit; quis credat? Tonus faciei juvenis nivea lilia tenſione cutis, & puniceas roſas plenitudine vaſorum ſanguineorum, producit. Impediatur ergo in facie transſpiratio, hinc felix orietur in vaſis capillaribus lymphæ & ſanguinis obſtructio, ac cutis ſemper extenſa. En, quale roſæ fulgent inter tua lilia miſta, nullæ rugæ, quid amplius optandum? oleo vero transſpirationem impediente, vultus eo illiniendus, ac media tantum applicanda, quorum baſis oleum. In Anglia obſervarant, hominis longitudinem die diminui, nocte adaugeri. Sed Abbas *de Fontenu*, A. R. Inſcriptionum, detexit, poſt prandium & cœnam nos ſemper creſcere, vaſibus novo perpetuo accedente ſucco nutritio magis magisque extenſis, donec repetitis circulationibus ad transſpirationem usque attenuatus humor, avolando, iterum diminutionem aliquam corporis cauſetur. Inſeruntur *Winsloi* Diſſertationes duæ de circulatione ſanguinis in fœtu, ubi *de Vieuſſens*, *Meri*, *Roubault*, diſputationes de hac circulatione, foramine ovali, & valvula *Euſtachii*, penſitantur, re tamen adhuc in dubio relicta. *Sarrazin*, Medicus Regis, Kebeci de mure muſcato multa transmiſit annotata, ac anatomicam ejus inſpectionem attente peregit, magno tamen incommodo, bis nimi-

Digitized by Google

rum ad extrema fere redactus nimio animalis odore, qui a pauciſſimis, ejus anatomiam ſcrutantibus, absque detrimento fertur. Multa huic animali cum caſtore ſunt communia. Pondus ejus 3 circiter librarum. *Sarrazin* certe perſuaſum ſibi habuit, odorem animalis muſcatum non deberi niſi calamo aromatico, quo utplurimum veſcitur, quodque hinc probabilius adhuc ſit, quoniam muris odor hyemis fine multo eſt fortior, ſiquidem tunc fere ſolo hoc vixit calamo, quam quidem æſtate & autumno, ubi & aliis herbis nutritur. Hoc huic animali eſt proprium, quod organa ejus, generationi inſervientia, poſt tempora œſtri venerei attenuentur, teſticuli, epididymides, veſiculæ ſeminales, vaſa deferentia, & ipſi folliculi, retrahantur, adhæreant propemodum renibus, & inſenſibilia fere reddantur, quod omnino prorſus eſt ſingulare. In Obſervationibus Anatomicis duo vulnera veſicæ non lethalia adducuntur.

In Chymicis *Reaumur* multum circa ferrum ſtanno illitum (*fer blanc*), ac *Geoffroy* circa cœruleum Berolinenſe, laborarunt. Hic tria requirit ad hunc colorem; lixivium ſanguinis bovini calcinati cum ſale alcali, diſſolutionem vitrioli, & diſſolutionem aluminis. Subſtituit tamen in locum ſanguinis carbones. *Geoffroy* junior in metallum, cupro ac zinco mixtis, productum, (*Metal de Prince*, nunc *Tombac*,) inquirit. *Fizes* enarrat, qua ratione cryſtalli tartari præparentur depurenturve Montiſpeſſulani.

In Botanicis articulus A. 1722 jam tractatus confirmatur, de arbore in America ſeptentrionali cerifera. Arbor hæc, vel potius frutex, floret menſibus Februario & Martio, & grana matura ſunt ab Octobre in Januarium, habent in medio nucleum oſſeum, rotundum ſatis, ſemen continentem. Nucleus vero hic circumdatus eſt cera, implente totum granum vel fructum, lucida, ſicca, friabili, & ſquamarum inſtar diſpoſita in cortice nuclei. Frutex, fructibus bene onuſtus, 6 fructuum libras, libra vero una quartam partem ceræ, ſubminiſtrat.

In Geometria ſolvit *Nicole Leibnitii* problema, Anglis propoſitum: Quærere curvam, ſecantem ad angulos rectos curvas datas numero infinitas, quibus omnibus

bus idem ſit vertex. Æquatio hujus curvæ eſt $\frac{x\,dy - y\,dx}{y^{\frac{1}{m}}}$ ſed in determinatis mixtis non ſatis clara; hinc tandem ad *Bernoullii* æquationem pervenitur $S \frac{a^{\frac{1}{m}}\,dy}{y^{\frac{1}{m}}\sqrt{a^{\frac{2}{m}} - y^{\frac{2}{m}}}} = \frac{b}{b^{\frac{1}{m}}}$ *Mairan* de inſcriptione Cubi in Octaedrum, & vice verſa, contra *Lamy Elem. geom. Lib. V n. 184 & 185* diſputat, ac in fine diſſertationis monſtrat, eſſe diſtantiam laterum Octaedri, aut altitudinem ejusdem poſiti in uno laterum, ad diagonalem, ut latus cubi ad diagonalem, quæ jungit hujus angulos duos oppoſitos ſolidos. *Lagny* novam Goniometriam, cujus jam mentio facta A. 1724, amplius exaravit, ſpes tamen nondum affulget, fore, ut, rejectis tabulis trigonometricis, ejus introducantur inventa. *Nicole* monſtrat, ſi ad quodvis trianguli cujuscunque latus fiat quadratum, ac hæc tria quadrata jungantur, trium hinc exorientium triangulorum quodvis eſſe æquale triangulo primario dato. *Pitot* vero evincit, in polygonis irregularibus circulo circumſcriptis eſſe ſummam dimidiam laterum alternatim ſumtorum æqualem ſummæ alterius dimidii. *Saurin*, occaſione loci e *Crouſaz* Commentario ad analyſin, obſervationes circa maxima & minima exhibet.

In Aſtronomia cometæ annorum 1707 & 1723 pro eodem, ſpatio 16 annorum redeunte, habentur, & a *Caſſino* omnis movetur lapis, quo theoria cometarum, circa ſolem ut focum revolventium, in dies magis ſtabiliatur, remque eo deducat, quo cometæ in æquali celeritate moti, eclipticam non in eodem puncto, nec æquali inclinationis angulo, ſecantes, tamen iidem poſſint eſſe cometæ. Iſtud enim non accidere debet, niſi cometis eodem anni die obſervatis. Hinc cometa in loco cœli apparere prorſus alterius cometæ loco oppoſito, & tamen

 cum

cum eodem unus poteſt eſſe idemve. Valde probabilia ſunt, quæ, *Caſſini*, magni parentis, veſtigia æquis fere premens paſſibus, adducit. *De Fay* machinam deſcribit, pro determinanda hora ſolari vera ſingulis anni diebus, in qua Diſſertatione, præter ipſam machinæ deſcriptionem, & nonnullorum artificum labores, in eundem ſcopum intendentium, enarrantur.

In Geographia *de L'Isle* ſenior Lutetias magnitudine Londinum, Romam, Cairum, Aſpahanum, Conſtantinopolim, Ninivam, Babylonem, Ecbatanum, & Suſam, excedere vult, ad id tamen efficiendum opus habet, ut hortos omnes, muris quanquam certiſſime incluſos, his urbibus detrahat.

In Mechanica *de Fay Leupoldi* noſtri machinam pro exſtinguendis incendiis imitatur. *Pitot* autem determinat vim omnium machinarum aqua motarum, ac cum *Mariotto* concludit, ut vis pulſus venti ſit æqualis pulſui aquæ, requiri celeritatem venti 24 celeriorem aeris velocitate. Hinc ſequitur, ſuppoſitis celeritatibus horum fluidorum æqualibus, vim pulſus aquæ 576 vicibus eſſe majorem aeris pulſu.

Inter Elogia *Petrus I*, Ruſſorum Imperator, primum exhibet exemplum Academici Principis, ac *Fontenellius* ut Panegyriſta, ut Hiſtoricus, ut Biographus, tanta ſuada, tanta eloquentia, Heroem laudavit, ut hoc elogium exempli loco haberi mereatur. Sed ex eo nil excerpemus, cum totum legi mereatur. *Alexis Littrius* natus d. 21 Julii A. 1658 Cordeſii in Albigenſi tractu, moriebatur d. 3 Februarii A. 1725 apoplexia. A. 1702 ſingularem caſum fœminæ gravidæ, ac per anum oſſa infantis mortui excernentis, inteſtino recto perforato, ægra ſumme debili, pure, ſanguine effluente feliciter tamen direxit, ac totum infantem, noviter inventis machinis diſcerptum, audaci fortuna extraxit. *Nicolaus Hartſœkerus*, Gudæ natus d. 26 Martii A. 1656, Phyſicæ inprimis addictus erat. Primus fuiſſe fertur, qui animalcula ſeminalia detexerit. Non ſilentio prætereundum eſt, *Petrum I* ex ore ejus hauſiſſe principia phyſica, Landgravium Caſſellanum eum acceſſiſſe domi ſuæ, & præcipue *Jo. Guilielmum*, Electorem Palatinum, ſuum conſtituiſſe Mathematicum primarium, & Profeſſorem honorarium in Academia Heidelbergenſi. Tentamina ejus phyſica, tentamina

Dioptri-

Digitized by Google

Dioptricæ, conjecturæ phyſicæ, & harum continuationes, elucidationes conjecturarum, & harum continuationes, curſus phyſicus, vel diſcurſus ſunt, coram Electore habiti, vel criticæ, eæque ut plurimum ſatis acerbæ, animadverſiones in *Newtonum, Leibnitium, Bernoullium*, Editores diariorum, ante omnia vero contra Academiam Pariſienſem. Singulares illi erant quædam meditationes; animas plaſticas, intelligentias, vorticesve Carteſii, reſtituere magno allaborabat niſu. Diem obiit 10 Dec. A. 1725.

A NEW SURVEY OF THE GLOBE &c.

h. e.

NOVUS CONSPECTUS GLOBI, SIVE accurata dimenſio omnium regnorum, ſtatuum, provinciarum, tum quod ad magnitudinem & proportionem, tum quod ad longitudinem, latitudinem, & diſtantiam, pertinet, cum collectione notabiliorum portuum, & annotationibus politicis de numero incolarum, &c. Autore THOMA TEMPLEMAN. Opus æri inciſum a JO. COTE.

Londini, ſumtibus Autoris, fol. transverſ.
Conſtat 8 foliis impreſſis, Tabulis æn. 35.

In Opere hoc poſthumo, perficiendæ Geographiæ deſtinato, id ſumma cum diligentia laboravit Autor, ut ſuccinctis Tabulis uno obtutu exhiberet regnorum & ſtatuum univerſorum partes ac provincias, earumque magnitudinem, milliaribus quadratis Anglicanis expreſſam, urbiumque præcipuarum nomina, longitudines, latitudines, & diſtantias a Londino vel alia metropoli. Subjecit cuilibet Tabulæ breves quasdam annotationes politicas, de rebus ad ſtatum quemque pertinentibus, & de probabili incolarum numero. Anglia complectitur milliaria quadrata 49. 450, Scotia, 27. 794, Hibernia 27. 457. Numerus incolarum in Anglia eſt circiter 8. 000. 000. Londinum continet 105. 000 domos, & 840. 000 incolas, circui-

circuitumque habet 35 milliarium. Res navalis Britannica tanta eſt, ut 1000. 000 doliis ferendis ſufficiat. Gallia comprehendit 131. 095 milliaria quadrata, & circiter 13. 000. 000 incolas: Hiſpania 150, 243 milliaria, & 5. 100. 000 incolas. Totus terrarum orbis conſtat milliaribus quadratis 148. 510, 627: maria & terræ incognitæ mill. 117. 843. 921: orbis habitabilis mill. 30. 666. 806: Europa mill. 2. 749. 349: Aſia mill. 10. 257. 487: Africa mill. 8. 506. 208: America ſeptentrionalis mill. 3. 699. 087: America auſtralis mill. 5. 454. 675. Imperium Perſicum ſub Dario complexum fuit milliaria quadr. 1. 650. 000: Imperium Romanum in ſummo flore, mill. 1. 610. 000. Præſens Imperium Ruſſicum continet milliaria quadr. 3. 303. 485: Chinenſe mill. 1. 749. 000: Magni Mogolis mill. 1. 116. 000: Turcicum mill. 960. 057: Perſicum mill. 800. 000. Curioſus etiam fuit Autor in diſtinguendis, interque ſe comparandis, provinciis Proteſtantium & Romano - Catholicorum. Sub finem vero collectionem adjecit omnium portuum in toto terrarum orbe, itemque locorum in Aſia, Africa, & America, in quibus Europæi ſedes ſuas & commercia ſtabiliverunt.

SYNTAGMA DE REBUS RUSTICIS ET œconomicis, ex mandato Sereniſſimi Celſiſſimique Principis ac Domini, ERNESTI AUGUSTI, Ducis Saxonum Vinarienſis &c. e potioribus rei ruſticæ æque ac aliis Scriptoribus, perpetuum in uſum Gymnaſii Vinarienſis, conſcriptum, & cum Indice quadripartito editum, a WOLFFGANGO ADOLPHO SCHROENIO, Ill. Gymnaſ. Vinar. Subconr.

Erfordiæ, ſumtibus Caroli Frid. Jungnicolii, 1735, 8. Alph. 1 plag. 7.

Ex quo inter eruditos tacito quodam conſenſu convenit, Latinæ inter ſe uti linguæ commercio, non defuere ingenia, quæ in illo inſtaurando pariter ac proferendo laudabilem ponerent induſtriam. Unicum iſtius rei adminiculum unicusque fons viſus

eſt

eſt uſus lectioque ſcriptorum, quos e Latinis olim injuria temporum ad noſtram ætatem reliquit ſuperſtites, poſteaquam cum Republica Romana & genus ſermonis inter gentes effloruit. Si quis norit, quæ cuique ſit linguæ ubertas & copia inſita, facile conceſſerit, ad integritatem ſermonis Latini permagni intereſſe, ſi quamplurimi, iique varii, nobis exhibeantur ſcriptores. Fallitur, qui, ex libris obviis, & uſu ſcholarum vulgo tritis, eandem ſe haurire poſſe copiam, temere opinatur; latior certe eſt ejus diffuſa ubertas, quam pro iſtorum anguſtiis. Optime hinc pro virili parte meruit de cultura Latinæ linguæ Cl. Editor hujus faſciculi, quem de re ruſtica ex veterum monumentis ſollicite collectum ſiſtit. Levior quidem querela videtur, quod agriculturæ ſcientia, prima ſecundum Dei notitiam, vulgo in ſcholis negligatur, ſed, aptam & pulchram certe eſſe, quivis intelliget, & de illa poſſe ſcite & copioſe ad exemplum veterum diſſeri. Huic omnino conſuluit rei Autor, cum ex Græcis paſſim & Latinis excerpſerit, quæ unquam de rebus agreſtibus agere viſa fuerint. Erant quidem *Cato*, *Varro*, *Columella*, *Palladius*, quibus proprium Scriptorum rei ruſticæ jam inde fuit nomen, imo, quos ſerior tulit ætas, extant *Petrus* quidam *de Creſcentiis* & *Heresbachius*, eandem rem nuperius peragentes. Sed, ſi ad ceteros referas, infrequens eorum eſt numerus. Hanc paucitatem expleri poſſe quodammodo, ratus eſt Autor, quodſi ex ceteris proxima quæque ac idonea excerpſiſſet. Invenies itaque in hoc volumine non ſolum, quæ *Cicero*, *Cæſar*, *Ovidius*, *Maro*, *Horatius*, & alii forſan, per occaſionem ſuis intertexuerunt ſcriptis de re ruſtica, ſed & ipſos Græcos, *Heſiodum*, *Xenophonta*, & *Theognida*, offendes delibatos, Latinaque donatos interpretatione. Si Lector aliquid forſan offenderet prætermiſſum, mirari vetatur, cum eam inſtituti Autor habuerit rationem, ne aut moles aut pretium libri majus excreſceret, quam pro parabili ſcholarum uſu. Haud ambigitur, multa, eaque lectu digniſſima, potuiſſe deſiderari; ſed non eſt, cur, ſubminiſtrando loca paſſim omiſſa, librum mancæ arguamus inopiæ, cum altera, quam ex promiſſione Autoris expectare licet, editio & huic deſiderio factura ſit ſatis. Interim labo-

Digitized by Google

rem hunc in tenui non tenuem mereri laudem, haud iniquus concedet æſtimator. Præter mandatum & auſpicia Sereniſſimi Principis Vinarienſis Opus ipſum commendat tum potior rerum locorumque ſelectio, tum vero ordo ac ſeries apte digeſta. Non ſolum ſuo quæque loco, quæ de variis rei ruſticæ momentis agunt, invenies ſcite diſpoſita, ſed & adjectus Index apprime voces exponit, quæ alias paululum viderentur abhorrentes. Neque e re Lectoris aut noſtro congruum erit inſtituto, ſi in recenſendo ſingulas partes longiores eſſemus; ſatis videtur, ſi præcipuarum rerum conſpectum dederimus & diſtributionem. Priore itaque Parte generatim agriculturam commendat, &, quæ ad ejus deſcriptionem faciunt, præmittit. Altera vero fuſius octonis ſpeciatim Sectionibus naturam villæ, agrorum, vineæ, piſcinarum, hortorum, plantarum, pecudis, piſcium, apum, & quæ ſunt alia domeſtica animantia, ex veterum præceptis exponit. Ceterum nec ipſe Editor negat, formam libri & mole & nitore aliquanto eſſe remiſſiorem; præſertim cum jam ſplendida illa *Geſneri* de Scriptoribus rei ruſticæ editio ſeorſim prodierit. Sed, quanquam multum ſplendore & dignitate hæc emineat, tamen nec illa laude ſua defraudanda eſt, cum præter variarum rerum ubertatem & pretio & uſui juventutis provide ſit conſultum.

EPISTOLÆ QUATUOR THEOLOGOmorales P: B. P. V. adverſus Diſſertatorem S. J. ſeu Cenſura quatuor Diſſertationum, quæ dictatæ fuerunt contra libellum Italice inſcriptum: Riſpoſta alla Lettera del P. PAULO SEGNERI, della Compagnia di Geſù, ſu la materia del Probabile. Accedit Italico ſermone Confutatio Epiſtolæ cujusdam Theologi, adverſus eandem Reſponſionem e clandeſtinis typis recens vulgatæ.

Veronæ, typis Dionyſii Ramanzini, 1734, 4.
Alph. 1 plag. 4.

Scri-

Digitized by Google

Scripſerat antehac P. *Paulus Segnerius*, Ignatianæ Sodalitati addictus, Epiſtolam de Probabilitate, in qua uſitatam Probabiliſtarum, ut vocantur, doctrinam acriter defendit, & novis, ut putavit, rationibus vallavit. Hanc poſtea convellendam ac diluendam ſumſit *Petrus Ballerinius*, Presbyter Veronenſis, in Reſponſione ad Epiſtolam P. *Pauli Segnerii* de Probabilitate, quam Italico ſermone elaboratam in lucem exire juſſit. Poſt id tempus multorum invaluit opinio, variis in locis eximii hujus Autoris vindicias paratum iri. Namque ex eadem Societate, quæ Veronæ floret, is, qui moralem Theologiam docet, eximii vir ingenii atque doctrinæ, illam Reſponſionem ad P. *Segnerium*, non quidem typis dando, ſed dictando tantum in ſcholis, quatuor Diſſertationibus impugnandam ſibi propoſuit: quarum prima *de Conſcientia erronea*, altera *de Conſcientia dubia*, tertia *de conſcientia probabili*, & quarta denique *de doctrinis Anonymi*, inſcripta eſt. Intra hoc temporis ſpatium multi impellere auſi ſunt *Ballerinium*, ut eas legeret Diſſertationes, & in iis ſecundum veritatem, refellendis calamum exerceret. Verum initio, id ut perficeret negotium, multis de cauſis adduci non potuit, quarum in numero hæc erat præcipua, quod ſecum conſtituerat, nihil in libelli ſui patrocinium chartis evulgare, niſi quis formis aliquid adverſus eundem molitus eſſet. Tum vero vicit ipſum, &, ut mutaret conſilium, induxit Amicus, cui multum tribuit. Atque ad eum etiam has quatuor, quarum indicem dedimus, exaravit Epiſtolas, & in lucem orbis ſacri & literati emiſit. Nec dubitavit has publicis typis committere, cum quatuor illæ Diſſertationes in publicis ſcholis dictatæ, & quadraginta circiter calamo exceptis exemplis ita per urbem circumlatæ fuerint, ac ſi publicis typis editæ eſſent. Præfatione *Ballerinius* præmiſſa, in qua propoſitum ſuum nuntiavit, ſingulas has Diſſertationes eo, quo eas recitavimus, ordine ſub judicium vocat. Ut quatuor exſtabant Diſſertationes ſibi oppoſitæ, ita ipſe in *quatuor*, quas vocat, *Epiſtolis* reſpondit, quæ Pag.
vero rectius *Diſſertationes eruditæ* appellantur. In his id ſibi 9 — 115.
cummaxime datum credidit Autor, ut & communes Probabiliſtarum

liſtarum errores, & ſingulares adverſarii ſui opiniones, ut, nimiam invincibilis ignorantiæ finium prolationem, propiorem ad doctrinam de peccato philoſophico acceſſionem, & alias, exponat ac diſſipet, ſuamque cum cura peroret cauſam. Atque hoc poſtremum in ultima potiſſimum agit Epiſtola, quam ſibi, ſub *Anonymi* voce, ex inſtituto oppoſitam intellexit.

Pag. 119. *Confutatio*, quæ ſubjungitur, Italice confecta, ad eum pertinet Autorem, qui ſe *Theologum* vocavit. Epiſtola nimirum aliqua Italica, ſine mentione loci & Autoris, nec non ſine ullo veſtigio cujusdam aut ſacræ, aut civilis, approbationis, clandeſtinis typis evulgata, *Ballerinii* venit in manus, quam rationes ſuas infirmare, ex ipſo perſpexit indice. Adverſus hanc igitur ſeſe tueri, conſultum ille duxit in hac ipſa, quam ſignificavimus, *confutatione*. Conſtat hæc, præmiſſo *Proœmio* & *tribus Capitibus*. In illo quidem ratio tractandi non nominati
12—153 Theologi minus Theologica vituperatur. Tum vero *Cap. I* conſequitur, in quo ea, quæ ipſam de probabilitate controver-
154—180. ſiam contingunt, convelluntur. In *Cap. II* id, quod ad
180—206. ignorantiam invincibilem ſpectat, diluitur. Et in *Cap. III*, eoque poſtremo, principia Theologiæ Moralis confutantur, & accuratius oſtenditur, quousque S. S. Patrum valere poſſit au-
186 §. 3. toritas. Qua oblata occaſione, Præfatio Cl. *Barbeyracii, Sam. Pufendorfii* libro de Jure Naturæ & Gentium præfixa, *erudita* vocatur, & in uſus præſentis argumenti convertitur. Ea etiam, quæ ex iſta illuſtris *Pufendorfii* pertractatione illuc pertinent, non negliguntur, hicque liber ejus *liber ſingularis doctrinæ moralis ſecundum ſolidiſſima naturalis ratiocinationis principia* dicitur. Accedunt ad quasdam paginas Addenda, &, iis, quæ hic uberius tractata ſunt, velut in tabula repræſentatis, eruditus explicit libellus, quem ſine interpoſito arbitrio judicioque noſtro in hæc *Acta* referre noſtrum erat.

THE REALITY AND AUTHORITY OF OUR Bleſſed Saviour's Miracles defended &c.

h. e.

VERI-

Digitized by

VERITAS AC AUTORITAS OPTIMI SERvatoris noſtri Miraculorum defenſa: ita, ut ad omnes, quæ alicujus momenti ſunt, dubitationes, adverſus illa motas, antiquas pariter atque recentiores, reſpondeatur, ab ALEXANDRO JEPHSON, A. B. V. D. M. Dagenhamenſi in Eſſexia.

Londini, apud J. Knapton & T. Aſtley, 1731, 8.
Plag. 15.

In Magna Britannia libertas ſentiendi tam late patet, ut, quicquid in buccam venit, chartis mandare, ac in orbis eruditi lucem edere, nemo vereatur. Hinc uſu evenit ſæpenumero, ut ſcripta exirent, quorum autores etiam ſacroſanctas res conturbare, & tantum non funditus evertere, moliti ſunt. Verum & hoc cultioris Angliæ veluti proprium eſt, ut viros ferat idoneos, qui inſidias, quas inſulſi homines cœleſti parant doctrinæ, ullo ſine negotio diſſipent. Illud, ut alios omittamus, vel unius *Thomæ Woolſtoni* erudimur exemplo, qui ante aliquot annos, hiſtoriis ſacris, in quibus res Domini geſtæ narrantur, allegoricum ſenſum adaptando, omnem earum veritatem in dubium vocavit, magnoque adeo conatu magnas egit nugas, quæ hodie proſcriptæ amandatæque ſunt. Hoc autem literatiſſimus *Jephſonus* indicata confirmat ſcriptione, utpote qua haud parum declarat luculenter, ſe ex iis unum, eundemque haud poſtremum, eſſe, qui in confutando *Woolſtono* cum cura & ſolertia elaborarunt. Nos in eo nunc erimus multi, ut ſummam libelli velut in tabula repræſentemus. Bina ſunt momenta, quæ in eo pertractantur. *Primo* veritas miraculorum a Servatore editorum adverſus potiores objectiones vindicatur. Ubi quidem ad eas initio reſpondetur, quæ ab iis profectæ ſunt, qui veritatem ac certitudinem ipſorum factorum aut in dubium vocarunt, aut negarunt. Ex horum erat Pag. 4–70.

numero *Woolſtonus*, cui hic potiſſimum obviam itur. His præfultis, objectiones illorum ſolvuntur, qui, etſi veritatem
Pag. rerum Chriſti geſtarum largiuntur, hoc tamen negant,
70 – 90. quod ex iis conſequi ſacræ nos docent hiſtoriæ, Salvatorem n[illegible]um *Legatum* ac *doctorem a Deo miſſum* eſſe, inde
90. cog[illegible] *Altero* loco tres utiles obſervationes ex antecedenti ſermone ducuntur, quæ veritatem & certam rationem Evangelicæ corroborant hiſtoriæ, in qua miracula Domini relata
92. leguntur. Prima: *quatuor Evangelia ab iis ſcripta ſunt,*
93. *quorum præ ſe ferunt nomina.* Secunda: *eadem ab iis ſcripta ſunt, qui oculis facta, quæ commemorant, uſurparunt,*
95. *teſteſque adeo ſunt αὐτόπται.* Tertia: *Apoſtoli atque hiſtorici divinitus acti tam robuſtam fidei ac ſinceritatis ſuæ dederunt demonſtrationem, ut nulla major & robuſtior in cauſam alius cujuscunque hiſtorici excitari poſſit.* Quod reliquum eſt, illud obſervatu inprimis dignum videtur, quod
106. *Jephſonus* noſter veram ac probatam lectionem loci *1 Tim. III, 16,* tueatur, nec minus meliori ejusdem patrocinetur interpretationi. Nec vero idem facere potuit, quin opinionem *Grotio-Clarckianam* hac oblata infirmaverit occaſione.

JUSTI MARTINI GLÆSENERI, HILdes. & in patria ad D. Andreæ Paſtoris, Diſſertatio de Demonſtratione Spiritus Sancti, Jeſum eſſe verum Meſſiam, ad illuſtrandum Jo. XVI, 8 – 11.

Helmeſtadii, typis Pauli Dieterici Schnorrii, 1733, 4.
Plag. 7½.

Inauguralis hæc fuit Commentatio, quæ haud indigna eſt elogio libelli ſingularis. Quod miniſtri eccleſiæ, exemplum Spiritus Sancti & mandatum ejusdem ſequentes, diligentiſſime præſtant in obeundis ſuis ſacris muniis, id hic nova ratione & copioſæ lectionis oſtenſo apparatu ingeritur. Quænam enim eſt ſumma, prima origo, & peſtis vitiorum humani generis?

neris? ea eſt pertinacia animi, fidei in Chriſto, ejusque naturæ, officiis & doctrinæ, detrectans. Hoc vitium Philoſophi non pertractant & ejiciunt. Vi divina opus eſt, ut ἀπιϛία eradicetur. In quonam homines, ſuæ indoli innatæ relicti, confidunt? In juſtitia operum ſuorum, excuſationibus, palliisque peccatorum, & reluctatione, in eam juſtitiam exercita & irruente, quam Chriſtus nobis peperit, inprimis abitu, in mortem ſubeundam promtiſſimo, & confirmavit triumphante in cœlos evectione. Excuſſa nativa hominis ἀπιϛία & juſtitiæ propriæ fiducia, homo ſeſe demittit, & Chriſtum ſuſcipit, juſtitiam ejus induit, & imperio Satanæ ſeſe ſubducit. Incrementum regni Chriſti ea ratione effloreſcit; Satanæ vero potentia frangitur, & enervatur. Hic eſt ille prodromus condemnationis, quam Deus intra eccleſiam militantem in cacodæmonem exercet, teſtem inſtantis judicii ſeverioris. Hæc eſt ſumma ejus doctrinæ, de qua Spiritus Sanctus per miniſterium verbi animos hominum erat convicturus. *Lutherus* vocem ἐλέγχειν convertit in vernaculam *ſtrafen*, quæ tum temporis convictionem animi, per argumenta laudum valida & vitiorum demonſtratam turpitudinem corrigendi, denotabat. Promiſit Autor *pag. 30* librum *pro ſtabilienda veritate Chriſtiana ex ſolis Judæorum libris.* Si ſæpius non vidimus rationem, cur varia paſſim ad eruditionis ſeſama ſpargenda ſint adjecta & compaginata, id ad diverſitatem guſtus videtur referendum. An libri, laudati copioſe, ad illuſtrationem dictorum admodum faciant, id Lector facile ſubodorabitur. Nonnunquam hiatus & omiſſiones vocum, ac neglectus monitorum *Thomæ Linacri*, occurrunt. Chriſtum in monte *Tabor* gloria cœleſti fuiſſe a patre concelebratum, id Autori non facile largientur ii, qui *Lightfooti* & *Relandi* opinionem cognoverunt. Sed hæc ſunt minoris momenti. Apprecamur potius Viro maxime Reverendo vires in poſterum, ut promiſſi publice dati fidem ſervare velit & poſſit, nec tanto promiſſor hiatu excidat.

HISTORIA APOSTOLICA, EX ANTIquis monumentis collecta ab ANTONIO SANDINI,

DINI, J. U. D. & in Seminario Patavino Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Geographiæ Lectore.

Patavii, apud Joannem Manfrè, 1731, 8.
Alph. 1.

Tradit Autor hiſtoriam Apoſtolicam, inter rogantem & reſpondentem diſciſſam, ita, ut loquatur de Apoſtolis Chriſti generatim atque univerſe, potiora deinde cujusque geſta ſingulatim enarret, ſubjungat deinde aliqua de *Joanne* Baptiſta, tum de duobus & ſeptuaginta diſcipulis, &, quoniam in horum numero Evangeliſtæ *Marcus* & *Lucas*, ſeptemque diaconi, ab aliquibus habentur, idcirco de his etiam pauca; addidit quoque *Titi* & *Timothei*, virorum Apoſtolicorum, vitam; ſed, cum nemo conſignaverit, præter *Lucam*, acta Apoſtolorum, plurima ſunt incognita, multa incerta. De Apoſtolis in univerſum deſcriptionem præmittit, alioqui notiſſimam: eorum nomina recenſet ex *Matth. X*, nectitque ex eo argumentum ad primatum *Petri* probandum, quod omnes Evangeliſtæ *Petrum* primo loco ponant, *Judam* poſtremo, reliquos non eodem ordine recitent. Refert eorum etiam ſententiam, qui, *Joannem* Baptiſtam, æterni Patris, duodecim viros collegii Apoſtolici, Filii, *Paulum* & *Barnabam*, Spiritus Sancti, Apoſtolos fuiſſe, crediderunt. Solum *Petrum* putat maritum fuiſſe, etſi vel maxime uxores reliqui duxerint, aſſumtos tamen in Apoſtolatum, reliquiſſe officium conjugale, teſte *Hieronymo* in *Commentario in Cap. I Gal.* quod ab ipſo *Baronio* ad annum 69 *Annalium* confirmetur. Apoſtolos creatos fuiſſe ſacerdotes eo tempore, quo celebrata cum ipſis agni paſchalis cœna; ſancto eychariſtiæ ſacramento inſtituto, eisdem præcepiſſe Chriſtum, ut tali modo ipſius memoriam celebrarent, &, confecta ſub utraque ſpecie eychariſtia, ſacrificium offerrent: id quod probat Tridentinæ Synodi teſtimonio, quæ aliter ſentientibus anathema inflixerit. Plura addit alia, quæ rigoroſum examen vix ſuſtinerent. Symbolum ab Apoſtolis compoſitum eſſe, credit, nec repugnat admodum, quin ſinguli ſingulos articulos Symboli pronuntiarint, autoritate inniſus *Baronii* in Annalibus.

Cano-

Canones & Conſtitutiones Apoſtolorum longe poſt illorum tempora prodiiſſe, concedit: Sacramentum confirmationis ab Apoſtolis adminiſtratum eſſe, ait, accedente uſu chriſmatis, nulla allata probatione idonea. Apoſtolorum nonnullos fœminas ſecum duxiſſe, docet, ut auxilio eſſent ad Chriſti doctrinam evulgandam, etiam iis in locis, ad quæ ſolis mulieribus aditus patebat. Deinceps agit de *Petro*, Apoſtolorum principe, cui imponit primatum, & epiſcopatum Romanum, annorum *XXV*, aliaque; de *Paulo*, cui uxorem abjudicat, ſtimulum carnis *1 Cor. XII*, 7, fuiſſe pravos concupiſcentiæ motus, angelum vero Satanæ dæmonem, motus illos excitantem, aſſerens; dein de *Andrea*, *Simonis Petri* fratre, *Jacobo* majori, *Joanne*, Apoſtolo & Evangeliſta, *Philippo*, *Bartholomæo*, *Thoma*, *Matthæo*, Apoſtolo & Evangeliſta, *Jacobo* minori, *Thaddæo*, *Simone* Cananæo, *Juda Iſchariothe*, *Matthia*, *Barnaba*, *Joanne* Baptiſta, de duobus & ſeptuaginta diſcipulis, *Marco* Evangeliſta, *Luca*, ſeptem Diaconis, *Stephano* Protomartyre, *Philippo*, qui eſt Evangeliſta dictus, de *Nicolao*, *Tito*, Cretenſium Epiſcopo, *Timotheo*, Antiſtite Epheſiorum. Multa de ſingulis docte collegit Autor ex monumentis antiquitatis; ſed fundamenta, quæ producit, non ſunt ſemper æque firma & robuſta, quæ examen ſuſtineant ſollicitum. Additus etiam fuit Index, qui ſcopo, cui eſt deſtinatus, omnino ſufficit.

ELOGIUM GILBERTI BURNETI, Epiſcopi Salisburienſis.

Cum in *Actis* noſtris de *Gilberti Burneti* vita atque ſcriptis ex inſtituto nondum egerimus; Lectoribus noſtris rem gratam facturi, ex vita celebratiſſimi hujus Epiſcopi, *Volumini II* ejus Hiſtoriæ ſui temporis ab Editore, *Thoma Burneto*, addita, quæ ad poſteritatis memoriam præcipue inſignia ſunt, commemorabimus. Natus eſt Edinburgi A. 1643 die 18 Septembr. parente *Gilberto Burneto*, qui Jurisprudentiæ civili in Gallia navavit operam, ob ſummam in pauperes liberalitatem celebris. Is, licet Epiſcopali eccleſiæ eſſet addictus, Purita-

Digitized by Google

nus tamen plerumque habitus eſt. Matrem habuit ſororem *Archibaldi Johnſtouni*, ſtrenui Presbyterianorum defenſoris. Anno ætatis decimo Latinam linguam ab ipſo parente ſuo præceptore jam didicerat, quo in Collegium Aberdeenenſe mittebatur, ut Græcas literas & *Ariſtotelicam* Philoſophiam ſibi redderet familiarem. Quarto & decimo anno Magiſter artium evaſit, &, licet integrum annum Jurisprudentiæ civili jam impenderat, de ſententia tamen parentis Theologiæ ſtudio tanta cum diligentia ſuam dicavit operam, ut octavo atque decimo ætatis anno omnium cum plauſu inter Miniſterii Candidatos reciperetur. Cum vero eodem anno verbi divini Miniſter eligeretur, maluit aliquot adhuc annos literarum ſtudiis atque peregrinationibus tribuere, quam nimium juvenis alios docere. Parente, eoque una optimo præceptore ſuo, tum orbatus, Epiſcopi *Leightouni* auſpiciis in Theologia Patriſtica atque Eccleſiaſtica Hiſtoria non temnendos fecit progreſſus. A doctiſſimo autem viro *Charteres* Hiſtoriam civilem atque Geographiam didicit, &, quemadmodum *Nairnii*, V. D. M. Edinburgenſis, eloquentiam ſacram admirabatur, ſic *Hokeri* eccleſiaſticam Politiam magni faciebat, & præ reliquis libris ſedulo evolvebat. A. 1663 in Angliam, & A. 1664 in Galliam atque Hollandiam, iter inſtituit. Cumque in hoc itinere inter Arminianos, Lutheranos, Unitarios, Browniſtas, atque Anabaptiſtas, præcipuæ dignationis viros conveniret, animadvertit, in omnibus hiſce ſectis eſſe, quibus virtutis atque pietatis laus debeatur. Itaque, ſi quis alius, deinceps perpetuo a diſſentientium perſecutione abhorruit. Id quod ei ſæpius vitio verterunt, qui ultra præceptoris ſui verba, quæ memoriæ mandarunt, vix ſapiunt. Sub finem hujus anni a *Roberto Murray*, Societatis Regiæ Scientiarum Præſide, inter Socios relatus, & in Scotia verbi divini Miniſter Saltounienſis omnium cum plauſu conſtitutus eſt. Quovis die ſolis bis, & præterea quavis hebdomade ſemel, e cathedra ſacra verba faciebat, cathecheſationibus qualibet hebdomade tres dies dicabat, viſitationibus etiam domeſticis inſtitutis, erogandisque eleemoſynis, muneri ſuo ſacro faciebat ſatis. A. 1669 Profeſſor Theologiæ Glasgovien-

goviensis evadebat, ubi nonnunquam & Epiſcopales & Presbyterianos ob ſuam in controverſiis Theologicis moderationem adverſarios habebat. At vero, cum A. 1672 Vindicias autoritatis, conſtitutionis, & legum eccleſiaſticarum in Scotia ſcriberet, tam bene merebatur de Epiſcopalibus, ut non ſolum Epiſcopatum illi offerrent, ſed & Archiepiſcopatus ſpem facerent. Noſter autem Epiſcopatum recuſavit. Cum A. 1613 Londinum peteret, præter ſpem ſuam inter Regis Capellanos numerabatur. Rex *Carolus II* & Dux Eboracenſis ſæpe eum ad ſe vocabant, ſummique favoris ſigna dabant, quo tamen eximio favore in eum tantum finem utebatur, ut & *Stillingfleetum* Regi commendaret, & colloquium inter ſe, D. *Stillingfleetum*, & duos pontificios doctores, inſtituendum proponeret. Glasgoviam cum rediret, odio ejus ardebat Dux *Lauderdale*, infenſiſſimus Ducis *Hamiltoni* inimicus, de cujus vita *Burnetus* Commentarios ediderat. Quare munere Profeſſorio ſe abdicat, &, licet Regi amplius acceptus non eſſet, Londinum repetit. Ibidem A. 1675 verbi divini Miniſter eligitur, & magno cum plauſu ſermones ſacros habet. Eodem tempore *Hiſtoriam Reformationis* ſcribit, quo quidem libro utriusque Judicii in Magna Britannia ſummi, quod *Parliament* vocant, plauſus tulit; eum enim publice rogarunt, ut, quam ſcribere cœperat, emendationis ſacrorum hiſtoriam ſedulo continuaret. Etſi munus ſacrum, *Burneto* demandatum, ab eo non requirebat, ut ægrotos conveniret; ad omnes tamen vênit, qui ejus præſentiam ſibi expetierunt. Convenit etiam moribundam aliquam Comitis de *Rocheſter* meretricem, cum qua tam prudenter agebat, ut Comes cupiditate arderet ſingulari in notitiam *Burneti* perveniendi. Qua quidem opportunitate *Burnetus* uſus, integram hiemem impendit, ut Comitis contra Chriſtianam religionem objectiones ſolveret, divinitatemque ejus ei perſuaderet. Quavis enim hebdomade horis veſpertinis ſemel minimum Comitem adiit, deque rebus ad Theologiam pertinentibus egregie prudenterque diſputavit. Cum eodem tempore Pontificii doctores id agerent, ut Proteſtantium ſacra

Digitized by Google

everterent; *Carolus II Burneto* Epiſcopatum Chiceſtrenſem hac lege obtulit, ut a ſuis partibus nunquam non ſtaret. At Noſter reſpondit, ſe non intelligere, quid Rex addita hac conditione ſibi velit, & Epiſcopus hac lege eſſe noluit. Anno autem 16$\frac{79}{80}$ die 29 Januar. graviſſimas ad ipſum Regem dedit literas, eumque ſerio & multis argumentis hortatus eſt, miſſa faceret impia conſilia, quæ tum in ſibi ſubditorum interitum meditabatur. A. 1682 Chemicis vacavit operationibus, & publicos vitavit conventus, anno autem 1683 Regia autoritate illi interdictum eſt e cathedra ſacra amplius verba facere. Cumque non ita multo poſt *Jacobus II* Rex evaderet, veniam e regno exeundi demiſſe petiit. Qua impetrata, Pariſios primum proficiſcitur, dein Genevam petit, atque magna cum gravitate non ſine felici ſucceſſu contra eos diſputat, qui *Conſenſui doctrinæ Helvetico* nimium ſtatuebant pretium. In Italia etiam per aliquod tempus egit, & diverſas in Germania civitates vidit; anno autem 1689 Ultrajectum rediit. Meruit ibi ſummum Principis Arauſionenſis, *Wilhelmi*, & ejus Conjugis, *Mariæ*, favorem, quo conſtanter gaviſus eſt. Licet enim *Jacobus II* omni ſeveritate id ageret, ut Principes Arauſionenſes *Burnetum* miſſum facerent, licet criminis læſæ Majeſtatis eum in Anglia accuſarent; Principes Arauſionenſes tamen illi nunquam defuerunt. Cum enim Batavi eum inter cives ſuos numeraſſent, ab omnibus Regis Angliæ perſecutionibus immunis eſſe poterat. Vitæ etiam ejus Pontificii doctores ſtruebant inſidias. Sed Noſtro amici non deerant, qui ejusmodi conſilia in tempore revelarent. Quæ tempore magnæ in Anglia Revolutionis a *Burneto* noſtro *Guilielmo* & *Mariæ* viciſſim exhibita ſunt officia, tam multa atque magna ſunt, ut paucis exponi nequeant. Sufficit hoc loco, dixiſſe, ſine *Burneti* conſiliis nihil magni ponderis atque momenti *Guilielmum* atque *Mariam* ſuſcepiſſe. Merita etiam ejus maxima in domum Hanoveranam hoc loco tacemus, cum eadem copioſe celebrent, qui de hiſtoria civili Magnæ Britanniæ recentiori commentati ſunt. Temperare autem nobis non poſſumus, quin, quomodo

ſe

Digitized by Google

ſe Epiſcopum geſſerit, ſummatim doceamus. Ab anno enim 1689, quo Epiſcopus Salisburienſis a *Guilielmo III* conſtitutus eſt, non oratione ſolum, ſed & vita, non dictis ſolum, ſed & factis, non ſermonibus ſolum, ſed & moribus, alios inſtituit, & omnes Epiſcopi partes pro virili implevit. Quovis triennio in ſua diœceſi *Viſitationem ordinariam* inſtituit; in ea autem illa tantum ſub examen vocabat, quæ ad Jurisdictionem pertinebant eccleſiaſticam. At vero *Confirmatio infantum* in fide Chriſtiana illi ſingulari curæ cordique erat. Neque enim ſolum, ſcripto quodam edito, docebat, quomodo juvenes Chriſtiani ſint docendi, ut fidei ſuæ rationem publice reddere queant, verum etiam quavis æſtate duobus menſibus quovis die in hoc vel illo loco ſermonem ſacrum habebat, cathechumenos confirmabat, & cum verbi divini miniſtris de rebus graviſſimis diſputationes atque colloquia inſtituebat. Præ ceteris autem in cathechezatione voluptatem inveniebat ſingularem, aliosque Clericos exemplo ſuo anteibat. In Candidatorum miniſterii examine ſummam præſtabat fidem, neque aliquem dignum judicabat, quem non ipſe de præcipuis fidei articulis interrogaverat, atque alios cum fructu docere poſſe probe intellexerat. Inſigne paſtoralis ejus curæ documentum eſt, quod ſuis ſumtibus Salisburi decem Theologiæ ſtudioſos aluerit, qui ejus ſub auſpiciis ad munus ſacrum ſe præpararent. Cum autem Oxonienſes Doctores hanc Theologos educandi rationem *Burneto* ſummo verterent vitio, diu hac ratione civitati Dei prodeſſe non potuit. Miſſum enim fecit pium inſtitutum, quod ſine graviſſimis impedimentis perſequi non poterat. Feliciori cum ſucceſſu commodis verbi divini miniſtrorum in Anglia conſulebat prudentiſſimis & ſæpe iteratis conſiliis ſuis. Aliquot centum Oratores ſacri in Anglia 20 tantum libras Sterlingicas, & aliquot mille 50 tantum libras Sterling. habebant annuos reditus, unde commode atque honeſte vivere non poterant. Autor igitur ſuaſorque Britannorum Regi extitit, *Decimas* atque *Annatas* pauperioribus concederet Clericis. Hi enim annui reditus a tempore bellorum

cum crucis ſigno ſuſceptorum Pontifici, ab anno autem ſexto atque vigeſimo regiminis *Henrici VIII* Regi, ſolvebantur, qui hoſce numos principibus quibusdam viris *penſionis* nomine dono dare ſolebat. Dudum fruſtra hæc agitavit conſilia. Anno autem 1704 *Anna* Regina petitis ejus clementiſſime conceſſit, & pauperiores Clericos, inter quos hi reditus, h. e. 16000 circiter libræ Sterlingicæ, quotannis diſtribuuntur, immortali beneficio ſibi devinxit. Quemadmodum vero *Burnetus* noſter, ad mortem usque ſuam, quam A. $17\frac{14}{15}$, ætatis ſecundo atque ſeptuageſimo, menſe Martio, ſubiit, Theologiæ Doctorem atque Epiſcopum digniſſimum pro virili ſeſe præſtitit; ſic boni etiam patrisfamilias atque optimi fideliſſimique amici nomen promeruit. Quas quidem partes ſuas majori cum voluptate explevit, cum illi liceret eſſe tam felici, ut trium exoptatiſſimarum conjugum eſſet maritus. Primum enim A. 1671 duxit *Margaretham Kennedy*, prudentiſſimam fœminam atque piam, quæ Presbyterianorum principiis admodum favebat, tum A. 1688 *Mariam Scott*, Batavam, animi corporis atque fortunæ bonis eximiam, dein A. 1698 *Berckelejam*, ob *methodum devotionis*, a ſe editam, quam Cel. D. *Goodwinus* cum ejus Vita recudi curavit, celebrem. Quæ cum ita ſint, noſtrum facere non dubitamus elogium, quod Marchio *Hallifax* in *Burnetum* noſtrum conſentit, in quo ejus animi characterem ſcite expreſſit atque venuſte. *Burnetus*, inquit, illis ſimilis eſt, qui extraordinario plane ingenio ſunt præditi. His mediocres non competunt virtutes. Vel enim riſum provocant, vel admirationem. Sicuti natura raro permittit, ut ſatis habeamus, quin aliqua ex parte abundemus; ita *Burnetus*, cum imaginatione gauderet plane ſingulari, cogitationibus ſuis imperare ſemper non poterat, quin extra oleas vagarentur. Multa igitur agitabat conſilia, quæ ſeverus Criticus vix probaſſet. Primæ ejus meditationes nonnunquam majorem requirebant accurationem, non quod judicium illi deerat, ſed quod ingenio abundabat. Ab amicis tantopere amabatur, ut ejus nævos vix obſervarent, &, cum annotarent,

tarent, tuerentur, ipſi ob egregias eximiasque virtutes alias privilegium competere a regulis quibusdam ordinariis recedendi, judiciumque aliorum evitandi. Tantam etiam, quæ cogitate ſcripſit, illi promerebantur admirationem, ut aliquot ejus erroribus ii tantum denegent excuſationem, qui aut ejus virtutes ignorant, aut nunquam ſine pravis affectibus judicant. Aliorum nævos prius non revelabat, quam eos illis condonarat, & tam paratus erat ad ſuos errores emendandos atque corrigendos, ut ipſi errores ei ornamento cedant. Iis enim rarioribus eruditis annumerandus eſt, qui, etiam cum halucinantur, excellentiſſimæ ſuæ doctrinæ dant documentum. Cum ab adverſariis ſuis provocaretur injuriis; palam declaravit, quam benevolo atque egregio eſſet animo. Dolebat enim adverſariorum ſuorum vicem, &, quo vehementius ab iis vexabatur, eo majus amicis ſuis ſtatuebat pretium, illosque beneficiis cumulabat, qui præter ſuam culpam patronis atque amicis deſtituti miſere vivebant. Cum cogitata ſua nullo negotio verbis exprimeret, ejus ſcripta non ſine voluptate legas. Sponte enim omnia fluunt, naturalemque habent pulchritudinem. Qua quidem ejus Commentationes ab aliis, obſcura cum diligentia elaboratis, maximopere ſe diſtinguunt. Propterea multos habuit inimicos, quoniam optimi Epiſcopi dabat exemplum, quod imitari nolebant. Parum de promotione ſua erat ſolicitus, non ſplendorem ſolum, ſed etiam omnem non neceſſarium luxum, contemnebat, muneris ſui partes etiam minimas ſibi datas eſſe credebat, neque ſine ſummo labore iis ſatisfaciebat. Quæ quidem virtutes tantopere a dignitate Prælati atque Epiſcopi abhorrent, ut, ſi vel maxime in reliquis orthodoxus fuerit, in his Diſſentientibus ſit annumerandus. Ejusmodi virtutes totidem ſunt hæreſes, illorum Theologorum judicio, qui præcepta Numinis ſibi data explicatione ſua ita emolliunt, ut Deo & voluptati ſuæ una ſervire queant. Quid mirum igitur, quod *Burnetus* eis odio fuerit atque dolori? Suam enim cauſam agunt, & ſemet ipſos defendunt, dum virum opprimunt, cujus mores illis pudorem incutiunt, & cujus vita illis eſt opprobrium.

Index

Index ſcriptorum, a *Gilberto Burneto* Anglico ſermone editorum.

I. *Dialogus inter Conformiſtam & Non-Conformiſtam*, 1669. 8.
II. *Vindicatio Conſtitutionis Eccleſiæ & Status Scotiæ*, 1672, 8.
III. *Myſterium iniquitatis Romæ revelatum*, 1675, 8.
IV. *Examen relationis* T. Ken, *Jeſuitæ, de veritate religionis*, 1674, 8.
V. *Commentarii de vita Ducis* Hamiltoni, 1676, fol.
VI. *Relatio Colloquii cum* Colemanno *inſtituti*, 1676, 8.
VII. *Hiſtoria Reformationis Anglicanæ*. Vol. I, 1679, 8.
Vol. II, 1681.
Vol. III, 1715.
VIII. *De morte Comitis* de Rocheſter *Diſſertatio*, 1681, 8.
IX. *Vita* Matthæi Hale, 1682, 8.
X. *Examen methodi converſionis Clericorum in Gallia*, 1682, 8.
XI. *Hiſtoria Regalium*, 1682, 8.
XII. *Interpretatio Utopiæ*, *a* Thoma Moro *editæ*, 1683, 8.
XIII. *Vita Epiſcopi* Bedelli, 1685, 8.
XIV. *Interpretatio Commentarii de mortibus Perſecutorum a* Lactantio *ſcripti*, 1687, 8.
XV. *Epiſtolæ Itinerariæ*, 1687, 8.
XVI. *de Cura Paſtorali Tractatus*, 1692, 8.
XVII. *Quatuor Epiſtolæ ad Clericos*, 1694, 8.
XVIII. *Character* Mariæ, *Mag. Brit. Reginæ*, 1695, 8.
XIX. *Vindicatio* Tillotſoni, *Archiepiſcopi*, 1696, 8.
XX. *Expoſitio Articulorum 39 Eccleſiæ Anglicanæ*, 1700.
XXI. *Collectio ſermonum atque minorum ſcriptorum, tribus Volum. in 4 ab A. 1678 & 1706 editorum.*
XXII. *Expoſitio Cathechiſmi Eccleſiæ Anglicanæ* 1710, 8.
XXIII. *Sermones ſacri*, 1713, 8.
XXIV. *Hiſtoria ſui temporis*. Opus poſthumum, Vol. I, 1724, fol. Vol. II, 1734, fol.

E quibus quidem *Burneti* Commentationibus nonnullæ ſæpius recuſæ ſunt, & Gallico etiam, Latino, atque Germanico ſermone prodierunt.

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II Sectio V.

ANACREONTIS OPERA, GRÆCE, CUM Verſione Latina, Notis & Indice.

Londini, excudebat Guilielmus Bowyer, 1725, fol. Alph. 2 plag. 3.

Splendidiſſimam hanc *Anacreontis* editionem nobis exhibuit Doctiſſ. *Michael Maittaire*, cujus nomen, licet in titulo Operis non appareat, nec Præfationi ad Lectorem ſit præmiſſum, tamen ex Dedicatione ad *Joannem Carteret Baronem de Hawnes* diſerte cognoſcitur. Textus Græcus ſic eſt typis exſcriptus, quemadmodum eundem *Henr. Stephanus* in 4 elegantiſſime dedit expreſſum. Ipſe Editor interpretationem Latinam Odarum LXI, eamque metricam, de novo confecit, in qua Græcos verſus totidem Latinis ſatis feliciter reddidit. Nam, quamvis hac ratione non integrum ipſi fuerit, voces Græcas ſemper ſatis apposite exprimere, tamen a ſenſu Poetæ vero haud facile diſceſſit. Contra Fragmentorum & Epigrammatum ſoluta tantum eſt adjecta interpretatio, & ad optimorum interpretum exemplum conformata. Quo vero *Anacreon* etiam ſine interpretatione ab amatoribus ſuis legi poſſet, textum Græcum ita im-

primendum, & paginarum numeros ita diſponendos, curavit Doctiſſ. Editor, ut ſeparatus a Latina verſione & legi poſſet & compingi. Ipſum *Anacreontem*, ejusque interpretationem Latinam, excipiunt obſervationes Virorum doctiſſimorum in eum, diverſis editionibus publicatæ, quo in numero ſunt *Henrici Stephani*, *Longepierre*, *Annæ Dacier*, *Tanaquilli Fabri*, *de la Foſſe*, *Regnerii Deſmarais Barneſii*, *Baxteri*, in vatem noſtrum Commentationes. Sequitur index omnium, quæ in *Anacreonte* inveniuntur, vocum locupletiſſimus, in quo Cl. *Maittaire* ſæpiſſime aliorum Autorum teſtimonia adducit, quibus non parum lucis ipſi textui *Anacreontico* affunditur. Indici ſubjicitur Tractatus de *Anacreontis* vita, moribus, ſcriptis, ac ſtilo, partim ex ipſis Autoris verbis, partim ex aliorum ſcriptorum, qui *Anacreontis* mentionem fecerunt, voluminibus conſtipatus. Succedit Commentatio, de metris, quibus uſus eſt *Anacreon*, ubi carmina Dimetra Catalectica, Dimetra Acatalecta Jambica, Dimetra Acatalecta Trochaica, Dimetra Brachycatalecta Jambica & Trochaica, Tetrametra Heroica Catalectica, Tetrametra Heroica Acatalecta, Trimetra Heroica, Dimetra Heroica, Trimetra Jambica, Tetrametra Trochaica Acatalecta, Tetrametra Hypercatalectica, exhibentur, & de Odis *Anacreonticis*, ac de variante ſyllabarum quantitate, exponitur. His denique ſubjungitur Spicilegium in *Anacreontem*, Epigrammatum, una cum *Henrici Stephani* Præfatione Græca, & Catalogus editionum Anacreonticarum, quæ Doctiſſ. Editori ad manus fuerunt.

NONNULLI E LUCIANI DIALOGIS SElecti, & in duas Partes diviſi, omnes Scholiis illuſtrati ab EDWARDO LEEDES.

Londini, impenſis J. & B. Sprint, 1726, 8.
Plag. dimid. 49.

Meritis condecoranda eſt laudibus eorum induſtria, qui utriusque linguæ cognitionem animis juvenum tenellis familiarem reddunt, inprimis vero diſcipulos ſuos ad Græcæ lin-

Digitized by Google

linguæ bellaria alliciunt. Fecit huic officio, ſi quisquam alius, ex aſſe ſatis Cl. *Edwardus Leedes*, qui, etſi provinciam non ſatis amplam nactus, in ſchola tamen Burienſi partes ſuas pro virili geſſit, invigilavitque adeo laudabiliter elegantiarum Græcarum culturæ, ut non exiguus ad ingenia adoleſcentum redundaret fructus. Non mirum igitur, avide exceptos fuiſſe a popularibus ipſius ſelectos ex *Luciano* Dialogos, opera eruditiſſimi Viri evulgatos, quippe qui in extricandis Græcæ linguæ particulis artificem ſe præſtitit, earumque uſum non ex turbidis Grammaticorum lacunis, quas ipſe non raro ſpernit, ſed ex limpidis ſcriptorum fontibus, commonſtravit. Non dubitamus equidem, fore pleroſque, qui laborem hunc levem & non ſatis dignum exiſtiment nova elucubratione, utpote a viris magni nominis, *Grævio*, *Gronovio*, *Jenſio*, *Bourdelotio*, diu ſuſceptum: ſed hi neſciunt fere, eos plerumque neglexiſſe minutias vocum, non captui puerorum, ſed ſubactioris jam ingenii viris, ſcribentes. Quapropter Autor politiſſimus ſpicilegium inſtituit eorum, quæ omiſſa ſunt ab aliis, & non tantum, quod Cel. *Fabricius* in Bibliotheca Græca optavit, operam dedit, ut Græca emendatius excuderentur, verſioque hinc inde emendaretur, ſed etiam multis eruditam lucem ex ingenio & doctrina ſua attulit. Eam ob rem, ubi interpretem nimis elegantiæ Latinæ ſtudioſum, aut a Græco textu aberrantem, deprehendit, mutavit verba, aptioraque menti ſcriptoris, *Luciani*, ſubſtituit. Quod vero ad librum ipſum ſpectat, diſpeſcuit eum in duas partes, quarum altera in ſe continet Dialogos olim ab eodem publici juris factos, altera vero nunc additos lectoribus offert, & fatendum ingenue, utrumque optimæ frugis libellum non poſſe non ad palatum diſcentium eſſe. Nam, uti ſupra jam monuimus, particulæ, quæ in ſignificatu non admodum uſitato obveniunt, ſedulo annotantur, &, quod in laudibus Cl. *Leedeſii* ponendum, plerumque ex *Luciano* ipſo vindicantur. Ut verbis fidem conciliëmus, paucis delibabimus ejus annotationes, ex quibus induſtria ipſius facile pateſcet. *Pag. 2* explicat *εἰ μὴ* non, ut vulgo, *ſi non*, ſed *quod non*, eadem *pag.* *ὅτε μέντοι* per *veruntamen quando*, *pag. 6* reddunt

dunt alii interpretes ἐπεὶ per *tametſi*, ſed Cl. Editor arbitratur, ſe rem acu tetigiſſe, ſi interpretetur per *verum*, *ſed*, loco aliquo *Luciani* adductus: ἐπεὶ τιν' ἄλλην ἀντὶ τῆς δ' ἔξης ςολὴν *pag. 61* ὡς per *nam* explicat. Sæpe enim, ait, ita apud atticiſſimos ſcriptores occurrit. *Pag. 97* εἶτα pro interrogativa particula *num* ſumit. De cætero omnia tam aperta & expedita redduntur, ut parum abſit, quin voveamus plures adhuc a Cl. Editore ejusmodi dapes juventuti apponendas, quo, ipſa demum dulcedine Atticarum elegantiarum capta, majores aliquando fructus metere incipiat.

HISTOIRE GENERALE DES AUTEURS SAcrés & Eccleſiaſtiques &c.

h. e.

HISTORIA GENERALIS AUTORUM SAcrorum & Eccleſiaſticorum, continens eorum vitas, Operum catalogum, examen criticum, judicia, chronologiam, analyſin, & recenſionem variarum editionum, &c.

Autore R. P. *REMIGIO CEILLIER, Benedictino.*

Tomus IV.

Pariſiis, apud Phil. Nicol. Lottinum, 1733, 4 maj. Alph. 4 plag. 5.

Pergimus in recenſendo Opere præclaro, ex cujus lectione his, qui Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudent, multiplices exſpectari fructus poſſunt. *Tomus* iſte *quartus*, quæ ad res ineunte Seculo IV in Eccleſia geſtas pertinent, & ſuperiori *Tomo* haud comprehenduntur, addit, neque niſi dimidii, & quod excurrit, hujus Seculi Acta, Scriptores, Martyres, & Concilia, exhibet hoc ordine. *Capite I*, admodum copioſo, & in Articulos XIII diviſo, continuata ſub imperio *Galerii*, *Maximini*, & *Licinii*, perſecutio, multorumque Martyrum Acta, enarrantur, & genuina a ſuppoſititiis diſcernuntur. Speciatim autem *Artic. V* Acta martyrii

Digitized by Google

tyrii S. *Petri*, Patriarchæ Alexandrini, & Martyris, quæ in A. 311 referuntur, ſuppoſititia pronuntiat Autor, ejusque Canones 14 de pœnitentia, aliaque ſcripta, recenſentur. *Artic. VI* de S. *Methodio*, Epiſcopo, doctore Eccleſiæ, & Martyre, ejusque libello, *convivium virginum* inſcripto, *Photio*, qui interpolatum ſtatuit, contradicens, addita ejus analyſi; deque aliis ejus ſcriptis, cum genuinis, quorum fragmenta exſtant, tum ſuppoſititiis, cum epicriſi de doctrina, & editionum catalogo, agit. *Artic. VII* de S. *Luciano*, Presbytero Antiocheno, & Martyre, ejusque ſcriptis deperditis, differit. *Cap. II* de S. *Alexandro*, Archiepiſcopo Alexandrino, ejusque certamine cum *Ario*, habitoque contra eum Alexandriæ A. 321 Concilio, & ſuperſtitibus duabus Epiſtolis ad Epiſcopos, fuſe tractat. *Cap. III* de S. *Reticio*, Epiſcopo Auguſtodunenſi, ejusque ſcriptis deperditis, breviter differit. *Cap. IV* de *Juvenco*, Poeta Chriſtiano, ejusque poemate de vita Chriſti, ſeu Hiſtoria Evangelica, cujus & editionem Altorfinam A. 1710 laudat; *Cap. V Artic. I* de *Conſtantini M.* primi Imperatoris Chriſtiani, vita, quem morti demum vicinum ab *Euſebio*, Epiſcopo Nicodemienſi, A. 337 baptizatum, & reliquis ſacramentis inſtructum, ait; *Artic. II* de ejusdem orationibus ſacris; *Artic. III* de Epiſtolis ad Epiſcopos, Tomis Conciliorum partim inſertis; *Artic. IV* de Edictis, pro religione Chriſtiana promulgatis, fuſe commentatur, donationemque illam confictam explodit. *Cap. VI* de *Commodiano*, cujus Acroſticha inter Opera *Cypriani*, quibusdam in editionibus, & in Bibliotheca Patrum exſtant, de *Macario Magnete*, ſcriptore obſcuro, deque Itinerario Burdegalenſi, cujus Autor incertus iter Burdegala Hieroſolymam A. 333 factum deſcribit, ejusque editionibus; *Cap. VII* de S. *Euſtathio*, Epiſcopo Antiocheno, confeſſore nominis & divinitatis Jeſu Chriſti, ejusque ſcriptis contra *Arium*, aliisque libris deperditis; *Cap. VIII*, omnium ampliſſimo, Articulis XXI a *pag. 184* ad *445* agit de *Euſebio*, Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopo, ejusque libro contra *Hieroclem*, Chronico, partim a *Joſ. Scaligero* reſtituto, Præparatione & Demonſtratione Evangelica, Hiſtoria Eccleſiaſtica, in cujus recenſione Autor ſenten-

tiam *Euſebii* de Therapevtis, pro Chriſtianis eos habentis, inſerta enarratione totius libri *Philonis* de vita contemplativa, refutat, eosque Eſſæorum aliquod genus facit; & librum ſingularem de Martyribus Palæſtinæ incongrue Lib. VIII Hiſt. Eccl. adjectum dicit. Porro ſigillatim de Panegyrico in *Conſtantinum M*; Libris V contra *Marcellum* Ancyratem; Libris IV de vita *Conſtantini*; Commentariis in Pſalmos & in *Eſaiam*; XIV Opuſculis, *Euſebio* adſcriptis a *Sirmondo*, & Latine tantum editis, (*Tom. I Opp. Sirmondi Pariſ. 1696*) dubitante Noſtro, an *Euſebii* omnino ſint; de Canonibus Evangelicis, Harmoniam Evangeliſtarum reſpicientibus, atque ab *Hieronymo* verſis, quorum omnium jungit analyſin; opere de locis, quæ in Evangelio contradicere ſibi videntur; Eclogis propheticis; operibus deperditis aut ineditis; diverſis eorum, quæ exſtant, editionibus; doctrina per ſingula fere Theologiæ capita, & *Arianiſmo* denique, fuſe exponit: atque hujus quidem dicam *Euſebio* impingendam eſſe negat, cum ſubſcripſerit Concilio Nicæno, & expreſſis verbis præcipuos errores *Arii* in ſcriptis ſuis damnaverit: interim, amicitiam cum capitibus factionis *Arianæ*, violentiam adverſus *Athanaſium*, *Euſtathium*, aliosque Epiſcopos, & alia pro *Arianis* acta, minus excuſari poſſe, fatetur. *Cap. IX* de Actis Martyrii S. *Simeonis*, multorumque aliorum Sanctorum ſub *Sapore*, Rege Perſiæ, circa A. 344; *Cap. X* de S. *Pachomio*, primo Abbate Tabenneſi, autore vitæ cœnobiticæ, ejusque regula monaſtica, aliisque ſcriptis; *Cap. XI* de S. *Jacobo*, Epiſcopo Niſibenſi, e vita anachoretica ad Epiſcopatum illum evecto, inque cultu & victu auſteritatem anachoretarum retinente, ejusque ſcriptis, e lingua Syriaca Græce haud translatis, & liturgia eidem falſo tributa; *Cap. XII* de S. *Julio*, Papa, Actisque ab eo in cauſa *Athanaſii* contra *Euſebianos*, in Concilio, quod poſtulaverant, Romæ comparere abnuentes, habitoque ibidem A. 341 Concilio, in quo *Athanaſius* & *Marcellus* Ancyranus innocentes declarati ſunt, commemorat. Addita eſt analyſis præclaræ, ut ait Autor, ejusdem Papæ *Julii* ad Orientales Epiſtolæ, & reliqua, quæ hac in cauſa ſub eo contigerunt, enarrata; adjecta etiam diſquiſitio de Epiſtolis

Digitized by Google

piſtolis *Julio* ſuppoſitis. *Cap. XIII* de S. *Antonio*, primo patre Anachoretarum in Ægypto, qui, ſolitudinem circa A. 285 ingreſſus, per annos XX in arce deſolata vixiſſe, circa annum 305 demum diſcipulos admiſiſſe, fruſtra martyrium Alexandriæ quæſiviſſe, multa miracula patraſſe, & A. 356, ætatis 105, obiiſſe traditur; deque ejus Epiſtolis ad *Conſtantinum M.* pro *Athanaſio*, item de Epiſtolis ad diverſa monaſteria ſcriptis, deque ſuppoſititiis, & editionibus; *Cap. XIV* de *Hoſio*, ſive *Oſio*, Epiſcopo Cordubenſi & Confeſſore, cujus ſtudium in ſopienda controverſia paſchali, compeſcenda hæreſi *Ariana*, conſilium *Conſtantino M.* datum, de convocando *Nicææ* Concilio, autoritas in eodem, præſidis in Concilio Sardicenſi A. 347 partes, firmitas adverſus *Conſtantium* Imperatorem, in partes *Arianas* ipſum pertrahere nitentem, Epiſtola graviſſima ad eum ſcripta, lapſus in concilio Sirmienſi per decrepitæ ætatis infirmitatem, &c. commemorantur; *Cap. XV* de Actis complurium Martyrum in perſecutione ſub *Juliano* Apoſtata, præmiſſâ narratione de hujus vita, inſtitutione, hypocriſi ante apoſtaſiam, proſopographia, moribus, reſtitutione paganiſmi, & perſecutione Eccleſiæ, *Articulis VI* copioſe agit; inque his Acta S. *Joannis*, & S. *Pauli*, item S. *Gordiani*, quæ ſunt apud *Surium*, ſuppoſititia pronuntiat. *Cap. XVI* de Conciliis Alexandriæ & in Phrygia habitis contra *Arium*, cujus vitæ, & plenior hæreſeos hiſtoria ſimul enarratur; *Cap. XVII* de Concilio Nicæno, differit, in cujus Actis plenius enarrandis, mirum fere eſt, quod Autor, a Theologia Italica, turpique adulatione erga Pontificem Romanum, cetera alienus, aſſerat, S. *Sylveſtrum* Papam per ſuos Legatos, quorum princeps fuerit *Hoſius*, Cordubenſis, præſediſſe, uti & præſederit in tribus ſequentibus Conciliis generalibus, id quod bona fide agnoverint Orientales, Conſtantinopoli A. 552 congregati. Canones etiam hujus Concilii XX genuinos exponit: eos autem, quos Eccleſiæ quædam Orientales, nec non *Turrianus*, & *Abrab. Ecchellenſis*, pro genuinis venditant, quique Arabici dicuntur, numero LXXX, quibus ipſi genuini Canones XX intermixti, rejicit. Denique de *Conſtantini M.* Epiſtolis ſynodalibus, deque Epiſtola ſuppoſi-

poſititia & Actis ſuppoſitiis Concilii Nicæni, diſputat. *Cap. XVIII* de Conciliabulis *Arianorum*, Antiochiæ contra S. *Euſtathium* A. 331, Cæſareæ contra *Athanaſium* A. 333, Tyri A. 335, Hieroſolymis A. 335, Conſtantinopoli contra *Marcellum* Ancyranum A. 336, item contra *Paulum*, Epiſcopum Conſtantinopolitanum A. 338, & Antiochiæ contra *Athanaſium* A. 339, habitis, exponit. *Cap. XIX* de Conciliis Alexandriæ A. 339, & Romæ A. 341, pro *Athanaſio* habitis; *Cap. XX* de Concilio Antiocheno, quod Dedicatio dicitur, congregato quippe auſpiciis Imp. *Conſtantii* A. 341 ad dedicandum templum magnificentiſſimum, quod *Conſtantinus M.* Antiochiæ ante decennium exſtruere cœperat, formulis fidei ibidem concinnatis, & Canonibus XXV, diſciplinam eccleſiaſticam dirigentibus, perque Epiſtolam ſynodalem ad Eccleſias miſſis; *Cap. XXI* de Concilio Antiochiæ A. 345 ab *Euſebianis*, novam & ſat amplam formulam publicantibus; Mediolani A. 345 aut 346 pro formula illa Eccleſiis occidentalibus obtrudenda; & Coloniæ A. 346 contra *Euphratam*, Epiſcopum Colonienſem, habitis: cujus Acta Autor ſuppoſititia dicit; *Cap. XXII* de Concilio Sardicenſi, tradit, A. 347 conſenſu fratrum Impp. *Conſtantii* & *Conſtantis* in cauſa *Athanaſii* & *Euſebianorum* convocato; in quo *Hoſium*, Cordubenſem, (quem ſupra in Concilio Nicæno Legatum Pontificis Rom. fecerat,) & poſt illum Legatos *Julii* Papæ præſediſſe, Autor haud diſſimulat: & *Euſebianorum*, male ſibi conſciorum, & comparere detrectantium, artes ac violentiam, & turpem denique fugam, Actaque Concilii in abſolvendo *Athanaſio*, communione ſacra excludendis *Euſebianis*, & Canonibus XIII ſanciendis, perque literas ſynodales publicandis, enarrat. *Cap. XXIII* de Concilio falſo dicto Sardicenſi, ſive Conciliabulo *Euſebianorum* Philippopolitano, eorumque Epiſtola, quam Sardicæ datam finxerunt, genuinum Concilium Sardicenſe impugnante. *Cap. XXIV* de Conciliis Mediolani A. 347 & 351 contra *Photinum*, cujus inſeritur hiſtoria, deque Conciliis Carthagine A. 348 aut 349 contra Donatiſtas & Circumcelliones, habitis, hujusque poſterioris Canonibus, item de Conciliis, Hieroſolymitano & Alexandrino,

drino, A. 349 pro *Athanaſio*; alteroque Mediolanenſi, A. 349 contra ***Photinum***; Sirmienſi Ariano, A. 350, Sirmienſi orthodoxo, A. 351, celebrato, quo ſede dejectus, & in exilium actus *Photinus*, atque celebris formula condita, quæ tota inſeritur; *Cap. XXV* de Concilio Laodicæno, cujus incerta, at intra annum 341 & 381 incidens, epocha: quod ante Concilium Nicænum *Baronius* ponit, a Noſtro refutatus; ejusque Canonibus LX, quos cum explicatione inſerit; *Cap. XXVI* de Concilio Gangrenſi, cujus itidem epocha incerta, ad annum circiter 380 ex ſententia Autoris, quam argumentis quibusdam contra *Socratem* & *Sozomenum* probare ſatagit, referenda; ubi ſimul *Euſtathii* Sebaſtenſis hiſtoria, & hujus Concilii Canones XXI, enarrantur; *Cap. XXVII* de Conciliis, Romæ A. 352, quo Papa *Liberius*, & congregati aliquot Italiæ Epiſcopi, pro *Athanaſio* reſponderunt orientalibus; Arelati, anno eodem, quod vere fuit conciliabulum *Arianorum*, quibus in condemnationem *Athanaſii* turpiter conſenſit *Victor* Capuanus, Pontificis *Liberii* Legatus; Mediolani, A. 355, Imp. *Conſtantio Arianorum* partes tyrannice tuente, habitis, exponit. Quod ultimum Autor, æque ac Epheſinum 449, jure meritoque ληςρικὸν appellandum cenſet. Denique hunc etiam Tomum Index luculentus claudit.

DOCTRINA CATHOLICA DE SEPTEM Eccleſiæ Sacramentis, Libris VIII comprehenſa, in quibus res præcipuæ, non ſolum ad Dogmata, ſed etiam ad Hiſtoriam, Criticam, Chronologiam, Leges civiles, ad Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis diſciplinam, pertinentes, ordine ſuo recenſentur, a FR. BENEDICTO ANGELO MARIA CANALI, Ordinis Servorum B. M. V. in lucem edita.

Venetiis, apud Jo. Baptiſtam Recurti, 1734, fol. Alph. 5.

Id Operi huic eſt ſingulare, quod ad Deum Optimum Maximum Dedicationis formula fuerit directa eum in finem, ut

Digitized by Google

nullus omnino ſit, quin putet, *illum librum magni eſſe faciendum, quem viderit Enti omnium maximo ac perfectiſſimo inſcribi.* In Præfatione docetur Lector, quis fuerit P. Magiſter *Antonius Caſtelli*, Mantuanus, ejusdem Ordinis alumnus, qui haud parum laboris ad Opus hoc concinnandum contulerit. Ipſe *Caſtellius*, A. 1714 generalem Ordinis ſui ephoriam nactus, & A. 1716, ætatis ſuæ anno 57, defunctus, in templo *Mergellinæ* obtinuit ſepulturam ac monumentum ſepulchrale. Quantum ad Opus ipſum attinet, id in Disputationes, & hæ rurſus in Quæſtiones, Quæſtiones autem in Capita, diſtribuuntur. *Liber primus* Diſputationes quatuor exhibet, primam de nomine, natura, & definitione Sacramenti, ſecundam de materia & forma Sacramentorum, ejusque immutabilitate, tertiam de autore Sacramentorum & miniſtro, & quartam de effectu principaliori Sacramentorum, id eſt, gratia ſanctificante. *Liber II* de *Baptiſmo* agit. *Tertius Sacramentum confirmationis* exequitur. *Quarto* ſanctiſſimum *Eucharistiæ Sacramentum* exponitur. Parte ſecunda de *ſacrificio Miſſæ* varia ediſſeruntur. *Liber quintus* inſcriptus *eſt de Pœnitentia.* Parte prima *de Pœnitentiæ virtute* agitur, altera de *Pœnitentiæ Sacramento. Liber ſextus* complectitur *extremæ unctionis Sacramentum. Libro ſeptimo* exponitur *Sacramentum Ordinis*, & quidem Diſputatione prima de Sacramento Ordinis, generatim accepto, ediſſeritur, Diſputatione ſecunda de Ordinibus in ſpecie, ſpeciatim de tonſura clericali, Oſtiariis, Lectoribus, Exorciſtis, Acolythis, ad Ordines Sacramenti proprie haud referendis, Subdiaconis, Diaconis, Presbyteris, & Epiſcopis, agitur. Nominatim aſſeritur Quæſtione 13 & 14, Epiſcopos ſolos ordinare poſſe Clericos ſibi ſubditos, & conferre Sacramentum Ordinis. *Liber octavus de Sponſalibus & Matrimonio* fuit inſcriptus. Maxima diſciplinæ eccleſiaſticæ inter Romanenſes receptæ habetur ratio ubique, & Hiſtoria Eccleſiaſtica creberrime conſulitur. Aditus libri vix recluditur, cum *Lutherus* jam
Pag. 1. *Germaniæ peſtis*, & Proteſtantes *perdita aſſeclarum cohors*, ſalutantur. Lapis Lydius tractationis ponitur in eo, quod conforme

Digitized by Google

forme judicatur Scripturæ, Patribus, Conciliis, Eccleſiaſticæ traditioni, & Romanorum Pontificum definitionibus. Nec tamen reprobatur humanæ rationis adjutorium, ſed *admittitur, ut gregarius miles, ſubſidio legionariis, non pugnandi virtute, ſed apparatu multitudinis, futurus.* Sacramenti vox pro
re ſacra & latente in Vulgata ſumitur. *Tertullianus, Cy-* Pag. 2.
prianus, aliique Patres, Baptiſmum & Eychariſtiam ſic vocarunt. Quid ad ſeptenarium illum Sacramentorum numerum Proteſtantes monere ſoleant, ex *Joanne Dallao, Chriſtiani Kortholti* Disquiſitione Anti-Baroniana quarta, & *Joannis Franciſci Buddei* Inſtitutionibus Theologiæ dogmaticæ *Lib. V Cap. 1*, inprimis *Jo. Benedicto Carpzovio* in *Iſagoge ad libros Symbolicos*, patet. Ubi in Novo Teſtamento de impoſi-
tione manuum fit mentio, Autor illico Sacramentum confir- 3.
mationis intelligit, uti *Act. VIII, 17, XIX, 6, 17.* Addimus *Act. VI, 6, XIII, 3, 1 Tim. IV, 14, V, 22,* immo *Gen. XLVIII, 13, 14, Num. XXVII, 18, 23, Deut. XXXIV, 9.* Quam vellemus, de ritu illo allatum fuiſſet mandatum divinum, & promiſſum de gratia divina vel conferenda vel obſignanda! Miramur, locum *Jac.*
V, 14, denuo ad extremam unctionem trahi, cum oleum Apo- 3. 16.
ſtoli adhibuerint iis, quorum valetudo ſpem convaleſcendi præbebat, ut ex *Marc. VI, 13,* liquet. Matrimonium eſſe Sacramentum, probatur rurſus ex *Eph. V, 32,* cum tamen ibi de myſterio inter Chriſtum & eccleſiam Vulgata vocem *ſacramenti* ſubſtituerit voci μυστηρίου. Sacramentis ineſſe vim ſanctificandi, docetur ex *1 Cor. VII, 14,* ubi *ſanctificatus* perhibe-
tur *vir infidelis per mulierem fidelem.* Methodus ſcholaſtica 5.
& ſyllogiſtica an omnibus probetur, & varietate pulchra diſtinctaque eluceat, id quidem in medio relinquimus. Sacra-
mentum definitur per *ſignum ſenſibile gratiæ, ſtabili lege in-* 7.
ſtitutum, ad homines ſanctificandos. Invocatio Numinis & beneficentia in egenos num eadem ratione poſſint in numero Sacramentorum deputari, Autori deliberandum permittimus. Si Sacramenta hominem ſanctificant, mirari expedit, cur matrimonium per ſeſe haud ſanctificet. Impoſitio manuum,
1 Tim. IV memorata, hic ad Sacramentum trahitur confirma- 9.

 tionis.

tionis. *Bellarminum* Autor refellit, ſentientem, Apoſtolos non
Pag. 14. in ſolo Jeſu nomine, ſed Trinitatis, baptizaſſe, ratus, ſecum
omnino facere *Cyprianum*, *Ambroſium*, & D. *Thomam.* (*)
Canones Apoſtolicos non eſſe ab Apoſtolis editos, ſed falſo eis
16. adſcriptos, docet. Recte quoque monet, per impoſitionem
manuum in prima eccleſia haudquaquam innui porrectionem
ac traditionem calicis & patinæ, licet multi Doctores conati
fuerint eo uti ſuffugio, ut traderent, haud immutatam eſſe ab
eccleſia Romana materiam eſſentialem Sacramenti Ordinis.
Concilio certe Carthaginenſi IV de Subdiacono traditur, quod
ipſe impoſitionem manus haud accipiat, patinam de Epiſcopi
20. ſeq. manu accipiat vacuam & calicem vacuum. Porro operoſe
contenditur, verba, quæ ab eccleſia tanquam formæ Sacramentorum adhibentur, conſecrationem duntaxat involvere, inutilia
prorſus eſſe ad fidem vel roborandam vel excitandam. Illuſtrationis gratia adducitur dæmoniorum ejectio. Quod ipſum
utique valeret, ni ſanati, per miraculum, verbis Chriſti ſimul
24 ſeq. ad fidem fuiſſent excitati. *Intentionem* Presbyteri circa Sacramentum *eſſe de conſtitutivo Sacramenti*, Autor negat, aſ-
25. ſeq. ſerens cum Concilio Tridentino, Sacramenta ſeptem eſſe a
Chriſto inſtituta ſingula, eo quod eccleſia tenuerit ea pro talibus ab Apoſtolorum temporibus. Refugiendum hic eſſe ad
traditiones nec ſcriptas, nec demonſtrabiles, quis inficiabitur?
De extrema unctione profecto ſuboriuntur ſcrupuli, quos &
Autor pervidet. Poteſtatem conferendi Sacramenta homini-
29. ſeq. bus quibusvis haud patere, ipſe ſtatuit. Nos diſtinguimus de
jure inter jus proximum ac remotum ad rem & in re. De
ſecundo ſingulis eccleſiæ membris, præſertim maſculinis, li-
33. tem movendam eſſe, haud videmus. *Auguſtinus* laudatur,
ſtatuens, jam inde ab Apoſtolis creditum, infidelitatem vel impietatem miniſtri nihil viribus Sacramenti officere, nec baptizatos ab hæreticis ac ſchiſmaticis, ad præſcriptum Chriſti, eſſe
rebaptizandos. Affertur conjectura de origine Canonis Apoſt. 45
& 46, quorum uterque videatur in Concilio Iconienſi conditus,
34. in quo, fatente *Firmiliano* in Epiſtola ad *Cyprianum*, de hæreticis

(*) Alibi tamen ſibi contradicit, ſcilicet pag. 84 ſeq.

Digitized by Google

ticis rebaptizandis fuit decretum. En propoſitionem horridiusculam: *Poterunt etiam ſine Spiritu Sancto, ut ſanctificante, valide miniſtrari Sacramenta.* Eodem referendum videbitur pronuntiatum: *Sufficit in miniſtro intentio ipſius Sacramenti, etiamſi nihil cogitet de effectu, hoc eſt, de gratia ſanctificante.* Ad definitionem Sacramenti Autor utique requirit propoſitum & finem, in ſanctificandis hominibus ponendum. Dolendum eſt, iis, qui Sacramenta ſuſcipiunt a Parochis, nullum patere ſignum certum, quo ipſis innoteſcat, an adminiſtrator Sacramenti cum intentione debita officium ſuum obierit. Si criterium ejusmodi deeſt, deerit quoque convictio de valida confirmationis & ordinis eccleſiaſtici autoritate. Quis igitur ſacerdotum erit certus, ſeſe legitime & cum intentione Epiſcopi debita fuiſſe ordinatum? Mittimus ideas connexas reliquas, quæ non niſi Scepticiſmum progenerant in fundo rei ſacræ. Autor dilucide ita: *Poteſtas miniſtrandi Sacramenta data eſt hominibus, ut ea utantur humano modo; ſed non poſſunt ea uti humano modo, niſi habeant intentionem faciendi ſaltem, quod facit Eccleſia, ergo requiritur in Miniſtris intentio faciendi, quod facit Eccleſia.* Nihilo minus tradit Autor cum Concilio Tridentino, per Sacramenta novæ legis gratiam ex opere operato conferri, conſentiente *Thoma*, incluſis tamen diſpoſitionibus animi ſalutaribus ex parte ſuſcipientis. *Etichas* eſſe *orantes*, & *entuſiaſtas* vi vocis *ſacrificantes*, id quidem inſulſum eſt, & ignorantiam linguæ Græcæ indicat. *Paulum* rebaptizaſſe baptizatos a *Joanne* Baptiſta, ex *Act. XIX, 4, 5*, comprobare audet. Id certum eſt, *Cyprianum, Origenem, Hieronymum, & Auguſtinum*, id affirmaſſe. De modo, quo Sacramenta afferunt ſanctificationem, ſubtilia & implicata ſatis traduntur. Circumciſioni non inhæſiſſe vim tollendi vel enervandi labem inſitam, nec conferendi gratiam juſtificantem, Autor, fuſe exponit. Liceat nobis recordari promiſſionis divinæ, quæ circumciſioni fuit innexa: *Ego ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te, Gen. XVII, 7, 10. Abrahamus* certe accepit circumciſionem *in ſigillum juſtitiæ fidei Rom. IV, 11.* Viderit Autor Pl. Rev. quomodo hæc loca cum pronuntiato ſuo

Pag. 35. 41. 42. 37. 53. ſeq.

conciliare poſſit. Copioſus idem eſt, ut comprobet, Iſraelitis nil incommodi ſubfuiſſe, quo minus in ſolitudine Arabiæ
Pag. 55. infantes ſuos circumcidiſſe potuerint. Inde porro colligit, circumciſionem fuiſſe merum populi Judaici criterium gentile, ratus, remedium exſtinguendæ labis inſitæ & juſtitiæ procurandæ pertinuiſſe etiam merito ad maſculos infra octiduum a natali elapſum, ipſasque fœmellas; circumciſionem vero ad utrosque horum haud pertinuiſſe, ideoque rem eſſe conclamatam. Nec tamen audet Autor negare, ſententiam *Auguſtini* ſibi obſtare, qui contra *Pelagianos* ex pœna in *Moſen* ob in-
56. termiſſam filiorum circumciſionem irroganda, peccatum dari originis, quod circumciſione enervatum fit, colligit. Addimus autoritatem *Innocentii*, quæ habetur *Lib. III* Decretalium Titulo 42 Cap. 3: *Originalis culpa remittebatur per circumci-*
57. *ſionis myſterium, & damnationis periculum vitabatur.* Autor eam ipſam non admittit, laudans propoſitum *Innocentii*,
76. quo aliud quid per circumciſionis exemplum innotuerit. Baptiſmum Spiritus Sancti & ignis oppoſuerunt Baptiſmo aquæ, ceu inutili, Cajani, Hermiani, Seleuciani, Manichæi. *Stephanus II* Papa vinum admittit loco aquæ in caſu neceſſitatis, *Tom. XVII Concil. Labbei pag. 576.* Nodum hunc Gordium Autor enſe *Alexandri M.* reſcindit. Antiqua monumenta in picturis exprimunt *Joannem* Baptiſtam, aquas ſuper caput
79. Chriſti effundentem. Inde Autor aſperſionis ritum tanquam validum poſt argumenta alia evincit. Apoſtolos in nomine
84 ſeq. Jeſu baptizaſſe, ita, ut invocationem trium perſonarum divinitatis omiſerint, idem fuſe negat. *Nicolaum I* Romanum, qui Baptiſmum, in nomine Chriſti duntaxat adminiſtratum, habuit pro valido, ad gregem privatorum Doctorum in hoc mo-
85. mento rejicit. Errores proinde Pontificum hac diſtinctione facile poſſunt tegi, dummodo quis eos privatim ſentientes a
87. loquentibus ex cathedra diſcreverit. Baptiſmus definitur hic per *Sacramentum regenerationis ſpiritualis per aquam in*
88. *verbo.* Confeſſionis genuinæ ſpecimen Autor edit, docens, in neceſſitatis caſu licere omnibus, non tantum Presbyteris, inſtruere, prædicare, & hortari populos infideles ad veram religionem.

Ananias,

Digitized by Google

Ananias, qui *Paulum* baptizavit, fuit certe nec Presbyter, nec Diaconus, nec Epiſcopus, nec ab Epiſcopo ordinatus. Baptiſmum, ab Hæreticis collatum, pro invalido reputarunt *Tertullianus*, *Agrippinus*, Carthaginenſis Epiſcopus, *S. Cyprianus*, *Baſilius M. Optatus Milevitanus*, & fortaſſis *Athanaſius* reſpectu Baptiſmi ab *Arianis* collati. Errorem hunc ad diſciplinam meram, non ad fidem, pertinuiſſe, Autor arbitratur, quod ipſum tamen negavit *Cyprianus*. Copioſæ ſubtexuntur pro *Stephano*, Papa, *Cypriani* antagoniſta, vindiciæ adverſus *Marcum Antonium de Dominis*, & *Blondellum*, ac *Dupinium*. Ex hiſce in compendium miſſis facile eſt judicatu, quo tramite Autor per totum operis præſtituti ſpatium decurrat. Definit videlicet, probat, argumenta adverſariorum adducit, & ex genio eccleſiæ ſuæ profligat, hiſtoriasque errorum & errantium nonnunquam admiſcet. *Luthero* tamen ſæpius mentem ſupponit alienam, & Proteſtantium doctrinam haud æſtimat ex Symbolis eorum, ſed ex ſcriptis doctorum, quæ nunquam pro confeſſione publica fuerunt agnita, cum tamen privatas Paparum doctrinas a dogmatibus, ex cathedra Petri definitis, ſolicite ſecernere conetur. Ἐπιεικείαν nec hoſtibus denegandam eſſe, putamus. Operi tandem ſuffixus eſt Index accuratus & plenus. Diligentia ubique elucet: methodus ſcholaſtica utramque facit paginam: & omnia magis lucernam, quam vinum, redolent.

Pag. 90. 92 ſeq.

HERMANNI ALEXANDRI ROELL, S. S. Theol. & Philoſ. Doctoris & Prof. Commentarii in Epiſtolam S. Pauli ad Epheſios Pars altera. Ejusdem brevis Epiſtolæ S. Pauli ad Coloſſenſes Exegeſis, Opus poſthumum.

Trajecti ad Rhenum, apud Gysbertum a Paddenburg, 1731, 4.
Alph. 5 plag. 10.

Recen-

Recenſito a nobis haud ita pridem *priori Tomo* Commentarii, quo Cl. *Roell* Epiſtolam ad Epheſios explicatam dedit, facienda etiam eſt mentio *Tomi poſterioris*, ut ſic perfecti Operis exhibeatur delineatio. Licet hic *Tomus poſterior* decimo tertio poſt Autoris obitum anno, ab ejus Cl. Flio, publici juris ſit factus; teſtante tamen Præfatione, totius Epiſtolæ expoſitio a paterno ingenio profecta eſt. Lectoris enim oculis ea ſubjiciuntur, quæ Autor olim diſcipulis ſuis privatim in totam Epiſtolam dictaverat. At, cum juſti Voluminis modum iſta Commentatio explere non poſſet, conſilium fuit initum ſubjungendi Epiſtolæ ad Coloſſenſes Exegeſin, æque in ſcholis domeſticis cum auditoribus ſuis ab Autore communicatam. Uterque labor iis ſeſe probabit, quibus arrident Commentarii, nullis inanibus minutiis criticis, nec dubiis variorum interpretum ſententiis, referti, ſed qui proferunt veram, commodam, totique contextui convenientiſſimam, interpretationem, & ſic ſolius veritatis, quæ ad pietatem eſt, demonſtratione ſeſe commendant. Eorum in numerum hunc referre Commentarium nulli dubitamus. Textum enim reverenter habet, ejusque veritates egregie demonſtrat & illuſtrat. Speciminis loco ſit ampliſſima explicatio fidei ſalutaris in Dominum Jeſum, a *pag. 3* usque ad *44* extenſa, & occaſione Apoſtolicæ gratiarum actionis pro Epheſiorum fide *v. 16* conſcripta. Cujus ſumma eo redit: *Fides in genere ſignificaret aſſenſum ex argumentis a re ipſa, ſive dicentis ἀξιοπιςίᾳ, petitis exortum. Ad ejusmodi aſſenſum vel judicium de rei veritate prærequireretur credendorum cognitio, & ſubſequeretur ac conjungendus eſſet conformis naturæ rei animi affectus, amor, deſiderium, ſpes,* Pag. 14. *metus. Certe Scriptura ſacra ita ubique loqueretur de πίςει, ut nemo dubitare poſſit, ampliſſimam eſſe vocis hujus ſignificationem, eaque una totam religionem Chriſtianam, omniaque ad communionem cum Chriſto requiſita officia, exprimi. Ab ea enim vita & ſalus omniaque hujus & futuræ vitæ bona pendent. Eſtque adeo fides in Domino Jeſu vera & ſincera* ὑποταγὴ τῆς ὁμολογίας εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριςοῦ, *per quam ex corde obedimus typo doctrinæ in eo nobis tradito &*

pro-

propoſito, 2 Cor. IX, 13. Rom, VI, 17, & *tam conditiones, quam*
promiſſiones, fœderis gratiæ amplectimur, atque ita ſanctiſſi-
mum cum Deo fœdus facimus, in pacem cum eo atque amici-
tiam redimus, & jure quodam omnia ad vitam æternam &
pietatem neceſſaria reſtipulari ab eo poſſumus. Ad explica-
tionem prioris Epiſtolæ partis, quæ eſt inſtitutio de gratia Dei
in Chriſto, obſervat, *Paulum* ſibi quidem propoſuiſſe Ephe-
ſios de toto ſalutis myſterio inſtruere, & divina in ipſos ad fi-
dem converſos collata beneficia diſtinctius enarrare, ſed eo-
rum contemplatione & conſideratione pium *Pauli* animum ſic
affectum & velut extra ſe raptum eſſe, ut eorum cauſa in conti-
nuam gratiarum actionem erumperet, & ſic ſuo ſimul exemplo,
ad beneficia Evangelii tum grato animo celebranda, tum ulterio-
ribus precibus conſervanda ac perficienda, alios excitaret. Cum
gratiarum actione pro Epheſiorum fide & caritate in omnes
ſanctos, in *verſu 15 Cap. I* (a quo hic *Tomus II* progreditur,) Pag. 47.
conjunguntur preces, ut Epheſii, a ſpiritu revelationis illumi-
nati, illa tria *verſu 18* propoſita cognoſcerent: 1) ſpem divinæ 54.
vocationis, 2) divitias gloriæ hæreditatis ipſius in ſanctis, &
3) magnitudinem potentiæ ejus in omnes ſanctos. De qui-
bus egerat & ſupra, & egit in ſequentibus plenius, & quidem
de potentia a *v. 20* ad *Cap. II, 10,* de divitiis gloriæ &c. a *Cap.*
II, 11, usque ad *Cap. III, 14,* de ſpe denique vocationis inde ad
v. 20. In vocatione divina, qua per verbum ſuum jubet
hominem, per peccatum a ſe ſeparatum, ad ſuam redire gra-
tiam, ſeſe demonſtrat excellens divinæ potentiæ robur.
Quemadmodum enim illud ſeſe exſeruit in Chriſti ex mortuis 62 – 74.
reſuſcitatione, in cœlis collatione, & ad ſummum imperium
evectione; ſic æque conſpicuum eſt in Epheſiorum ex morte 74 – 82.
in peccatis vivificatione & reſuſcitatione, imo in omnium fi- 83 – 106.
delium ad ſalutem converſione, in eorum ex poteſtate diabo-
li, & dominio concupiſcentiarum carnis, & ex ſtatu iræ &
reatus, liberatione, & gratuita per fidem ſine operibus ſalvatio-
ne, ac nova creatione ad bona opera. Inde *Cap. II v. 11* usque 107 – 140.
ad *22* Apoſtolus progreditur, ut oſtenderet opulentiam gloriæ
hæreditatis Dei in ſanctis, proponendo tam præteriti temporis

Digitized by Google

miſeriam, quo gentiles ſine Chriſto alieni a teſtamentis Iſrae-
lis, & Athei, fuiſſent, quam præſentis temporis felicitatem, ubi
ſub Evangelio gauderent propinquitate eccleſiaſtica in ſangui-
ne Chriſti, reconciliatione cum Deo, & counitione cum fideli
Iſraele per crucem Chriſti, Evangelii pacis annuntiatione, &
acceſſu ad Deum ut patrem per Spiritum, jure civium ac dome-
ſticorum Dei, ac inædificatione in Chriſto, ut ſint templum &
Pag. domus Dei. Cum etiam ex gentilibus converſis ſingularis œ-
141 – 171. conomiæ gratia contigerit, grata mente illud vult agnoſci, &,
licet jam Romæ vinctus eſſet, pro hujus gratiæ adminiſtro
172 – 195. haberi, in *Cap. III, 1 – 13.* Hiſce ſubjungit petitionem, ut
ipſi corroborentur interiori homine, ut inhabitaret Chriſtus
in eorum cordibus, ut in amore radicati & fundati ejus co-
gnitione proficerent, & ſic omne πλήρωμα Dei complerent.
196. Ex qua petitione ſpes divinæ vocationis elucet. Commemo-
ratis ſic prima parte beneficiis Dei, grato animo agnoſcendis,
in ſecunda parte ad officia, quæ Deo debentur, explicanda per-
git. Ea autem vel ſpectant vitam Chriſtianam *Cap. IV, 1,*
usque ad *Cap. VI, 10,* vel militiam Chriſtianam *Cap. VI, 10 –*
197 – 256. *20.* Inter ea, quæ ſpectant vitam Chriſtianam, primo incul-
cat concordiæ & pacis ſtudium, validiſſimis argumentis, ab
unitate eccleſiæ & variorum chariſmatum diſtributione peti-
257 – 366. tis. Deinde ad mutationem vitæ adhortatur, indicando tum
deponenda vitia, tum exercendas virtutes. Vitia deponenda,
quæ hic commemorantur, ſunt mendacium, ira, furtum, ſer-
monis putredo, amarulentia, clamor & convicium cum omni
malitia, ſcortatio, & omnis impuritas, avaritia, obſcœnitas, ſtul-
tiloquium, ſcurrilitas, idololatria, tenebrarumque opera. Virtu-
tes exercendæ, quas præſcribit, ſunt veracitas, benignitas, libe-
ralitas, & miſericordia, ſermo, qui ædificet, & det gratiam au-
dientibus, ignoſcentia, imitatio Dei & Chriſti in charitate,
ambulatio in luce, exploratio voluntatis divinæ ad ferendos
fructus Spiritus, bonitatem nempe, juſtitiam, & veritatem, fuga
operum tenebrarum, eorumque reprehenſio & correctio, vi-
gilantia Chriſtiana, accurata & ſapiens vitæ inſtitutio, rectus
mali temporis uſus ſecundum voluntatem Dei, temperantia &
ſobrie-

Digitized by Google

ſobrietas, exercitia pietatis in cantionibus & gratiarum actione, reverentia & ſubjectio mutua. In exercenda ſubjectione Pag. 366.
mutua adhortatur uxores ad obedientiam erga viros exemplo eccleſiæ: viros ad amorem & curam uxorum exemplo Chriſti, 370 – 400.
cujus arctiſſima ſit cum eccleſia ſua conjunctio: liberos ad 401 – 412
obſequium & reverentiam erga parentes: parentes ad manſuetudinem erga liberos, eorumque educationem in diſciplina Domini: ſervos ad obedientiam erga Dominos in timore 412 – 420.
Dei: Dominos ad lenitatem erga ſervos, ex reverentia Dei, ſummi Domini ac Judicis. Militia Chriſtiana autem provo- 421 – 450.
cat omnes ad fortitudinem in Domino, ad certamen ſpirituale contra Diabolum aliosque hoſtes, ad rectum armaturæ Dei uſum, ad quam pertinent cingulum veritatis, thorax juſtitiæ, ſcutum fidei, galea ſalutis, gladius verbi Dei. Nec minus po- 451 – 456.
ſtulat continuas preces pro omnibus, quas *Paulus* ſibi etiam expetens, omnia tandem pacis, charitatis, & gratiæ, voto conclu- 457 – 461.
dit. Hæc omnia, binis tantum verbis indicata a nobis, in Commentario accuratius inveſtigata & explicita inveniuntur. Cum ejusdem Autoris brevis *Epiſtolæ Pauli ad Coloſſenſes* Exegeſis ſit adjuncta, ex ea nonnulla nos recenſere oportet. De Coloſſenſi- 6.
bus, ad quos hæc Epiſtola ſcripta eſt, refert, eorum urbem in Aſia minore, & quidem Laodiceæ & Hierapoli vicinam, juxta cum iis, anno Chriſti 66, imperante adhuc *Nerone*, & paulo poſt mortem *Pauli*, magno terræ motu concidiſſe, & abſorptam fuiſſe, *Oroſio*, *Eutropio*, & *Euſebio*, credendum eſt. Occaſionem ſcribendi fuiſſe, quod *Paulus* ex Epaphra intellexerit, magnum ipſis imminere periculum cum ab iis, qui legem cum Evangelio, tum ab iis, qui Philoſophiam gentilem cum Theologia Chriſtiana miſcere volebant, atque adeo & fidei & vitæ ipſorum inſidias ſtruebant. Proinde id agit Apoſtolus, ut non tan- 30 – 72.
tum vitam & mores Coloſſenſium credentium laudet, ſed & ad fidem & pietatem eos magis magisque informet, & tali modo ab erroribus & vitiis, & ſimul ab ἐθελοθρησκείᾳ, & fucata pietate, & Angelorum cultu, ac legis obſervatione, abſtrahat, *Cap. II, 18.* His erroribus enim opponit ſermonem veritatis Evangelii, in toto mundo prædicati, orans Deum, ut impleantur cognitione

Digitized by Google

voluntatis ipſius in omni ſapientia & prudentia ſpirituali, quam ſine dubio opponit Græcorum ſapientiæ *1 Cor. I, 22.*
Pag. 87. Docente etiam *Paulo Cap. I, 14, nos in Chriſto habere redem-*
93. *tionem, & remiſſionem peccatorum*, & Chriſtum *v. 15* deſcribente, *ut imaginem Dei inviſibilis, primogenitum omnis creaturæ, per quem omnia condita ſint in cœlis & in terra, etiam throni & dominationes*, &c. *quique fuerit ante omnes & omnia, & in quo omnia ſubſiſtant, qui ſit caput eccleſiæ, principium & primogenitus ex mortuis, primas tenens in omnibus, & in quo omnis plenitudo habitet*, veriſimile eſt, has veritates opponi totidem erroribus. Tales enim errores tum de expiatione peccati & reconciliatione cum Deo, tum de minoribus Diis & Angelis, ex gentilium Philoſophia primum in Judaiſmum, deinde in Chriſtianiſmum, fluxiſſe, notum eſt. Quæ enim veteres ex Scriptura de Angelo fœderis cognoſcere debuiſſent, ea non ſatis recte intelligentes, in *Pythagoræ* & *Platonis* errores ſeſe dabant præcipites. *Plato* enim, Deunculos quosdam a Deo ſummo creatos eſſe, dicebat, per quos reliqua eſſent creata. Hujus *Platoniſmi* manifeſtiſſima ſunt veſtigia in Judæorum Cabala, ubi etiam fit mentio thronorum, dominationum, poteſtatum, principatuum, & variorum ita ordi-
110 ſeq. num Angelorum, quæ Pſeudo-*Dionyſius Areopagita* poſtea exornavit, & ad Scholaſticos transmiſit. Horum jactatam ſapientiam *Paulus* proſcribit, quia hi homines ingrederentur in ea, quæ non vidiſſent, *Cap. II, 18.* E contrario Chriſtum proponit, non tantum ut Angelorum creatorem, ſed & ut unicum eccleſiæ caput, in cujus ſolius ſanguine ſit remiſſio peccatorum, nec alii inter Deum & homines mediatores ſint quærendi. Duæ vero totius Epiſtolæ partes conſtitui poſſunt, quarum priori commemoratio & commendatio veræ fidei Evangelicæ,
391 – 496. poſteriori vero præcepta vitæ Chriſtianæ, continentur, in oppoſitione ad falſa illa hominum dogmata, de quibus jam mentionem fecimus. Utrique *Tomo* adjuncti ſunt Indices neceſſarii.

DIFESA SECONDA DELL USO ANTICO delle Pandette, &c.

h. e.

Digitized by Google

h. e.

CONTROVERSIA SECUNDA DE USU antiquo Pandectarum, ac inventione famoſi Codicis manu ſcripti in oppido Amalfi, Autore BERNARDO TANUCCI DA STIA, Advocato, & Lectore Quæſturæ civilis apud Piſanos, contra Vindicias P. D. GUIDONIS GRANDII, Abbatis Camaldulenſis, ac Lectoris Mathematices in Gymnaſio Piſano. Libri II, ad Illuſtriſſimos & Nobiliſſimos Dominos Proceres populi Piſani.

Florentiæ, imprimente Bernhardo Paperini, 1729, 4. Alph. 1 plag. 14.

Autor, antiquitatum Juris Civilis æque ac Canonici peritiſſimus, plagulas formis deſcriptas paſſim per curas poſteriores emendavit. In Præfatione amolitur autoritatem teſtimonii, adverſus ipſum ex *Accurſio* depromti, quem in hiſtoria & antiquitate cæcutiiſſe, variis eruditorum teſtimoniis contra adverſarium ſuum, Doctiſſ. *Grandium*, contendit. Addit, *Pomponium Libro II de Origine Juris* ſæpius fuiſſe halucinatum, ſiquidem *Tarquinium Priſcum* habuerit pro patre *Tarquinii Superbi*, notante jam *Budæo*. *Muretus* aliam quoque notavit *Pomponii* aberrrationem. Plura præterea in *Pomponio* reprehenduntur ac emendantur. *Joannes Baptiſta de Vico* libris duobus editis oſtendere fuit conatus, *Hermodorum* Epheſium Romæ exiſtere haud potuiſſe; fictum potius eſſe, quicquid de legibus illis e Græcia petitis, miſſisque eo a populo Romano legatis, olim a majoribus traditum fuerit. Hoc male habuit *Grandium*. Sed ipſe *de Vico* eſt adhuc in vivis, & *Grandio* reſpondebit. Oſtendit Autor porro, *Demſterum* confinxiſſe libros & Autores rerum Scoticarum, Hibernicarum, & Wallicarum. *P. Grandius* abjudicat *Ivoni* Carnutenſi *Opus Decretorum*, *Pannormiam* vero ei attribuit. Prius Opus Noſter ei reſtituit vindicatque. *Imperatores* dictos quoque fuiſſe *Re-* Pag. 1 ſeq. 12 ſeq.

Digitized by Google

ges, fuſe comprobat. Per *Conſtitutiones Catholicorum Regum*, e quibus inter alia *Ivo* compilavit Decretum, intelligit Codicem *Theodoſianum*, & *Juſtiniani* libros, ac Regum Franciæ
Pag. 20 ſeq. Capitularia. *Ivo* certe in *Ep. 242 Juſtiniani* ac Codicis Novellarum meminit. Autor *Lib. I Cap. 3* multorum ſcriptorum e teſtimoniis evincit, Pandectas in *Pannormia* citari ſeu laudari. Idem fit in Decreto etiam, judice *Natali Alexandro.*
24. Id ſeſe ex collatione alias eſſe demonſtraturum, promittit.
26. *Guilielmus Malmesburienſis* jam ad annum 1125 memorat le-
29. 51 ſeq. ges *Juſtiniani.* Contendit porro Autor, *Gratianum* jam Di-
41 ſeq. geſtis fuiſſe uſum. Codex certe *Theodoſianus* in Gallia magnæ fuit autoritatis, teſte *Petro de Marca de Concordia Sa-*
43. *cerdotii & Imperii Lib. III Cap. 6.* Fama, multitudinis teſti-
113 ſeq. monium, nihil probat. De *Petri Blæſenſis* Epiſtola XXVI critice diſputatur *pag. 83 ſeq.* Liber ſecundus Autoris inventionem Amalfitanam copioſe perſequitur, quam Ven. *Guido Grandi* deſtruere tentavit. *Viglius, Volaterranus, Torellus, Sigonius*, aliique ſcriptores recentiores, tradiderunt, Pandectas vetuſtiſſimas circa A. 1136 Amalfi eſſe inventas, & a *Lothario* Cæſare Piſanis donatas. *Torellus* ad antiquos Piſanorum Annales, apud *Plotium Griffium* obvios, provocavit. *Lotharium*
121 ſeq. Jus Civile in ſcholas introduxiſſe, *Conradi Urſpergenſis* Continuator, ni ipſe, ac *Sigonius*, clare docent, haud ſecus ac *Florentinius* cum *Vizzanio.* At primus ait, rogatu *Mathildæ*, Comitiſſæ, *Lotharium* id inſtituiſſe, quæ tamen A. 1115 obiit. At *Florentinius*, Piſanas Pandectas ab *Irnerio* nequam uſui ad-
131 ſeq. hibitas fuiſſe, ſentit. Negat *Fridericus Lindenbrogius*, reſtitutam a *Lothario* Saxone Jurisprudentiam, ſiquidem Edictum *Lotharii* ſuper ea re deficiat, & *Sigonius* a *Conrado Urſpergenſi* in errorem fuerit inductus. Idem contenderunt *Georgius Calixtus* ac *Hermannus Conringius.* At Edictum Cæſaris haud erat neceſſarium, quia leges *Juſtiniani* apud Italos dudum valebant ac vigebant, ideoque nova introductione haud indigebant. *Brencmannus* fidem Annalibus *Griffii* denegat, quippe qui falſa tradant de Piſanorum ad Amalfin geſtis; inventionem tamen Amalfitanam haud vocat in dubium, diſtin-

guens

guens Amalfin Neapoli adjectam, quæ hic in cenſum venit, a Melfi Apuliæ. Noſter vero totus in eo eſt, ut Annalium *Griffi* autoritatem tueatur, quam averſatur *Grandius* una cum *Bolognino*, quem vocat *hominem ſimplicem ac ineruditum*, ſiquidem eis Annalibus fidem habuerat. Exemplum Annalium Piſanorum, in publica & avthentica forma, ut quibusque pateat, huc transponemus: *In nomine Domini Amen. Noverint univerſi & ſinguli preſentem paginam inſpecturi, viſuri, & audituri, quemadmodum apparent & reperiuntur in libro Chronicæ Piſanæ Civitatis exiſtente in Domo magnifici Viri Philippi Comitis, Filii quondam Nobilis & inſignis deaurati militis, & Comitis Joannis de Griffis Piſani Chronice inſcripto. Tenor ejus eſt videlicet: Incomincia la guerra contro il Re Rogerio di Sicilia inimico della Gieſa Romana. Per la qual coſa del anno* MCXXXVI *li tredici di Zugno, ſi fece il Concilio in Roma, al quale forno molti Cardinali, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abati, & Sacerdoti con molti Signori & Oratori. El quale Concilio durò inſino all' octavo Idus Junii. E per comandamento di eſſo ſommo Pontefice Papa Innocenzio II, li Piſani pridie nonas Auguſti armorono 46 Galee, e forono alla coſta de' Malfi, e quello di per forzia lo preſero con ſepte Galee, e doe Nave, in la quali ritrovorono le Pandette compoſte dalla Regia Maeſtà di Juſtiniano Imperadore, e da poi quella bruſorno, e l'altro di a Trani, e quello preſono a forza,* &c. *Ego Raphael olim Joannis Pacis de Caſcina civis, & Notarius publicus Piſanus, prædictas Chronicas de libro Chronicarum dicti Magnifici Viri Philippi Comitis de Griffis fideliter & veraciter ſcripſi* &c. Particulæ huic Annalium opponuntur momenta quinque: 1) quod eo anno Concilium Romæ haud fuerit convocatum; 2) quod haud potuerint Piſani unico die parare copias, ſimulque advolare ad littus Amalfitanum; 3) quod Amalfis falſo perhibeatur tum exuſta; 4) quod unico die haud liceat Amalfi inde progredi Tranium; 5) quod ſcriptor confuderit bellum primum Amalfitanum cum ſecundo. Ad hæc docte & diligenter diluenda Autor nulli parcit operæ, robuſtiori manu pugnaturus, ſi

Pag. 139 ſeq.

145 ſeq.

ſi teſtimonia ex Seculo XII genuina fideique plena in lucem Pag. 176 ſeq. protrahere valeret. *Lotharium* Saxonem dici *tertium*, egregie idem oſtendit, ac ubique eam impendit moderationem, quæ viro erudito & ampliſſimo eſt digna. Errare enim eſt humanum; at erroribus aliorum moroſe, & ſepoſitis decori regulis, inſultare, fatuitatem prodit & arrogantiam, ingeniis liberalibus parum convenientem.

HERMANNI BOERHAAVE DE MERCURIO Experimenta.

Trajecti ad Rhenum, apud Jurrianum a Paddenburg, 1735, 8.
Plag. 3.

Quam obſcure etiam myſteria ſua exponant, quam ſollicite eadem tegant, Alchimiæ cultores, aſſidua tamen librorum ab iis editorum lectione Illuſtris *Bœrhaavius* cognovit, unam eſſe mentem omnibus, qua ſcilicet putant, metalla ſuis in venis naturaliter generari, ali, creſcere, & multiplicari, ut cetera naturalia, ſuo quæque loco; alimenta etiam metallorum, alienæ prius indolis, vi genitali ſeminis metallici verti in naturam vere metallicam, ita, ut ſola hac ſeminali poteſtate priſtinam proprietatem exuant, & novam hanc conſequantur, uno temporis prægnantis fotu, eadem penitus ratione, ut animantum & ſtirpium ſemina ſuum in nutrimentum accepta alimenta mutant. Quod vero ad hujus generis pabulum attinet, ajunt plerique, eſſe argentum vivum materiem omnibus communem metallis; hoc potentia vitalis ſeminis mutatum reddere metallum definitum, juxta ſingularem proprietatem ſeminalis efficaciæ; ſingula ergo metalla argento vivo & hac vi metallifica (ſulphur vocant) mature percoctis perduci in ſpeciem perfectam ſingularis metalli; hinc & in bina hæc reſolvi iterum unumquodque metallum. Ipſi tamen argento vivo a prima nativitate inhæreſcere originalem labem, intime concretam, miris cum eo modis inoleſcentem, hinc difficillime ab eo ſeparandam; non eſſe ideo argentum vivum ſimpliciſſimum,

Digitized by Google

mum, neque liberum, ſed per alienum illud, quod inhæret, jam definitæ naturæ, & propterea vix pati, ut obſequioſum virtuti particularis ſeminis metallici, in naturam unius metalli ſingularem perducatur; ſi vero arte difficillima repurgetur penitus ab ea peregrina macula, tum demum haberi liquidum metallicum ponderoſiſſimum, ſimpliciſſimum, nulla arte, nec natura, unquam in diverſa diviſibile, in quo ſoluti cujusque metalli ſemen vivificatum ſe perfectiſſime multiplicaret, & in quo aurum ipſum deliqueſcens, fotum, maturatum, foret laboris ſupremum pretium, quæſitum adeo atque decantatum. Quare Cel. *Bœrhaave* diu in eo elaboravit, ut experiundo perdiſceret, quonam tandem artificio tam ſincerus parari mercurius, & an ex metallis ille elici queat; quæ metalli illa pars altera ſua ſub juga liberum trahat mercurium. Experimenta itaque, eam in rem inſtituta, cum effectibus & corollariis, quæ inde promte conſequuntur, literis mandavit, Transactionibus Londinenſibus inſerta. Ut vero ad plures eorum utilitas redundaret, eadem ſeparatim, præclarorum quorundam Virorum autoritate motus, Typographus excudit. Utraque, cum experimenta, tum corollaria, breviter nervoſeque pro more Illuſtris Autoris proponuntur, ut, ſi nonnulla ex iis excerpere, & in ſumma redigere, nobis eſſet animus, ipſum potius libellum integrum huc transſcribere neceſſe haberemus. Ipſe tamen Autor, omni fide quam maxime dignus, hæc experimenta tam certa eſſe, & tam bona fide a ſe narrari, refert, ut pro veris haberi queant, nec opus fore deinceps aliis, ut ea repetant, ſed tantum pro veris jure meritoque utantur, ad quæ proinde legenda & noſtros Lectores harum rerum cupidos invitamus. Utinam vero & alia, de eductione mercurii ex metallis, de actione ejus in metalla, de metallis ipſis, experimenta propediem lucem publicam viderent, quæ in calce hujus Opuſculi Cel. Autor pollicetur!

Angenehme, curiöſe, und nützliche Nachrichten von Phyſical- und Mediciniſchen, auch dahin gehörigen Kunſt- und Literatur-Geſchichten.

h. e.

Digitized by Google

MISCELLANEA PHYSICO - MEDICO-Mathematica ad Annum 1730.

Erfordiæ, apud Carol. Frid. Jungnicolium, 1734, 4. Alph. 3 plag. 4, Tabb. æn. 2.

Quam in ſe ſuſcepit Cl. *Büchnerus* operam colligendi, & in ordinem redigendi, varias eruditorum, qui huic favent inſtituto, Obſervationes, ea ſtrenue defungitur, &, quæ A. 1730 notatu digniora viſa ſunt, hoc *Tomo* complectitur. Prima Claſſis cujusvis menſis ordine recepto Obſervationes meteorologicas continet, & diarium tum Norimbergenſe, tum Lœbavienſe, exhibet, cui ſimul variæ tempeſtatis prædictiones e diverſis ephemeridibus junctæ ſunt, ut, quantum illæ veræ aeris conſtitutioni reſponderint, inde liceat judicare. Prioribus menſibus etiam Obſervationes Barometricæ Tigurino-Gothardinæ, a Cel. *Scheuchzero* olim communicatæ, de quibus in commemoratione antecedentis *Tomi* plura diximus, adhuc comparent, quas vero obitu viri laudati interruptas eſſe, merito dolemus. Has excipiunt varia fragmenta mutationum tempeſtatis, variis locis annotatarum. Altera Claſſis morborum epidemicorum, ab aere plerumque pendentium, hiſtoriam continet, atque, cum olim Vratislavienſium morborum relatio, utpote qua in urbe *B. Kanoldus*, hujus inſtituti olim director, praxin exercebat, primo loco comparerent, jam Erfordienſes in eorum vicem ſuccedunt, præmiſſa erudita, de aeris in ſanitatem morbosque influxu, digreſſione. His aliarum regionum morbi, quorum a ſociis transmiſſa eſt notitia, ſuccedunt. Poſt hæc ſingularia phænomena, tam in macrocoſmo, quam microcoſmo, obſervata, fuſius recenſentur, artis etiam inventa communicantur. Singulæ Claſſes varia notatu digna continent, quorum aliqua ad acuendum lectorum deſiderium commemoraſſe ſufficiet. *Pag. 825* tempeſtatis inſignis, menſe Januario inſolito tempore ingruentis, fulmine crebro, perpetuo fragore, terribilis, ventorum impetu varias regiones peragrantis, mentio injicitur. *Pag. 1071* non minus memorabilis, quæ menſe Majo Berolini contigit, & recens exſtrui cœptam turrim ter petiit, fuſius recen-

cenſetur; luminis borealis, phænomeni, olim rarioris, nunc pervulgati, frequens injicitur mentio, ſimileque fere in regione Siamenſi, at in oppoſita cæli plaga, obſervatum, quod a ſitu lumen auſtrale (*Südſchein*) dicendum videtur, notatur. *Pag. 1130*, mercurium in barometro per totum menſem Junium infra gradum trigeſimum ſubſtitiſſe, obſervatur, ejusque ratio ex peculiari planetarum poſitu petitur. *Pag. 1260*, duplicem lunam eodem tempore viſam, legimus, quarum alteram repercuſſioni radiorum lunarium in plaga oppoſita, & diſpoſitioni tenuium intermediarum diaphanarum nubium, originem debuiſſe, evincitur. *Pag. 1327*, de pluviis ſulphureis, veris æque ac putatitiis, disquiritur. De remediorum variorum hiſtoria, præparatione, ſingulari virtute & efficacia in certis morbis, varia hinc inde inſeruntur. *Pag. 826* marum verum in ophthalmia, *871* oleum maſtichis externe applicatum in teneſmo laudatur, *1010* ſalis Sedlicenſis in epilepſia ſedanda uſus docetur, *1131* nonnullæ cautelæ in paranda tinctura tartari traduntur, *1019* boletus phalloides botanice deſcribitur, ejus principia, indeque pendentes vires, examinantur, *1330* de diſtincto vegetabilium ſexu fuſius agitur, *1008* remedia ægrotantibus per inſomnia patefacta, & cum levamine adhibita, commemorantur. Morborum cauſæ, metaſchematiſmi eventus rariores, larga manu exhibentur. *Pag. 829* de melancholiæ in epilepſiam, hujus in apoplexiam lethalem, tranſitu legimus, *835* paſſionis hyſtericæ & colicæ ſingularia quædam notantur, *869* noxa potus frigidi poſt motum corporis fortiorem, præſertim in fœminis menſtruatis, exemplis funeſtis docetur, *892* Aſthmatis, per biennium infeſtantis, plena per icterum facile ſanabilem ſolutio narratur, *1062* hæmorrhagia e ſectis venis raninis inſignis relata, cujus occaſione de uſu & noxa hujus venæſectionis diſſeritur, *1075* ſingularis melancholiæ cauſa a plumis noctuæ veſti inſutis adducitur, *1087* de calculis in inteſtinis generatis, atque per alvum excretis, agitur, *1117* mulieres quoque podagra laborare, exemplo oſtenditur, *1137*, hæmorrhagia enormis ex ulcere penis venereo, aliaque e dente carioſo non minoris momenti, allegantur, *1402* e tumore fallopianæ tubæ diu geſtato, per ſectionem fruſtum ma-

 xillæ

xillæ, itemque dentem molarem & pilorum faſciculum, extracta legimus. Sed, ſi ſingula vellemus enarrare, totius nobis Operis Index eſſet conficiendus. Speramus tamen, vel ex his Lectoribus de reliquarum Obſervationum valore poſſe conſtare, utiliſſimæque hujus Collectionis continuationem avidiſſime expectamus.

LEZIONI TRE SOPRA IL TREMOTO.
h. e.
LECTIONES TRES DE TERRÆ motu.

Romæ, apud Jo. Mar. Salvionium, 1733, 8.
Plag. 6.

Doctiſſ. Autor, *Jo. Bottarius*, occaſione noviſſimi terræ motus, qui Florentiam A. 1729 terruit, tres iſtas Lectiones in Academia de Cruſca recitavit. In quibus principio id agit, ut oſtendat, quantam habeat difficultatem propoſita quæſtio, & quam incertæ planeque falſæ narratiunculæ de terribili illo phænomeno vulgo circumferantur. Deinde præcipuas Philoſophorum ſententias affert & redarguit. Poſtremo, quid ſibi veriſimillimum videatur, exponit. Non placent, ingentes illæ frequentesque ſpeluncæ, quas plerique, cum alibi in terreſtri globo, tum maxime ſub iis regionibus & locis, imaginantur, quos terræ motus concutit. Docet, celebratiſſimas cavernas multo minores eſſe, quam narrantur: nec fieri poſſe, ut vel propter fulcra ſpeluncarum, ætate ſubruta, vel propter impetum aquæ fluviorumque, per eas labentium, vel propter accenſos ibi vapores igneos, vel propter vim aeris incluſi, terra contremiſcat. Non negat, probabiliſſima eorum eſſe placita, qui cauſam terræ motus quærunt in halitibus ſulphureis, bituminoſis, & ſalinis, ſub terra accenſis, quos imitatur pulvis noſter bellicus, in cuniculis, arte paratis, inflammatus. Sed multa tamen non minus huic ſententiæ, quam ceteris, opponit: & illud maxime, quod, cum quidam terræ motus latiſſime

me pateant, ad hoc non ſufficere videantur cavernæ mediocres, anguſtis quibusdam viis forte inter ſe connexæ, ſed tales, quæ vaſtiſſimæ ſint, & ſub ipſis maribus porrigi longe lateque debeant: itemque illud, quod nonnulli, tempore terræ motus, in libero agro commorati, ſe nihil tremoris ſenſiſſe, retulerint; & quod ædificiorum fornices ac tecta rumpi identidem ac lædi obſerventur, ſalvis partibus inferioribus. Denique de variis, & potiſſimum de quatuor illis, motuum generibus diſputans, quorum unus tremor vocari ſolet, alius motus ad perpendiculum, tertius horizontalis, quartus inclinatio, ad nullum eorum aptam eſſe terram ſolidam & minus elaſticam, contendit. Itaque hæc ejus eſt ſuſpicio, non terram ipſam, ſed ſola ædificia, & res, quæ ſuperficiei terræ adhærent, a cauſa quadam, ſupra potius, quam ſubtus, quærenda, atque, ut breviter dicamus, a certo motu aëris externi, conquaſſari. Hunc motum, ejusque cauſam, non quidem perſecte definire audet, ſed tamen exemplis quibusdam illuſtrat, minutisque & infinito numero celerrime repetitis ictibus particularum aerearum attribuit: perinde ſcilicet, ut validiſſimæ turres ædesque, cum vel campanæ majores in iis pulſantur, vel tubæ fortius inflantur, item ædificia quæque, cum tormenta bellica proxime exploduntur, vel plauſtra onuſta per vias lapidibus ſtratas prætervehuntur, notabiliter contremiſcunt: quas res omnes, aliasque ſimiles, homini ſurdo perquam difficile eſſet a terræ motu diſtinguere, licet, eas cum nullo ejusmodi motu ipſius telluris conjunctas eſſe, ſatis certum ſit. Negari non poteſt, omnes ſonos ac fragores tremorem aeris excitare, cum aliis quibusdam rebus, inprimis notabiliter elaſticis, facile communicandum. Utrum vero ſatius ſit, hujusmodi tremorem neſcio quem tacitum atque adeo vehementem fingere, ut ædificia plurima ac robuſtiſſima puncto temporis vel evertere, vel rumpere & labefactare, poſſit, an cavernas ſubterraneas paſſim imaginari, etiam ſub mari inter ſe pervias, & ab accenſis vaporibus, pulveri bellico ſimilibus, ex ipſaque terra non ſine fragore interdum erumpentibus, hoc eſt, a veris fulminibus ac tonitrubus ſubterraneis, concuſſas? utrum porro eorum major

jor eſſe autoritas debeat, qui in apertis campis nihil de terræ motu ſe ſenſiſſe memorant, an eorum, qui contrarium teſtantur? poſtremo, an extra dubium poſita ſint, quæ aſſumere Clariſſimus Autor videtur, cavernas potius ſingulares vaſtiſſimas ad terræ motum late patentem requiri, quam plures minores, inter ſe quoquo modo connexas; & eosdem concuſſus, eodem temporis puncto, ad loca longiſſime diſſita pertingere; & ædificiorum ſolida fundamenta citius a vero terræ motu, quam tecta, fornices, & partes quasque altiores, minusque validas, lædi debere? hæc omnia Lectoris judicio relinquenda putamus.

PHILOSOPHIA MATHEMATICA NEWTONIANA illuſtrata per DOMICKIUM.

Londini, 1731, 8.
Alph. 1 plag. 3, Tabb. æn. 16.

Nemo niſi culpa ſua ignorat, *Newtonum*, Virum ſummum, in Principiis Philoſophiæ naturalis mathematicis, de quibus toties dictum eſt in his *Actis*, cognitionem naturæ mathematicam per illuſtria ſpecimina promoviſſe, in quibus intelligendis & expoliendis ingenium ſuum exercuere Mathematici præſtantiſſimi. Cum vero Opus illud intellectu difficile ſit, plurimorum induſtria id agitur in Anglia, ut tyronibus, a quorum captu valde remotum eſt, reddatur magis acceſſum. In horum numero eſt Cl. Autor, qui, ut nihil prætermittat, quod huc facere poſſit, ab ovo tractationem ſuam orditur. *Tomo* igitur *primo* præmittit Introductionem, in qua algorithmum communem, tam in numeris vulgaribus, quam literalem, &, ubi ad potentias progreditur, non modo formulam generalem radicem binomiam ad potentiam aliquam indeterminatam evehendi, quæ vulgo *theorema Newtonianum* dici ſolet, verum etiam potentiarum characteriſticam, explicat, qua quantitates irrationales ad rationales reducuntur. Ex formula iſta deducit formulas generales pro Logarithmis, quas tam ad

Nepe-

Digitized by Google

Neperianos, quam *Briggianos*, applicare docet. Progreditur deinde ad Algebram, ubi de æquationum reductione, & radicum extractione ex iisdem, agit, & tandem quoque calculum fluxionum declarat, tam directum, quam inverſum. In his omnibus, etſi concinna brevitate utatur, in perſpicuitate tamen nihil deſiderari patitur. Abſoluta omni Arithmetica, eadem brevitate & perſpicuitate præcipua Geometriæ elementaris theoremata demonſtrat: quod ut fieri poſſit, methodo generica utitur, quæ ad contrahendas demonſtrationes plurimum facit. Rationem diametri ad peripheriam circuli demonſtraturus, ope Arithmeticæ fluxionum elicit formulam ex data tangente inveniendi arcum. Quoniam vero ſeries infinita pro circulo, quæ prodit ſubſtitutione tangentis 45°, & vulgo *Leibnitiana* vocatur, propterea, quod parum appropinquet, in elicienda ratione diametri ad peripheriam circuli nimia calculi tædia procreat, cum *Sharpio* potius tangentem 30 graduum adhibet. Similiter ope methodi genericæ palmarias ſectionum conicarum, in ipſo cono ſpectatarum, proprietates deducit, earumque quadraturas per calculum fluxionum inverſum, ſeu integralem, expedit. Addit de cycloide & ſpirali, quæ ad Opus *Newtonianum* intelligendum requiruntur. Denique Trigonometriæ quoque planæ principia tradit, ubi ad inveniendos ſinus & tangentes ex dato arcu & contra elicit formulas, hodie notiſſimas, ope calculi integralis. Principiis præmiſſis, quæ ſufficiunt ad Opus *Newtonianum* intelligendum, *Tomo ſecundo* ad ipſum hoc Opus enucleandum pedem promovet. Hic non minus, quam in priori Parte, ea utitur brevitate ac perſpicuitate, ut nec copioſus in rebus per ſe claris ſermo lectori tædium, nec in obſcurioribus nimis conciſus, multum laboris & negotii faceſſat. Ea autem capita illuſtrat, quæ ipſe *Newtonus* tanquam præcipua ſedulo legenda & ruminanda commendavit, & quibus intellectis ad cetera proprio marte perluſtranda ſatis inſtructus redditur lector. Suam igitur tractationem decidit in *tres Partes*. *Prima* continet definitiones Autoris, in quem commentatur, & leges motus generales, ex phænomenis erutas, ex quibus deinde, exemplo Autoris, deducit, quæ ad æquilibrium gravium, & motum

cor-

Digitized by Google

corporum, tam elatere carentium, quam elaſticorum, pertinent. *Parte ſecunda* progreditur ad argumentum, quod præcipuum eſt in Opere *Newtoniano*, vires nempe centripetas, & attractationem, ſeu gravitationem, corporum in ſe invicem. In attractionibus actionem æqualem eſſe reactioni, ex phænomenis elicit. Conſiderat hic primo motum projectilium in medio non reſiſtente, & motum penduli in cycloide oſcillantis. Deinde exponit motum corporum, in ſectionibus conicis gyrantium, &, quæ traduntur in abſtracto, ad motum tam planetarum primariorum circa ſolem, quam ſecundariorum circa ſuos primarios, applicat. Denique corporum ſphæricorum mutuam attractionem ſeu gravitationem in ſe invicem comtemplatur. Tandem *Parte tertia* principia in *ſecunda* demonſtrata, ad reddendas rationes phyſicas motuum cœleſtium, ac pendentium inde phænomenorum, totiusque adeo ſyſtematis mundani, transfert. In hisce ſingulis recenſendis ut verboſi ſimus, opus non eſt, cum *Newtoniana* inventa, quæ in Opere præclaro Principiorum continentur, dudum recenſuerimus in his *Actis*. Ipſe autem Autor monet, ſe pleniorem Lunæ theoriam & Planetarum calculum, nec non lucis & colorum, ſonorum & fluidorum, phænomena explicanda, in aliud tempus reſervare, ut nihil deſideretur eorum, quæ ad cognitionem naturæ mathematicam amplificandam dedit *Newtonus*.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ COMPENdium, a Chriſto nato usque ad annum MDCC, Autore JO. ALPH. TURRETINO, in Eccleſia & Academia Genevenſi Paſtore, S. Theologiæ & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Profeſſore.

Genevæ, typis Fabri & Barrillot, 1734, 8.
Alph. 1 plag. 7.

Coryphæus ſuæ Eccleſiæ, *Turretinus*, quem ſcripta limata, ac moderationis Theologicæ ſtudium, dudum immortalitati conſecrarunt, in uſus publicos adeo ſeſe demiſit, ut Compendio dio

Digitized by Google

dio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ elaborando animum appulerit. Ut vero ex digito gigantis de integri corporis proceritate & robore judicium ferri poteſt; ita facile ex nomine Editoris pateſcit, Compendium hocce habere aliquid eximii & inexpectati. Præfatio cauſam ſcriptionis, & adhibitas in ſcriptione regulas, exponit. Cauſæ locum occupant evitatio laboris, qui in deſcribendo a tironibus erat ponendus, tentamen, quod ex Hiſtoria Eccleſiaſtica imponitur apud Genevenſes adſpirantibu ad miniſterium ſacrum, nec non adhortationes Amicorum. Præcipua Autori cura fuit veritatis, ſecunda utilitatis & momenti. Ipſe enim jam inde ab A. 1697 publicas ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam prælectiones ſuppeditavit in pubis Academicæ ſalutem. Hic habentur ſelectiora & præ ceteris notatu digna, nempe primordia Chriſtianiſmi, ejusdem propagatio, motæ in eum perſecutiones, varius per varias ætates Chriſtianæ rei ſtatus, varii mores, conſuetudines, inſtituta, præcipuæ controverſiæ unoquoque Seculo agitatæ, errorum ac ſuperſtitionum, nec non tyrannidis Pontificiæ, natales atque progreſſus, denique Chriſtianiſmi inſtauratio per beatam reformationem. Non diſſimulat eorum culpas, a quibus orbis Chriſtianus in partes, perſæpe ob res leviſſimas vel obſcuriſſimas, fuit ſciſſus. Pragmatice pleraque, & nexu eventuum cum cauſis copulato, ſunt perſcripta. Exulat hic anxia rerum cujusque Seculi in claſſes diſtributio, ne interrumpatur filum hiſtoriæ pragmaticæ. *Duas* in *Partes* dividitur hocce Compendium. *Prior* de XV primis Seculis agit; *poſterior* Seculis XVI & XVII enarrandis fuit aſſignata. Perſpicuitas ſtili, brevitas commemorationis, ſanitas judiciorum, ubique exſplendeſcunt. *Joannes*, in oleum ignitum Pag. 8.
conjectus, hic in claſſe veritatum eminet. *Paſchaſius* primus de eychariſtia ſacroſancta ad hodiernum eccleſiæ Romanæ ſen- 91.
ſum ſcripſit Seculo IX, *Bellarmino* & *Sirmondo* id agnoſcentibus. Celebris illa de *Joannæ* Papiſſæ Pontificatu hiſtoria 96.
ſtare non poſt cum chronologicis hiſtoricisque rationibus. Cœlibatus a Clericis ſacerdotibusve fugiendi mandatum turbas Seculo XI excitavit bene multas. Clerici Mediolanenſes 140.
haud pauci, cum uxores dimittere nollent, ab eccleſiæ Romanæ

Digitized by Google

communione ſeceſſerunt, & in loco Patarea dicto ſibi peculiares inſtituerunt conventus. Hæc fuit origo Patarinorum, ſive Waldenſium, ſi Autoris conjecturæ probabiliſſimæ aſſurgimus.
Pag. 199. *Nicolaus de Lyra* reputatur pro Judæo, qui deinceps doctri-
194. næ Chriſti nomen dederit. *Wiclefus* traditur in dogmate de ſacroſancta eucharistia docuiſſe conſubſtantiationem. *Pars poſterior* exponit ea, quæ anteceſſerunt reformationem, reformationem Germaniæ per *Lutherum*, reformationem Helvetiæ per *Zwinglium*, jam A. 1516 Evangelio prædicando intentum, reformationem Sueciæ & Daniæ, Angliæ & Scotiæ, atque eam, quæ in Gallia fuit tentata, nec non in Belgio. Carptim porro de Concilio Tridentino, de Imperatoribus & Papis poſt Concilium Tridentinum, de Ordinibus religioſis & Jeſuitarum ſocietate, de diſcrepantibus ſuper prædeſtinatione & gratia ſententiis, de bello ruſticorum & Anabaptiſtarum Monaſterienſium tragœdia, de diſſidio inter Lutheranos & Reformatos, de diſſidio Britannico inter Epiſcopales & Presbyterianos, de eccleſia Græca, Antitrinitariis, Judæis, & re literaria ad Seculum XVI diſſeritur. Proteſtantium cognomen haud occulte Reformatis primis quoque vindicatur *pag. 350.* Hæreticidia *Michaelis Serveti* & *Valentini Gentilis* ad reliquias Papatus referuntur *pag. 377.* Eadem ferme eſt *Janſeniſtarum* & rigidiorum *Calviniſtarum* ſententia *pag. 415.* Fuſius de eruditis Seculi XVII Autor Ven. fuit commentatus in *Oratione de Seculo XVII erudito.* Si nobis de Compendio hocce liceat judicium ferre, id haud præcipitabimus, perhibentes, eminere in eo hiſtoriam Papatus, gliſcentis, invaleſcentis, potentis, & reformatione diſſidioque inteſtino uno & altero fatiſcentis.

M. DANIELIS GODOFREDI WERNERI, Colleg. Grœning. Rect. & Profeſſ. Regii, Meditationes ſacræ, ad excitandam fidem, & formandam piam vitam, jam ante publice propoſitæ, nunc in unum collectæ. Accedit de Meſſia caput obnubente Diſſertatio.

Star-

Digitized by Google

Stargardiæ, typis Joannis Tilleri, 1735, 8.
Plag. 13½.

Faſciculum, e Programmatibus, ſeparatim ante editis, collectum, Autor publicis conſecraturus uſibus, decem ſuppeditat meditationes, ſpem injiciens, fore, ut Diſſertationes ſuas Academicas, easque potiſſimum, quas de *Eleemoſynis Ebræorum* publicare cœpit, ſuppletas auctasque in faſciculum novum colligat, atque in lucem adſpectumque proferat. Meditationes argumenta hæc præferunt: 1) *de Ortu ex altitudine, ad Luc. I, 78*; 2) *de Habitatione verbi Dei, quod caro factum inter homines*; 3) *de eodem momento*; 4) *de Meſſia e morte ad vitam ineffabilem aſſumto, Jeſ. LIII, 8*; 5) *de Paulo, teſte Jeſu oculato, qui e mortuis revixerat, ad 1 Cor. XV, 8*; 6) *de Chriſto ſuſcitato e mortuis die tertio, ad Hoſ. VI, 2*; 7) *de Spiritu ardente, ad Jeſ. IV, 4*; 8) *de Rore cœleſti, ad Hoſ. XIV, 6*; 9) *de falſa Judæorum opinione de Spiritu Sancto*; 10) *de ſacro unctionis oleo, typo donorum Spiritus ſancti, ubi ſimul de ratione typos allegandi & inveſtigandi breviter diſſeritur.* Ἀνατολὴν ἐξ ὕψους exponit de ſole juſtitiæ, Chriſto, qui doctrina ſua umbras typicas Vet. Teſt. & caliginem gentium profligavit. Illud ἐσκήνωσεν ἐν ὑμῖν *Jo. I, 14*, ex antiquitatibus Judaicis & illis de Schechina dogmatibus illuſtrat. Locum *Eſ. LIII, 8*, a ſomniis Judæorum liberat, ibique primordia & continuationem ſtatus exaltationis Chriſti recenſeri, demonſtrat. Locum *1 Cor. XV, 8*, illuſtrat ex *Act. IX, 3, 4, 5, XXII, 2, 11. Paulus* enim viderat Jeſum illuſtriſſima luce conſpicuum in via Damaſcena, ejusque, quem obiiſſe, nec dum revixiſſe, putabat, vocem audiverat. Ἔκτρωμα ſeſe appellavit *Paulus*, eo quod prima vitæ ſpiritualis ſtamina, de quibus diſſerit *Gal. I, 15*, pravitate ſua ante converſionem ſui amiſerat. Ob eam miſeriam ſeſe omnium peccatorum vocavit maximum *1 Tim. I, 13*. Chriſtus cum dicitur e mortuis ſuſcitatus die tertio, κατὰ τὰς γραφὰς, *1 Cor. XV, 4*, id ad *Hoſeam VI, 2*, Autor trahit, idque ut debite oſtendat, nil facit reliqui. Locus *Hoſeæ* in *Breſchith rabba* ad *Gen. XXII, 4*, ita exponitur, teſte *Raimundo Martini* in *Pugione fidei fol. 877*. At editio

ditio Francofurtana, a Judæis ibi adornata, locum illum, quem
Pag. 75. *Raimundus Martini* attulit, omiſit. Propheta non quidem
numero ſingulari, ſed plurium, loquitur de reſuſcitatione.
Quare Autor poſt alios credit, Scripturam ſacram de Chriſto &
corpore ejus myſtico velut de una perſona loqui, cui quædam
tribuantur, quæ tantum in caput, quædam, quæ tantum in cor-
77. pus quadrent, quædam vero in utrumque. Ad *Eſ. IV*, 4, notat
idem cum *R. Kimchio*, voces ביום ההוא ad Meſſiæ tem-
84. pus in terra conſpicui reſpicere. *Jonathan* צמח per *Meſſiam*
tranſtulit. Nam צמח יהוה, divinam Chriſti naturam notat,
91. ſed פרי הארץ humanam, ob *Eſ. LIII, 2*. *Spiritus judicii*
ſatis indicatur *Jo. XVI, 8, 11*, qui purgat, convincit, corrigit,
101 ſeq. & obſtantia delet in modum ignis. *Ros cœleſtis*, de quo *Hoſeas*
XIV, 6, agit, exponitur hic per imaginem divini ſanctique Spi-
ritus, effuſi ſuper Apoſtolos & fideles *Act. I, 11, II, 1 ſeq.*
Quorſum quoque trahit locum *Pſ. CXXXIII, 3*. *Stillantes &*
rorantes vocantur doctores eccleſiæ, piis gratiam Dei, impiis
iram Dei, exponentes, *Mich. XX, 46, Amos. VII, 16, Ezech. XXI, 2*.
Judæorum φλυαρίας de Spiritu ſancto hic habes recenſitas ac
convulſas *pag. 112 ſeq.* Diſſertatio *de Meſſia obnubente caput*,
141 ſeq. ad *Eſ. LIII, 3*, diligentiam & lucernam ſpirat. Damnatis facies
olim fuit obnupta penes Romanos, Græcos, Perſas, aliasque
gentes, uti ex *Ezech. XXI, 6*, apparet, inprimis parricidis &
perduellibus, ut ſignificaretur, ipſos indignos eſſe hominum
conſpectu. Chriſtus enim a primoribus populi Judaici da-
mnatus fuit perduellionis. Illud ממנו exponitur per *a no-*
bis. Ipſe enim permiſit, ut caput ſibi obnuberetur, quo mi-
nus a populo Judaico conſpiceretur. Obvelatam fuiſſe Chri-
155. ſti faciem, conſtat ex *Marc. XIV, 65, Luc. XXII, 64*. Locum
Ezech. XXI, 6, ita ex *v. 15, 20*, exponit Autor: *Ah! paratam*
fulguri gladiorum! obductam & *obvelatam ad cædem*! ſci-
licet Hieroſolymam & Iſraelis terram. Apud *Eſ. XXII, 17*,
oſtenditur, Sebnam *obvelandum* eſſe tegumento, quippe qui
divino ſupplicio erat afficiendus. Idem ritus videtur *Job. IX*,
24, XL, 8, ſignificari. Gratulamur Autori de cogitatis hiſce,
animo & pio & publicæ utilitati intento digniſſimis, plura &
majora in dies ab ejus ingenio calamoque ſperaturi.

RITU-

Digitized by Google

RITUALIS ROMANI DOCUMENTA DE Exorcizandis obſeſſis a dæmonio, Commentariis, ex S. S. Patribus & Eccleſiaſticis Scriptoribus potiſſimum depromtis, illuſtrata, per Fr. PAULUM MARIAM CARDI, Regienſem, Ordinis Servor. B. M. V. Sacræ Theol. Magiſtrum, S. Officii Conſultorem Theologum, & in Provincia Lombardiæ Priorem Provincialem.

Venetiis, apud Joſephum Corona, 1733, 8.
Alph. 1 plag. 10.

Auctor Rev. lucubrationem ſuam Præceptori quondam ſuo, P. *Petro Mariæ Pieri*, Senenſi, Priori ſuo Generali, Viro eruditiſſimo, & muniis ſacris inter ſuos graviſſimo, inſcripſit, eo fine elaboratam, ut Exorciſta in ſacro muneris ſui exercitio luculenter inſtruatur, ac miniſterio re ipſa perſungatur ſuo. Sunt quoque intra Italiæ terminos nonnulli, qui documenta quædam rituum in hoc momento vel negligunt, vel rejiciunt, ni impugnant. *Exorcizare, & ſpiritum immundum per divina expellere adjurando*, hic ſunt unum idemque. *Adjuratio* definitur per *obteſtationem nominis divini ad aliquid faciendum vel intermittendum.* Adjuratio diſtinguitur in *ſolennem*, quæ fit ad formam ab eccleſia inſtitutam, & *privatam*, quæ a privatis exerceri poteſt. Adjurationis modus diſpeſcitur in *deprecationem* & *compulſionem*; illa ad non ſubditos ſpectat, hæc ad ſubjectos. Ad adjurationem licitam requiruntur tria, nempe ut fiat per veram rem ſacram, haud falſam: ut procedat ex vero adjurandi animo, cauſaque ut ſubſit non ficta nec falſa: ac ut ipſa fiat conſideratione debita. Solent alias eadem momenta ad formam legitimi jurisjurandi requirere Caſuiſtæ. Adjurantur juſte dæmones, ut diſcedant abeantque, nec non res creatæ, rationis impotes. Ridiculum tamen eſt, ſi conſtituitur accuſator, advocatus, procurator, & judex, qui ſententiam proferat, tanquam lis intentaretur, quando animalia adjurantur. Ridiculam

Pag. 3 ſeq.

6.

Digitized by Google

Iam ejusmodi ſententiam A. 1516 ab Officiali Diœceſis Trecenſis
Pag. 8. latam memorat P. *Theophilus Raynaudus Tom. XIV* Tr.
Monitorii eccleſiaſtici excommunicationum Cap. XII n. 2.
10. Ipſa ſententia fuit ſtricta in bruchos, erucas, & ſimiles beſtio-
las, quas ſolent Pontificii, ut quidem opinantur, alioqui fuga-
re vel Sanctorum reliquiis, vel ſacris Exorciſmis. *Anaſtaſius,*
Bibliothecarius, *Stephanum VI,* exeunte Seculo IX Pontificem,
tradit aquam benedictam per ſata vineasque ſpargi juſſiſſe ad
profligandas locuſtarum clades. *Theodoretus* in Hiſt. Eccl.
de S. *Aphraate* refert eadem. In feſto corporis Chri-
ſti ſolent Pontificii, per Germaniam borealem incolentes, a-
quam ejusmodi ſegetibus adſpergere eodem ſcopo. Reli-
quiis circumlatis mures e ſegetibus a S. *Urſmaro* fuiſſe fuga-
tos, traditur in Vita hujus Epiſcopi *Cap. 5,* in Actis Sancto-
rum *Bollandianis* ad XVIII Aprilis. Exorciſmis eadem ten-
tata quoque averruncatio, uti eſt in Vita S. *Bonifacii,* Epiſcopi
Ferentini, in eisdem Actis ad XIV Maji. Exorciſmo aqua lu-
ſtralis fuit ſæpius adjuncta, quemadmodum exſtat in Vita S.
13. *Franciſci* Solani *Cap. 4,* in Actis iisdem ad XXIV Julii. Lu-
natici exponuntur per eos, qui divexantur a diabolo in pun-
ctis lunæ vel creſcentis vel decreſcentis. Approbat Autor
ſententiam *Bonaventuræ,* qui *Energumenos* ſic dictos putavit
14. ex *ergon* & *mene,* id eſt, labor & defectus. Qui Græce cal-
15. lent, ad hæc ægre ſibi a riſu temperant. Obſeſſos nunc quo-
que dari, Autor colligit ex *Luc. X, 9, Matth. X, 1, Marc. XVI,*
18. *17.* Admittit idem diabolos incubos & ſuccubos, adſcitis teſti-
moniis *Auguſtini de Civ. Dei Lib. XV Cap. 23, Hieronymi* in
Vita S. *Pauli* Eremitæ *n. 10, Bedæ Lib. III in Lucam Cap. 8,*
Innocentii VIII in Bullario Romano *Tom. I, Antonini Part.*
II Hiſt. tit. 16 Cap. 7 §. 5, Arnoldi Bonævallenſis in Vita S.
Bernardi Lib. II Cap. 6, Autoris vitæ *Dionyſii* Carthu-
ſiani *Cap. II* ad XII Martii in Actis Sanctorum *Bollandianis,*
Petrique Ferri in Vita S. *Joannis de Cruce Romæ Lib. III*
23. *Cap. 7, A. 1726* edita. Addit Autor, dæmones effingere poſſe
ex aere corpora humana, quod ex ſubita diſparitione colligit,
corpora, inquam, eorum conſtruere ſæpius, qui obierunt.
Lar-

Digitized by Google

Largitur idem cum *Thoma*, diabolos poſſe ſemen hominis auferre, eoque inde ad uterum delato generare homines. Meretrices num ita a coitu cum homine maſculo ſeſe purgare poſſint iis intentato, judicent forenſes patroni. Diaboli poſſunt operari in hominis imaginationem, & voluntatem, perſuaſionibus quidem, nec tamen neceſſitatem afferendo. Ob ſimplex balnei lavacrum Deus perhibetur homines obſeſſionibus Satanæ permiſiſſe. Jejuna eſt ratio, cur *Hieronymus* virgines uſu balnei prohibeat. Ipſe enim putat, nefas eſſe, virginem videre ſeſe nudam. Vide ejus Epiſt. VII ad *Latam*. Autor recenſet varias cauſas, cur Deus diabolo poteſtatem obſidendi homines permittat, nempe ob obſtinatorum damnationem, peccantium purgationem, fidelium probationem & exercitationem, gloriæ Dei manifeſtationem, & ad peccantium punitionem, peccantium videlicet & proæretice, & ex infirmitate. Adduntur exempla eorum, qui ob peccata aliena fuerunt a diabolo obſeſſi, verbi cauſa filiorum, qui ita fuerunt ob peccata parentum, eorumque ſpeciatim imprecationes, puniti. Exempla, quibus hæc illuſtrantur, maximam partem ex Actis Sanctorum ſunt deſumta. Obiter monemus, *Wigbertum* & *Berwardum*, Epiſcopos Hildeſienſes, rei medicæ exſtitiſſe peritiſſimos, eorumque in Vitis recenſeri nonnullas dæmonum averruncationes. Commemorat deinceps Autor Exorciſtarum virtutes & dotes, pietatem, prudentiam, vitæ integritatem, fiduciam in Deum, conſtantiam & charitatem, maturam ætatem, mores graves. Exorciſtam debere eſſe Sacerdotem, ipſe ſic docet, ut tradat, majorem huic ex vi characteris ſacerdotalis eſſe poteſtatem in diabolos, & hunc exactius ſatisfacere miniſterio in energumenos exercendo. Refellere ſtudet porro *Natalem Alexandrum* & *Nicolaum Aletenſem*, Epiſcopum, qui Exorciſtis adoleſcentibus hoc munus deputatum volunt, non item Presbyteris Epiſcopis. In prima eccleſia donum exorciſmi erat fidei miraculoſæ præmium & chariſma, tum laicis, tum miniſtris eccleſiæ, fœminis maribusque, commune. Id innoteſcit ex *Marc XVI*, 17, *Tertulliano*, aliisque. Concilio Laodiceno *Can. 26* ſancitum deinde, ne eos adjurare deceat, qui ab Epiſcopis promoti non ſint, neque in eccleſiis, ne-

que

Marginalia: Pag. 26 ſeq. — 31. — 33. — 51. — 78. — 80.

que in diebus. Requiri cœpit primo poteſtas ordinis, deinde
etiam jurisdictionis. Exorciſtarum ſingulare munus jam com-
Pag. 83. memoratur in Epiſtola S. *Ignatii* ad Antiochenos, in Conſti-
tut. Apoſtol. *Cap. 26*, *Tertulliano* libro de Præſcript. *Cap. 41*,
Cypriano Ep. 77, *Euſebio* Hiſt. Eccl. *Lib. VI Cap. 43*. Or-
dinationem, Exorciſtæ impertiendam, Autor habet pro Sa-
85. cramento. *P. Chriſtianus Lupus* aſſerit, Exorciſationis mu-
nus haud eſſe ordinem. Clare ſatis in *Romani Clementis*
Conſtitut. *Lib. VIII Cap. 26* habetur: *Exorciſta non ſit ordi-*
87 ſeq. *natione.* Ad chariſmata, fidelium communia, id munus olim
pertinuiſſe, *Lupus* egregie oſtendit ex *Joanne Chryſoſtomo*,
Tertulliano, & aliis. Diſtinctionem interponit Autor inter
exorciſationem, ex gratia gratis data fluentem, & eam, quæ
per ordinationem impoſita fuit. Adjunguntur ea, quæ
116 ſeq. Exorciſtis ſunt intermittenda. Criteria obſidentis dæmonis
aſſeruntur hæc: ignota lingua pluribus verbis loqui, vel lo-
quentem intelligere, diſtantia & occulta patefacere, vires ſu-
pra ætatis ſeu conditionis naturam oſtendere. At vero mira-
culo coruſcabantur divino Apoſtoli, cum utrumque præſta-
rent. An diaboli quoque miracula poſſunt præſtare? Omit-
timus reliqua indicia, quorum multa exiguo probabilitatis
129. gradu ſeſe commendant. Admittit Autor, dari infantes a dia-
bolis ſuppoſitos, quos jam novimus a rhachitide infeſtari, ab
obſeſſione autem & ſuppoſititia indole immunes. Fuimus
jam in delibando Viri Reverendi Opere ſatis multi. Monebi-
mus duntaxat, exorciſtæ multa præſcribi officia, & ei cautio-
nes ingeri fere innumeras: eumque ad orandos viros ſanctos
incitari eos, qui olim in hac vita dæmonibus imperarunt.
Quem in finem integer eorum ad ordinem alphabeti recenſe-
266 ſeq. tur catalogus. Subnectuntur litaniæ, ac adjurationum formulæ,
atque preces pſalmique. Vovemus & optamus, ne morbis af-
fecti habeantur pro energumenis, ne perfectiones ſoli Deo
propriæ communicentur cum ſpiritibus noxiis, ne miracula ad-
ſcribantur diabolo, ne actiones moleſtæ, ab angelis profectæ, il-
lico aſſignentur diabolis, & tandem ne diabolo tanta poſthæc
in genus humanum ſit poteſtas, ut quemquam tenere poſſit
conſtrictum.

MISCEL-

Digitized by Google

MISCELLANEA DUISBURGENSIA.
Tomi II Faſciculus I & II.

Amſtelodami & Duisburgi, 1734, 8.
Alph. 1 plag. 2½.

Prioris horum *Faſciculorum primum* locum occupat *Jo. Henr. Suiceri* Specimen, adhuc ineditum, *Commentarii in Epiſtolam ad Ephesios.* Eſt hæc illuſtratio trium primorum Capitis primi verſuum, ſcripta quidem tironum potiſſimum Theologicorum in gratiam, ſed tamen nec indigna, quæ legatur a doctioribus. Quæ ſequitur, *Frid. Ad. Lampii* ad *Geneſ. XV, 8 - 17,* Meditatio *de ſacrificio Abrahami*, pariter hic primum editur. Continet ea non ſolum hiſtoriæ hujus in ſuas partes reſolutionem, ſed etiam interpretationem myſticam typicamque, *Coccejanis* Theologis jucundiſſimam. In *tertia & quarta* Diſſertationibus exhibentur *Guilielmi de Water*, Theologi in Flandria, Annotationes perdoctæ ad *Caput XXV Actorum Apoſtolorum. Quinta* eſt *Jo. Jac. Schillingii*, Math. Prof. in Acad. Duisburgenſi, interpretatio phyſica verborum *Petri 2 Epiſt. III, 5.* In *ſexta* deſcribitur Celeberrimi Theologi Francofurtani, *Jo. Georgii Pritii*, vita, cujus ſcriptorem eſſe novimus ejus ſucceſſorem, Doctiſſ. *Chriſtianum Mundenium*, qui & adjecit Catalogum 1) librorum alienorum, a *Pritio* editorum, adhibita cura non mediocri; 2) librorum a *Pritio* ex aliis linguis translatorum in Germanicam; 3) librorum ac libellorum ab ipſomet elaboratorum. *Septima* eſt *Jo. Balth. Burchardi* Diſſ. *de Judæis corruptionis Vet. Teſt. injuſte inſimulatis.* In *octava & nona* continentur *Jo. Grynæi & Jo. Rud. Battierii* Collectanea ex Philologia Hebraica. Ac hic quidem *Pſ. XXII, 17,* pro כארי legendum eſſe contendit כארו, id eſt, *foderunt*: multa item verſionis Nov. Teſt. Syriacæ notat vitia. *Decimo* loco recenſetur Doctiſſ. *Dan. Gerdeſii* (editoris horum *Miſcellaneorum,*) *Obſervationum ad Hiſtoriam Patriarcharum Pars V & VI.* Obſcuriſſima hic illius hiſtoriæ loca enodantur. E. g. *Gen. XX, 16, velamen oculorum Saræ* refertur ad ipſum illud argentum, atque hic eruitur ſenſus: *Ecce, dedi fratri tuo mille argenteos,*

qui in tuum deſtinabuntur uſum, ut is tibi emat quoddam faciei velamen, unde agnoſcere te queant omnes, qui tecum vel ſunt, vel poſthac converſabuntur, ne cui ex illis denuo illa matrimonii diſſimulatio fraudi ſit. Cetera verba non *Abimelecho*, ſed *Moſi*, hiſtorico, tribuuntur, iisque hic aſſignatur ſenſus: *Et totum hoc accidit, quia Sara fuit maritata.* Sic *pag.* 147 acutiſſime conciliantur duo loci ἐναντιοφανεῖς *Gen.* XLVI, 27, & *Act.* VII, 14, oſtenditurque, diverſam his locis exhiberi ſupputandi rationem, non unam eandemque. *Undecimum* locum tenet recenſio Diſputationis *J. C. Kirchmeyeri*, Theologi Marburgenſis primarii, ad *2 Petri II, 1*, quanquam nova, quæ aſſertur, interpretatio paucos nactura videtur ſubſcriptores. Sequitur recenſio prælectionum *J. H. Hottingeri*, Theologi Heidelbergenſis, in *Caput IX Geneſeos*, cujus & nova hic exhibetur verſio Germanica. Hinc recenſetur *Hieronymi van Alphen*, Theologi Ultrajectini, nuper edita Diſſertatio iſagogica *in Epiſtolam ad Epheſios:* in qua potiſſimum refellitur *Millii* aliorumque ſententia, ſtatuentium, non ad Epheſios, ſed ad Laodicenos, ſcriptam eſſe hanc a *Paulo* Epiſtolam. Subſequitur recenſio duarum Diſputationum *Jo. Honerti*, Ultrajectini item Theologi, quarum in priore is per *ſeptem Spiritus Apoc. I, 4*, intelligi cenſet ipſam Spiritus S. perſonam; in poſteriori judicat, per *diem Domini Apoc. I, 10*, non intelligi diem ſolis, ſive primam hebdomadis diem, ſed illud tempus, quo Deus per Romanos a Judæis expetierit pœnas excidio Hieroſolymæ: cum illo tempore adhuc vixerit *Joannes*, & æquum fuerit, ut ipſo illo tempore tantas Evangelicarum rerum viſiones acciperet. Ultimo loco profertur Relatio de liquefactione ſanguinis, Berolini nuper a Cl. *Neumanno* facta, ad imitationem Neapolitanæ liquefactionis ſanguinis S. *Januarii*, ſcilicet ut inde appareret, Neapolitanam illam liquefactionem non miraculo, ſed arti humanæ, tribui oportere.

Faſciculi ſecundi prima eſt *Jo. Frid. Miegii* Diſputatio *de ſtemmate Chriſti Davidico*, in qua oſtenditur, Mariam æque, ac *Joſephum*, fuiſſe ſtirpis *Davidicæ*, & ad objectiones curatiſſime reſpondetur. *Altera* eſt *Petri Zornii* Diſſer-

Diſſertatio *de Dæmoniacorum in ſepulchretis habitantium* (*Matth. VIII, 28. Marc. V, 2. Lucæ VIII, 27.*) *lycanthropia.* Contendit videlicet Cl. Autor, iſtos homines laboraſſe lycanthropia, id eſt, eo furoris genere, quo qui corripiuntur, luporum more noctu egrediuntur, & circa mortuorum corpora verſantur. Sequitur ea in re ſententiam *Guil. Aderi*, *Franciſci Valleſii*, & *Jo. Freindii*, concedens tamen, morbo illi adjunctam fuiſſe obſeſſionem Diabolicam. Idem in ſequenti Diſſ. *Matth. VI, 22*, per ὀφθαλμὸν ἁπλοῦν intelligendam eſſe contendit *liberalitatem*. *Quarto* loco procedit *Anonymi* Obſervatio in *1 Theſſ. V, 23*, & quidem ad verba hæc: ἁγιάζειν ὁλοτελεῖς. Putat nimirum, reſpici a *Paulo* ſacrificiorum in Vet. Teſt. perfectionem, innuique perfectionem in propoſito voluntatis per Spiritum Sanctum excitatam ad evitandum omnis generis malum, & peragendum bonum. *Quinto* loco ſiſtuntur *Jac. Rhenferdii* Theſes Theologicæ *de via Dei, ſeu vera religione.* Hæ quia non ſunt inſertæ ejus *Opuſculis*, A. 1722 editis, ideo hic exhibentur ob ſingularem ſuam elegantiam. Illuſtrantur autem hic loca illa ſacræ Scripturæ, quibus mentio ſit *viæ Domini*. Sequitur Vita *Frid. Adolphi Lampii* & *Theodori Haſæi*, Theologorum nuper Bremenſium. Utrique adjunctus eſt Catalogus ſcriptorum. Sequitur *Jo. Phil. Heinii* Epiſtola de edenda Cl. *Vignolii Chronologia ſacra.* Hic non ſolum ſynopſis exhibetur hujus Operis, ſed majorem etiam in modum id laudatur, ſummaque ejus prædicatur utilitas. Ac ſperamus, tanti laboris, tantique acuminis, Opus brevi exiturum eſſe in lucem publicam. Proximum locum tenent *Nova literaria Annorum 1733 & 1734*, quæ tamen exegetica potiſſimum & hiſtorica ſcripta nominatim laudant. Ultimo loco *Antiſtropha* prodit *ad Stropham Rever. Moshemii:* quæ eſt brevis reſponſio ad dilemma, quo is nuper excepit doctrinam Reformatorum de abſoluto Dei decreto.

LA BIBLIOTHEQUE DES PHILOSOPHES &c.
h. e.
BIBLIOTHECA PHILOSOPHORUM AT-que Eruditorum, antiquorum non minus, quam recen-

 tiorum,

tiorum, cum miraculis naturæ, qua ipſorum exponuntur opiniones de omnis generis argumentis phyſicis & univerſa micrographia, &c. Autore H. GAUTIERO, Architecto, & Seniore Inſpectore majorum viarum, pontium, & aggerum Regni.

Tomus III.

Pariſiis, apud Andream Cailleau, 1734, 8 ch. maj.
Alph. 1 plag. 12.

Cum toto hoc libro, cujus *duos* priores *Tomos* in *Actis A. 1724 Menſ. Jan. pag. 46* recenſuimus, varias eruditorum virorum ſententias, obſervationes, atque placita, Autor referat; eam haud dubie ob cauſam ſplendido Bibliothecæ Philoſophorum nomine inſigniendum illum putavit. Mira autem Operi ineſt rerum varietas, ex variis ſcriptoribus, quorum nomina nunc indicantur, nunc prætermittuntur, excerptarum, & ſub variis titulis recenſitarum. Neque tamen exiſtimandum eſt, Lexici inſtar eſſe hunc librum, in quo, quicquid de iis rebus, quæ in eruditorum & Philoſophorum ſcholis tradi ſolent, breviter ſummatimque dici poteſt, ſuis ſub titulis afferatur. Neutiquam id egit Autor, ut earum rerum, quarum nomina ſeparatim & majoribus literis præfixa exſtant, brevis quædam idea & deſcriptio exhibeatur. Sed, quicquid in lectione variorum Autorum obſervatu præ reliquis dignum judicavit, id quidem in adverſaria ſua excerpendo retulit, præfixoque titulo ab aliis diſtinxit ſegmentis, ut, quo de argumento agatur, ſtatim in oculos incurrat, atque eadem ratione ſine alio ordine ſelectuque nunc publicis uſibus exponit. Ut adeo Collectaneorum, quæ vulgo vocantur, faciem liber hic præ ſe ferre videatur. Maxima hujus *Tomi* pars res Aſtronomicas atque Phyſicas complectitur, inprimisque ex micrographia Obſervationes præſtantiſſimorum Virorum, præcipue *Lævenhœckii*, repetit. Pauciora ex morum diſciplinis deſumta hic exſtant, ſicut & alios Articulos ſat longos & copioſos, alios breves curtosque, eſſe, vel primo conſpectu ſatis patet. Ceterum & alii loci

loci ex Autoribus excerpti tantum repetuntur, alii ſimul ſub examen revocantur, Autorisque κρίσιν ſuſtinent.

JOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGI, E. B. Diatribe de Lothario illo ſecundo, Rege & Imperatore, cujus reſpectu Lotharius Saxo, Rex Romanorum & Imperator, ſeſe in Diplomatibus ac Sigillis appellavit tertium Romanorum Regem, item tertium Imperatorem ſui nominis.

§. I. *Lotharius* ille Saxo, qui cum Ducatu Saxoniæ amplitudinem regiam, ac tandem Imperatoriam, conjunxit, in Diplomatibus, tum ſuis, tum aliorum, nec non in ipſis Sigillis, verbisque monogrammati in fine Diplomatum adſcriptis, ſæpius, imo plerumque, appellatur *tertius*. Sigilla ejusmodi produxit Cel. quondam *Joannes Michael Heineccius* in Syntagmate *de Veteribus Germanorum aliarumque nationum ſigillis*, *Tab. VII n. 4, 5.* Aliud protractum apparet in *Hiſtoria Eccleſiæ Ganderſemenſis Diplomatica*, *Tab. V Fig. 25*, quam juſſu Abbatiſſæ Sereniſſimæ inter otia anguſtiſſima conſcripſi. Aliud occurrit præterea penes Cel. *Meichelbeckium* in *Hiſtoria Friſingenſi*, quod inde exhibuerunt nuperi editores *Heiſſii Tom. II Tab. III n. 21.* Diplomata autem, e quibus id pateſcit, haud anxie ſunt conquirenda, obvia quippe apud *Schannatum*, *Schatenium* in Annalibus Paderbornenſibus, *Meichelbeckium*, *Hedam*, *Heineccium* in Antiquitatibus Goslarienſibus, *Leuckfeldium* paſſim, ac *Jo. Chriſtianum Lünigium*, aliosque Diplomatum collectores. Res enim ipſa apud peritos eſt in confeſſo. *Adelbertum*, Archiepiſcopum Moguntinum, eadem appellatione in ſcriptis ſuis publicis affeciſſe honores *Lotharii* ſummos, perſpici poteſt ex *Chriſtiani Urſtiſii Script. rer. Germanic. Part. I pag. 576. Bertholdus*, Epiſcopus Hildeſienſis, tum eandem adhibuit nominis numerique adjecti deſignationem. Id quod dilucet ex *Heineccii* modo laudati *Antiq. Goslar. Lib. II pag. 124.*

§. II. *Lotharius* idem in Sigillis nonnullis regiis ſeſe *Regem* vocavit *ſecundum* ejus nominis. *Wilhelmus Heda* in *Hiſtoria Epiſcoporum Ultrajectinorum* Diploma Epiſcopi *Andreæ* producit, cui ſubnotata ſunt hæc verba: *Actum eſt anno dominicæ incarnationis* MCXXXI *regnante Rege Lothario II.* Notiſſimus enim erat *Lotharius* ille, *Ludovici Pii* filius, Rex Italiæ ac Romanorum, & Imperator. Hujus reſpectu *Lotharius* Saxo vocatus fuit *ſecundus*. Italis autem *Lotharius*, *Hugonis* Arelatenſis, Regis Italiæ, ac Imperatoris, filius, regnique ac imperii conſors, haud erat incognitus. Quam ob cauſam *Otto Morena*, Lodienſium ſcriptor hiſtoricus, *Tom. VI* Script. Ital. *Muratorii pag. 859* ita diſſerit: *Hunc libellum a me Ottone judice, qui dicor Morena, ac Miſſo Domini Tertii Lotharii Imperatoris ac II Corradi* — — — Quis abnuet, *Lotharium* Saxonem per illum *Tertium* intelligi? Conf. *Franc. Hottomannus* in *Feud. Lib. II tit. 52 §. 3.*

§. III. Merito proinde quærimus, quid cauſæ ſubfuerit, cur *Lotharius* Saxo tertium ſeſe vocarit, & eadem appellatione ab aliis fuerit affectus? Quis ille fuit *Lotharius* ſecundus, ad quem *Lotharius* Saxo reſpexit, cum tertius audire maluit, quam ſecundus? *Simon Fridericus Hahnius*, egregius quondam Hiſtoricorum princeps, in *Parte III Introduct. plen. ad Hiſt. Imp. Cap. IV §. 1 pag. 168* in eam prolabitur ſententiam, deſignari per illum *ſecundum* haud alium, ac medium *Lotharii* primi filium, patri cognominem. *Hahnium* præivit *Heineccius* laudatus in *Syntagmate de Sigillis Part. I Cap. 9 §. 46 pag. 100.* At nodus reſtat, difficilis admodum, qui hac ratione extricari haud poteſt. *Lotharius* enim ille junior & medius Imperatoriam majeſtatem haud obtinuit. Imperator & Rex Romanorum fuerit ille *Lotharius* ſecundus, neceſſum eſt, cujus reſpectu *Lotharius* Saxo ſeſe vocavit *Imperatorem & Regem Romanorum tertium.* Id dubium jam prævidit *Heineccius*, at, dum perſpicere haud valuit, qui *Lotharius*, *Hugonis* Arelatenſis filius, Imperator dici poſſit, *Lotharium* Saxonem potius & Cancellarios ejus ævi accuſavit barbariei & imperitiæ. Veruntamen, quantopere barbaries hiſtorica a *Lothario* Saxone fuerit aliena, oſtendi ſatis, opinor,

in

Digitized by Google

in *Hiſtoria Eccleſiæ Gandershemenſis Diplomatica pag. 192.* Et quomodo ſit veroſimile, Archiepiſcopos, Cancellarios, aliosque viros ſummos, qui Diplomatibus ſcribendis, ac ſigillo muniendis, tum præerant, in ſerie Regum Italiæ ac Imperatorum recenſenda ad unum omnes cœcutiiſſe?

§. IV. Hiſce enim indubie innotuit, *Hugonem* Arelatenſem regno Italiæ fuiſſe potitum, ac Imperatorio diademate ornatum, atque in ejusdem dignitatis conſortium quadriennio elapſo aſſumſiſſe filium *Lotharium.* Uterque ſane in Diplomatibus ſcriptisque publicis vocatur *Rex Italiæ & Imperator.* In monumentis tabularii Archiepiſcopalis Piſani ad *num.* 45 occurrit Diploma, cujus hoc eſt initium: *Ugo gratia Dei Rex anno Regni ejus Deo propitio octavo & filio ejus Domnus Lothario itemque Rex, anno Regni ejus, Deo propitio, tertio, quartum nonas Martii Indictione ſeptima.* *Hugo* ille Arelatenſis, cujus adventum in Italiam *Luitprandus Lib. III Cap.* 4 commemorat, trajecit ad regnum Italiæ capeſſendum A. 926, id quod tum ex Diplomate ejusdem tabularii *num.* 37, tum ex *Pagio* ad A. 926, (*) pateſcit. Idem porro *Hugo Lotharium* filium in regni conſortem allegit A. 931, teſte eodem *Luitprando Lib. IV Cap. 1.* Etſi enim is ibi annum minime definiat, hic tamen ex iis, quæ *Hieronymus Rubeus Lib. V Hiſtor. Ravenn.* refert, facile eruitur. *Rubeus* enim refert, in multis Seculi decimi monumentis Ravennatenſium annum primum regni *Lotharii* dici quintum *Hugonis*, eisque reſpondere ſequentium annorum tabulas quamplures. Initium regni *Lotharii* cecidiſſe inter Martium & Majum anni 931, accurate oſtendit *P. Franciſcus Orlendius*, Italiæ ſidus fulgidiſſimum, in *Orbe ſacro ac profano illuſtrato Part. II Vol. II Lib. III Cap. 25 §. 28 pag. 937 ſeq. Lotharius* hic præterea in Piſanis Diplomatibus æque ac Pater dicitur *Rex* ad annos 934, 937, 942, & quidem in tabulario Archiepiſcopali *num.* 42, 49, 53. Idem *Orlendius* loco laudato *Cap. 41 pag. 1326 ſeq.* ex papiraceo avtographo donationis tabulam profert, ab *Hugone & Lothario* Regibus A. 936 profectam, cœnobio S. S. *Floræ & Lucillæ* traditam. In ea vocan-

(*) Annaliſta Saxo *pag.* 250 ad annum 928 hæc refert, ſed qui ſæpius in annorum determinatione labitur.

Digitized by Google

vocantur *Hugo & Lotharius divina favente clementia Reges.* In ſubſcriptione annus *Hugonis* octavus dicitur *Lotharii* tertius. Uterque porro, tum *Hugo* pater, tum *Lotharius* filius, in Diplomatibus fide dignis vocatur Imperator. *Galvano della Fiammo*, Hiſtoricus Mediolanenſis, in *Faſciculo florum Cap. 130, Tom. II Script. Ital. pag. 605 ſeq.* & *Cap. 131* ibidem, produxit Diplomata, quorum eſt initium: *Hugo Imperator & Lotharius Imperator.* Eandem appellationem utrique tribuunt *Sicardus* in *Chron. pag. 583, Tom. VII Script. Ital. Muratorii*, ac *Autor Chronici Foſſæ novæ pag. 865* ibidem. *Rich. Maleſpini* in *Storia Fior. Cap. 49* filium *Hugonis* vocat *Lottieri ſecondo Imperadore. Ptolemæus Luccenſis Hiſt. Eccl. Lib. XVII Cap. 16* refert, *Adelaidam fuiſſe relictam Lotharii Imperatoris.* Progenitores *Lotharii* in medium produxi in *Hiſtoria Eccleſiæ Gandersbemenſis Diplomatica pag. 1225. Adelheida* autem, ejus uxor, erat filia *Rudolphi*, Burgundionum Regis, ac *Bertæ*, ex *Burchardo*, Alamannorum Duce, genitæ, quam, *Rudolpho* deſuncto, Rex *Hugo* in torum adſciverat, filiamque ipſius filio ſuo nuptum dederat. *Otto* Magnus *Bertam* A. 953 cœnobio Ereſtein in Alſatia ſito præfecit Abbatiſſam. *Adelheidam* vero, *Lotharii* viduam, in uxorem duxit, & in ejus gratiam *Berengarium*, qui *Lotharium* de regno Italiæ pepulerat, inſectatus fuit ac devicit. Intererat *Ottonis*, ut *Lotharius* crederetur fuiſſe legitimus Italiæ Rex & Imperator, quippe per cujus viduam jura regni ac Imperii Italici in ipſum videbantur devoluta. Haud eſt probabile, *Lotharium* Saxonem progenitores ſuos ignoraſſe, Principem quippe rerum Hiſtoricarum Germaniæ ac Italiæ peritiſſimum juxta ac cupidiſſimum. Ipſius enim genus ex *Adelheida, Lotharii* uxore, ita eſt deducendum:

Adelheida, uxor *Lotharii*, dein *Ottonis* Magni.

Otto II, Ottonis & Adelheidæ filius.

Mathildis, nupta *Ehrenfrido*, Comiti Palatino ad Rhenum.

Otto, Comes Palatinus, & poſtea Dux Sueviæ.

Filia, uxor *Gebhardi*, Comitis, occiſi in prælio ad Unſtrutam A. 1075 d. 9 Jun.

Lotharius Saxo, Dux Saxoniæ, dein Rex Germaniæ, poſt quoque Romanorum, & Imperator.

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II Sectio VI.

HENRICI NORISII, VERONENSIS, AUGUſtiniani Tit. S. Auguſtini, S. R. E. Presbyteri Cardinalis, & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Bibliothecarii, Opera omnia, nunc primum collecta, atque ordinata.

Tomi IV.

Tomus I, continens ſacra, 1729, Alph. 8 plag. 10, c. Fig. æn. 1.
Tomus II, continens Chronologica, 1729, Alph. 7 plag. 6, c. Fig. æn. 2.
Tomus III, continens varia, 1729, Alph. 7 plag. 11, c. Fig. æn. 2.
Tomus IV, continens nondum vulgata, 1732, Alph. 8 plag. 2.

Veronæ, ex typographia Tumermanniana, fol.

Cum neminem inter eruditos tam ignarum rerum omnium, & in re literaria adeo hoſpitem, exiſtimemus, qui de nomine ſcriptisque *Henrici Noriſii*, Viri etiam poſt fata celeberrimi, nihil unquam aut legerit, aut fando acceperit; tum ſupervacaneum eſſe putamus, de ejus vita meritisque in omnem fere eruditionis ambitum multa jam com-

memorare. Nam, quemadmodum jam antea vitam ejusdem editam non ignoramus, ſic, quam denuo *Petrus* & *Hieronymus* fratres *Ballerinii*, Presbyteri Veronenſes, concinnarunt, & *Tomo IV* Operum, de quibus mox agemus effuſius, *Noriſii* præmiſerunt, ſumma cura ſtudioque conſcriptam eſſe, quilibet concedet. Ex ea igitur æque atque ex Præfatione, eidem *Tomo* præmiſſa a Duumviris doctiſſimis, nullo poteſt negotio intelligi, quantus Vir fuerit, quantæque eruditionis, *Henricus Noriſius*. Cujus vero doctiſſima Opera cum plurimi quidem ab eruditis facta, ſed partim exiguis libellis diſſipata, partim adeo rara eſſent, ut fruſtra quæſita a multis deſiderarentur; non ingratam rem orbi literato ſe præſtituros eſſe duxerunt fratres *Ballerinii*, Viri doctiſſimi, ſi omnia Celeberrimi Cardinalis Opera in unum corpus collecta, diligenter atque accurate digeſta, in lucem producerent. In quo quidem negotio ita verſandum ſibi cenſuerunt, ut in edendis *Noriſii* Operibus rationem Chronologicam præterirent. Ea enim cum in vita Autoris ſatis nota ſit & perſpicua, tum in editione ipſa non exiguam ſane confuſionem peperiſſet. Sic enim, quæ ad unam eandemque controverſiam pertinent, disjungenda fuiſſent, iisdemque interſerenda Opuſcula, quæ ad diſparatam prorſus materiam ſpectant. Qua re ne moleſtiam ingratam legentibus crearent, Operum ejusdem argumenti potius, quam Chronologiæ, rationem tenendam eſſe, ſuo jure exiſtimarunt Cl. Editores. Singuli autem *Tomi* cum ipſis viſi eſſent a grandiori quodam Opere inchoandi; factum inde eſt, ut *Tomo primo* Opera ſacra insererentur, Chronologicis in *alterum* conjectis. Cumque *Tomus primus* Opuſcula quædam ſacra complecti non potuiſſet, ea, quæ vel ad vindicanda *primi Tomi* Opera non pertinent, vel, ſi pertinent, poſtrema omnium ab Autore edita ſunt, collocata ſunt in *Tomo tertio*, cui cetera diverſi generis, antea jam edita, adjecta leguntur. In *quarto* denique *Tomo* eduntur inedita, præter Diſſertatiunculam de ſanctitate *Siricii* Papæ, quæ Editoribus ſero innotuit, & præter aliquot Epiſtolas, quæ a reliquis ſeparandæ non erant. Quo vero hæc Operum *Noriſianorum* editio eorum, qui eruditis literis delectantur, in-

genio

genio gratior atque adeo jucundior quodammodo fieret, cum ii editorem aliquid ſui, quo res augeantur atque illuſtrentur, conferre in novam collectionem deſiderent; Cl. Editores, autore Marchione *Scipione Maffejo*, aliquot Animadverſiones Diſſertationesque, quibus res a *Noriſio* diſputatæ meliori in lumine collocentur, ejusdem Operibus adjicere conati ſunt. Multa ſane, ex quibus & *Pelagianæ* Hiſtoriæ & Diſſertationi de Synodo V adjici nonnihil potuit, Editoribus doctiſſimis ſuppeditarunt *Marius Mercator*, cujus Opera integra ex Vaticano & Bellovacenſi codice ediderunt *Joannes Garnerius* & *Stephanus Baluzius*, Synodicon adverſus Tragœdiam *Irenæi*, quod primus evulgavit P. *Lupus*, *Vigilii* Papæ Conſtitutum, & S. *Columbani* Epiſtolas, libellum de mortibus perſecutorum, qui *Lactantio Firmiano* vulgo inſcribitur, & alia ejus generis plura, *Noriſio*, dum ſcriberet, ignota, documenta. Cumque plura longe veterum nummorum inſcriptionumque monumenta e tenebris eruta ſint, unde Diſſertationes de Anno & Epochis Syro-Macedonum, Epiſtola Conſularis, Diſſertationes de duobus nummis *Diocletiani* & *Licinii*, & de Votis decennalibus Imperatorum ac Cæſarum, nec non Cenotaphia Piſana, augeri & illuſtrari potiſſimum poſſent, ea, quæ ex his in *Noriſio* deſunt, Animadverſionibus vel Diſſertationibus, ad calcem appoſitis, ſubjecerunt. Nos igitur inſtituti noſtri memores indicabimus brevi, quæ ſingulis *Tomis* continentur.

Atqui *Tomo I*, cui præter Dedicationem Typographi ad Comites *Gombertum Juſtum* & *Bartholomæum Sparaverium*, Duumviros, & Nobilium conſilium urbis Veronæ, & breviſſimum quoddam monitum, præmittitur *Elenchus* Aſſociatorum Operibus *Henrici Noriſii* Cardinalis, hæc habentur: *Hiſtoria Pelagiana; Diſſertatio hiſtorica de Synodo V œcumenica, in qua Origenis ac Theodori Mopſueſteni, Pelagianæ ſcholæ doctorum, juſta damnatio exponitur, & Aquilejenſe ſchiſma deſcribitur; Vindiciæ Auguſtinianæ, quibus S. Doctoris ſcripta adverſus Pelagianos ac Semipelagianos a recentiorum cenſuris aſſeruntur; Adventoria P. Franciſco Macedo, in qua de inſcriptione libri S. Auguſtini de gratia Chriſti diſſeritur; Reſponſiones*

nes P. Franciſci Macedi adverſus propoſitiones parallelas Fratris Jo. a Guidicciolo, ab Annibale Riccio collectæ; Confutatio Palinodiæ ſub nomine P. Henrici Noris publicatæ: Reſponſa P. Franciſci Macedi adverſus gerras germanas Germanitatum Cornelii Janſenii & Henrici Noris: huic accedit Confutatio pſeudepiſtolæ, ſub nomine P. Henrici Noris per dolum publicatæ.

Tomo II, cui iterum, præter Dedicationem typographi ad Comitem *Hieronymum Portum*, Cataphractorum ductorem, præmiſſa eſt additio ad priorem *Elenchum Aſſociatorum* Operibus *Henrici* Cardinalis *Noriſii*, quorum extant nomina initio *Tomi I*, ſequentia continentur Cardinalis monumenta: *Annus & Epochæ Syromacedonum in vetuſtis urbium Syriæ nummis, præſertim Mediceis, quinque Diſſertationibus expoſitæ; Faſti Conſulares Anonymi, ex manuſcripto Bibliothecæ Cæſareæ depromti; Diſſertatio ad eosdem faſtos; Epiſtola ad V. C. Antonium Pagium de nummo Herodis Antipæ; Diſſertatio de Paſchali Latinorum Cyclo annorum LXXXIV; Diſſertatio de Cyclo Paſchali Ravennate annorum XLV; Epiſtola Conſularis, in qua collegia LXX Conſulum ab anno Chriſtianæ Epochæ XXIX usque ad annum CCXXIX, in vulgatis faſtis hactenus perperam deſcripta, corriguntur, ſupplentur, & illuſtrantur; Diſſertatio de numiſmate Imperatorum Diocletiani & Maximiani; Diſſertatio de numiſmate Liciani Licinii Auguſti; Diſſertatio Chronologica de votis decennalibus.*

Tomo III, cui typographi pariter præmiſſa eſt Dedicatio ad Comitem *Æmilium Æmilium*, Equitem Ordinis Hieroſolymitani, & Prætorem urbanum, exhibentur *Cenotaphia Piſana Caji & Lucii Cæſarum, Diſſertationibus illuſtrata, in quibus Coloniæ Juliæ Piſanæ origo, vetuſti magiſtratus, & ſacerdotum collegia, Cæſaris utriusque vita, geſta, & annuæ eorundem inferiæ, exponuntur, ac aurea utriusque Cenotaphii Latinitas demonſtratur: cum parergo de annis regni Herodis, de Præſidibus Syriæ, ac Romanis in Aſia provinciis; Hiſtoria controverſiæ de uno ex Trinitate paſſo; Apologia Monachorum Scythiæ; Anonymi Scrupuli circa veteres Semipelagianorum ſectatores evulſi & eradicati; Reſponſio ad Appendicem Autoris Scrupulorum;*

Digitized by Google

lorum; Janſeniani erroris calumnia ſublata; Cenſura in notas Jo. Garnerii ad inſcriptiones Epiſtolarum Synodalium XC & XCII inter Auguſtinianas; Somnia quinquaginta Fr. Macedi in Itinerario S. Auguſtini poſt baptiſmum Mediolano Romam excuſſa; Paræneſis ad V. C. Jo. Harduinum.

Tomo IV æque ac prioribus præmiſſa quidem eſt Dedicatio, non autem a typographo, ſed ab Editoribus ipſis, quæ conſecrata eſt Comiti *Ottolinio Ottolinio.* Dedicationem vero uti proxime excipit Præfatio in univerſam *Noriſii* Operum editionem, in ultimum *Tomum* exemplo maxime Monachorum Congregationis S. *Mauri* rejecta, qui, in editione S. *Auguſtini* eadem ratione uſi, Præfationem in univerſa Opera, & S. Doctoris vitam *Tomo undecimo* atque ultimo collocarunt; ita Præfationi ſubjicitur Cel. Autoris vita, & copioſe & eleganter, nec minus accurate, deſcripta. His ſuccedit Cel. Editorum Præfatio ad Hiſtoriam Donatiſtarum, & Index Capitum utriusque partis Hiſtoriæ Donatiſtarum. Atque hæc *Tomo IV* quaſi præmittuntur. Initium enim ipſorum Operum in hoc *Tomo* fit ab *Hiſtoria Donatiſtarum, ex Noriſianis ſchedis excerpta, & in ordinem digeſta, & ſuppleta.* Abſolvitur hæc Hiſtoria duabus Partibus, quarum utraque habet *Capita XIV.* Ipſi Hiſtoriæ Donatiſtarum ſubjungitur *Appendix* ad eandem, ſeu lectiones *Noriſianæ*, habitæ in Academia Piſana, quæ tamen potius adverſaria lectionum, quam ipſæ lectiones, appellandæ ſunt. Inſtar enim ſummarii ſeu ſilvæ ab Autore Celeberrimo congeſtæ fuerant, ut ſibi, dum recitaret, adjumento eſſent, materiemque lectionibus congruam ſuppeditarent. Interim Lectionibus omnino decem omnis hæc Appendix abſolvitur. Continentur porro alia Opuſcula *Noriſiana* in hoc *Tomo* ultimo, nimirum *Hiſtoria Gotheſcalcanæ ſynopſis; de ſanctitate Siricii Papæ Diſſertatio; Corrigenda & Addenda ad Hiſtoriam Pelagianam*, & *Epiſtolæ variæ.* Atque hactenus quidem de ipſis *Noriſii* Operibus. Reſtat, ut & ea paucis indicemus, quæ Cl. Editores de ſuo hac in editione ſcriptis Celeb. Cardinalis addiderunt. Acceſſerunt vero ad Operum *Noriſii* editionem ap-

pendicis loco obſervationes, quæ non in omnia *Noriſii* Opera, ſed in illos ſaltem libros, qui ad ſacram eruditionem pertinent, tempore ad longiores annotationes longiori deſtituti, concinnarunt Doctiſſ. Editores. Digeſſerunt haſce obſervationes in Libros tres, quorum in primo collocarunt, quæ primum Librum *Pelagianæ* Hiſtoriæ illuſtrant, & *Capita XIII* conficiunt, in altero apparent, quæ ſecundum Librum Hiſtoriæ *Pelagianæ*, nec non Adventoriam *Noriſii* ad *P. Macedum*, ulterius explicant, quæque *XV Capitibus* conſtant, in tertio denique exhibentur, quæ Diſſertationem de Synodo quinta confirmant, & *Capita* efficiunt *X*. Et, quoniam in hanc ipſam Diſſertationem de Synodo quinta ſingularem Diſſertationem ejuſdem tituli & argumenti ſcripſit Pater *Garnerius*, qua præcipuam *Noriſii* ſententiam multis, iisdemque graviſſimis, atque inter ſe copulatis, difficultatibus impugnavit, ſeparatam Diſſertationem ſeu confutationem, quia intelligebant, *Garnerio* ſejunctis animadverſionibus non poſſe ex voto ſatisfieri, conſcripſerunt, ac *Noriſianam* Diſſertationem defenderunt. His tandem omnibus accedit Appendix, ſeu *de Aquilejenſis Patriarchatus origine Diſſertatio.* Finem vero univerſæ Operum horum editioni imponit rerum memorabilium, quæ in *quatuor Tomis* Cardinalis *Noriſii* continentur, locupletiſſimus. Ceterum hæc editio non chartæ ſolum typorumque elegantia, ſed etiam operarum errantium penuria, quin ſe lectoribus commendatura ſit, ut rerum ipſarum præſtantiam taceamus, nihil nobis videtur eſſe, quod dubitemus.

THE WORKS OF WILLIAM DAWES, &c.

h. e.

OPERA GUILIELMI DAWES, ARCHIEpiſcopi Eboracenſis, Primatis Angliæ, atque Metropolitani; cum Præfatione de vita, ſcriptis, atque charactere Autoris.

Volumina III.

Londini, apud Jo. Wilford, 1733, 8.

Alph. 3.

Non

Non ſine voluptate mentionem facimus Operum a *Gulielmo Dawes*, Archiepiſcopo Eboracenſi, affabilitatis, eruditionis, prudentiæ, atque pietatis, laude inſigni, elaboratorum. In iis enim Commentationes invenias, quæ, cum cogitate ſint ſcriptæ, cum utilitate leguntur. In *primo* atque *ſecundo Volumine* ſermones extant, quos Reverendiſſimus atque Illuſtriſſimus Autor e cathedra ſacra quondam habuit. Qui quidem ſermones ſacri totidem ſunt Diſſertationes, quibus de argumentis maximi ponderis diſputatur, quæque non tam eloquentia, quam perſpicuitate, non tam magno eruditionis apparatu, quam cum judicio conquiſitis ſolidis argumentis, ſe commendant. Utique operæ eſt pretium, ut indicem Orationum ſacrarum hic exhibeamus, ſpeciminis loco ſummam quarundam exhibituri. In *primo Volumine* quindecim reperias Conciones. Earum prima de ſummo Numine impiorum conſiliis reſiſtente agit. Non dubium eſt, quin omnia, quæ in hoc mundo eveniunt, ſummi Numinis auſpicio gerantur. At vero non ſemper eodem modo planum atque perſpicuum eſt, quid ſummum Numen hoc vel illo eventu intendat. Tuetur igitur Illuſtriſſ. Autor, tum negari nullo modo poſſe, de ipſius Dei ſententia impiorum conſilia turbari, cum 1) illa ipſa media, quibus impii utuntur, ut aliis noceant, in ipſorum cedunt perniciem; 2) cum impii eadem infortunia ſubire debeant, quæ aliis intentabant; 3) cum eo ipſo momento impedimenta ſe offerunt, quo minus ſua conſilia implere queant, cum jam omnia ſunt præparata, quæ felicem exitum promittere videbantur; 4) cum eo ipſo tempore impiorum fraudes deteguntur, quo pii ſummi Numinis auxilium precibus ſuis implorabant; 5) cum numero multæ circumſtantiæ fortuitæ atque inexſpectatæ impiorum conſilia evertunt; & cum 6) extraordinario modo, quocumque demum ſit, impii impediuntur, quo minus ex voto agere queant. In *ſecunda* Oratione ſacra de commodo, quod ex divini Numinis cultu in nationem redundat, maximo diſſerit. In *tertia* declarat, piam Chriſtianorum vitam optimum infideles convertendi medium eſſe. In *quarta* philavtiam reprehendit. In *quinta* de inſigni uſu, quem ſapien-

tia

tia præcipuæ dignationis atque divitibus viris præſtat, commentatur. In *ſexta* diverſos atque nefarios Pontificiorum doctorum conatus, politiam atque eccleſiam Anglicanam evertendi, recenſet. In *ſeptima* de erogandis eleemoſynis verba facit. In *octava*, tempora belli tempora publicæ pœnitentiæ eſſe, propugnat. In *nona* de converſione gentilium agit. *In decima* de præmiis in altera vita beneficis in pauperes dicatis diſputat. In *undecima*, majorem felicitatem eſſe dare, quam accipere, tenet. *Duodecima* memoriæ *Caroli I*, Regis Magnæ Britanniæ, dicata eſt. In *decima tertia* de pietate Principis ejus ſubditis ſalutari diſſerit. In *decima quarta* de reſurrectione Servatoris noſtri ſermonem inſtituit. In ultima autem id agit, ut commoda eximia ſcholarum recenſeat, quibus pauperum liberi aliorum ſumtibus educantur. Videlicet declarat 1), inſigni charitate in ejusmodi ſcholis miſeros infantes affici; 2) ex educatione infantum nummis deſtitutorum in numero multos alios & in ipſam atque univerſam rempublicam commoda redundare maxima; neque dubium eſſe, quin Deus O. M. communis omnium hominum parens, ſingulari præmio & in hac & in altera vita hanc charitatem ſit remuneraturus.

In *ſecundo Volumine* principe loco de terroribus vulneratæ conſcientiæ diſſerit; in ſex ſequentibus Orationibus ſacris æternitatem pœnarum infernarum ſolidis argumentis erudite atque perſpicue data opera propugnat. Neque enim ſolum ex Scriptura ſacra, verum etiam ex ratione, argumenta repetit, quibus cauſam ſuam ſtrenue agit; atque, hiſtoricis obſervationibus appoſite additis, argumentum, quod perſequitur, illuminat. Sigillatim Socinianorum ſententiam ſub examen vocat, qui, damnatos pœnis ſcelerum perſolutis annihilari, ſibi aliisque perſuadere annituntur. Sermone *octavo* de beatitate eorum, qui pauperes ſunt ſpiritu, agit; *nono*, in rebus ad hanc vitam ſpectantibus homines ſapientiores eſſe, tenet, quam ubi de altera vita ſolliciti ſunt; *decimo* de Chriſto ſufficientiſſimo Chriſtianorum ſacrificio diſputat; *undecimo* felicitatem ejus exponit, qui ut vir juſtus diem obit ſupremum; *duodecimo* de bona conſcientia futu-

Digitized by Google

futuram beatitatem certo promittente verba facit; *decimo tertio* de victoria fidei; *decimo quarto* de periculo loquacitatis, & prudentia ſilendi; *decimo quinto* de mundi amicis Dei inimicis; atque *decimo ſexto* de vita Chriſtiana, ex inſtituto commentatur. Ultimo autem ſermone de uſu atque abuſu rerum, quæ ad hunc mundum pertinent, obſervationes utiliſſimas profert.

In *tertio Volumine* primum locum occupat de cultu ſummi Numinis domeſtico Commentarius, egregium Illuſtriſſ. Autoris noſtri infucatæ pietatis documentum, quod nondum unum & viginti annos natus edidit. In eo multis argumentis & magno cum fervore cultum Dei privatum commendat, &, quo animo Scriptura ſacra ſit legenda, vitæ ratio ſub examen vocanda, preces fundendæ, gratiæ agendæ, & quæ huc pertinent, ſingulari induſtria ediſſerit. Sequitur de frequentiori ſacræ cœnæ uſu, idoneaque ad illum præparatione, Commentatio pia atque erudita, quam Poema Anglicano ſermone exaratum excipit, cujus index: *Anatomia Atheiſmi.* Illud admodum juvenis octodecim annos natus contexuit, &, licet in eo forſitan ſint, quæ reprehendi utique deberent, quodſi ad examen regularum artis poeticæ illud vocaveris, laudari tamen vel hoc nomine merebitur, quod & exiſtentiam Dei ſolide atque perſpicue demonſtret, & objectionibus atheorum ita ſatisfaciat, ut unusquisque eorum dementiam nullo negotio queat intelligere. Sub finem hujus *tertii Voluminis* extat Oratio ſacra, quam Rev. *Guilielmus Milner*, M. A. ſolenni ritu habuit, cum Illuſtriſſ. Autor noſter Epiſcopus Cheſtrenſis A. 1707 die 8 Febr. conſecraretur; in qua quidem de verbi divini miniſtro ſcandulum non præbente, ad *2 Cor. VI, 3*, agitur. Additum etiam eſt Supplementum Commentationis ab Illuſtriſſ. *Daweſio* de religione domeſtica conſcriptæ. Elaboravit illud Rev. *Stackhouſe*, & precationes complectitur, diverſis occaſionibus recitandas.

Reliquum eſt, ut de vita Illuſtriſſ. Autoris noſtri obſervationes aliquot addamus, ex Præfatione Operibus ejus præfixa excerptas. Natus eſt A. 1671 die 12 Sept. in Comitatu Eſſexienſi, parente *Abrahamo Dawes*, Barone, viro

excellentiſſimo, & multis meritis claro, matre *Jana*, filia unica *Richardi Hawkins*, ditiſſima fœmina. Londini literas humaniores & Hebraicæ linguæ fundamenta addidicit, *Joanne Hartcliffio*, & *Ambroſio Bonwike*, & præcipue Rev. D. *Kiddero*, Philologo celeberrimo, præceptoribus. Ab A. 1687 Oxoniæ in Collegio Joanneo auſpiciis D. *Lee* literis operam navavit. Cujus quidem Collegii ſocius poſt aliquot annorum ſpatium evaſit. Poſt majoris natu fratris obitum Cantabrigiam petiit, atque in defuncti fratris muſeo in aula *Catharinæ* literarum ſtudiis vacavit, atque Artium evaſit Magiſter. Admodum juvenis, cum ob ætatem ſacris ordinibus nondum poſſet initiari, duxit uxorem *Franciſcam*, *Thomæ d'Arcey* filiam natu majorem, quæ & ob animi corporisque dotes eximias multorum tulit plauſus, pietateque eminuit. Cum per ætatem liceret, Diaconus atque Presbyter ordinatus eſt ab Illuſtriſſ. Londinenſi Epiſcopo, D. *Compton*, & non ita multo poſt ad Decanatum Eccleſiæ Bockingenſis in Comitatu Eſſexienſi vocatus, A. 1697 inter Capellanos ipſius Regis relatus eſt, cumque eodem anno die 5 Nov. coram Rege e cathedra ſacra verba faceret, Regi ita placuit, ut Canonicatum Worceſtrenſem illi obtulerit. Anno ætatis ſeptimo atque viceſimo S. Theologiæ Doctor renuntiatus, Magiſtri nomine Aulæ Catharinæ in Academia Cantabrigienſi præfectus, atque poſt exiguum temporis ſpatium Academiæ Vice-Cancellarius electus eſt. Quibus quidem muneribus ſuis graviſſimis ſumma cum prudentia præfuit. Illi debetur, quod *Anna*, Magnæ Britanniæ Regina, Magiſtrum Aulæ Catharinæ Cantabrigienſis in poſterum Canonicum Norvicenſem ſine prævia electione eſſe debere, ſtatuerit. Epiſcopus Lincolnienſis evaſiſſet, niſi, ipſa Regina præſente, ex cathedra ſacra veritates aliquas profeſſus eſſet publice aulæ tum ingratas. Anno igitur 1707 demum ad Epiſcopatum Ceſtrenſem evectus eſt, & poſt ſexennium ad Archiepiſcopatum Eboracenſem. Illuſtriſſ enim *Jo. Sharpius*, Archiepiſcopus Eboracenſis, eum ſibi ſucceſſorem ante obitum ſuum popoſcerat. Ab illo tempore etiam Reginæ a Conſiliis intimis fuit, & poſt ejus obitum Magnæ Britanniæ Regno una cum aliis præcipuæ dignationis viris præfuit. Anno autem 1724 die 30

April.

Digitized by Google

April. ætatis 53, Illuſtriſſimus Præſul diem obiit ſupremum, qui ob humanitatem eximiam, eruditionem ſolidam, perſpicue de rebus graviſſimis commentandi peritiam, egregiam argumentis philoſophicis veritates cœleſtes atque divinitus revelatas defendendi facultatem, ad poſteritatis memoriam inſignis nominari utique meretur.

BIBLIOTHECA RHETORUM, PRÆCEPTA & exempla complectens, quæ tam ad oratoriam facultatem, quam ad poeticam, pertinent; Autore P. GABR. FRANC. LE JAY, e S. J.

Tomi II.

Excuſa Pariſiis, 1725, recuſa Monachii, ſumtibus Andreæ de la Haye, Bibliop. Acad. Ingolſtad. 1726, 8. Alph. 5 plag. 6.

Diu multumque inter eruditos diſceptatum eſt, num inſtitutio oratoria debeat fieri per præcepta, an vero animis inculcari exemplorum ope; nec adeo longum temporis ſpatium effluxit, quo doctiſſimi in Gallia viri, *Rollinus* & *Gibertus*, litem denuo motam acrius, quam unquam antea factum, perſecuti ſunt. Quamvis noſtrum jam non eſſet, de utriusque partis ſententia ferre judicium; media tamen via incedendum eſſe arbitramur, &, cum, rei veritate adducti, præcepta magni faciamus, exemplis etiam ſuum eſſe ſtatuendum pretium, non injuria contendimus, ſine quibus mutila, imo difficilis & impedita, erit præceptio. Ita fere nobis perſuaſit elegans admodum & perpolita Rhetorum Bibliotheca Clariſſ. *le Jay*, cujus eo omnis cura tendit, ut, præceptorum farragine paululum poſthabita, exemplorum venuſtate ſalivam juvenibus ad Eloquentiæ ſtudium cum fructu excolendum moveat. Inſcriptio quidem illius Operis peregrina, & primo intuitu non adeo quadrare videtur ad rem, ſiquidem

Digitized by Google

dem ejusmodi appellatio illis vulgo libris tribuitur, qui Scriptorum in quacunque arte & ſcientia indicem ac ſeriem continent, nec tamen ipſe unquam quidquam de priſcis aut noſtri ævi Rhetoribus memorat. Sed, ſi rem paulo accuratius penſites, omnem ibi comparere invenies Rhetorum ſupellectilem, quæ juveni, bonarum literarum amanti, & magiſtris, non poteſt non eſſe librorum inſtar. Nam omnia multis voluminibus ſparſa atque disjecta tam improbo labore, tamque pertinaci induſtria, collegit, ut de re quacunque ſciſcitantibus & requirentibus abunde ea ſatisfacere poſſint. Diviſit totum Opus in *duas Partes*, quarum *altera* ad oratoriam facultatem, *altera* ad artis poeticæ cognitionem, viam pandit. Utraque ſuos iterum complectitur *Tomos* & *Libros*, ex quibus pauca decerpemus, & Lectori deguſtanda apponemus, penes quem ſit judicium, quid in unaquaque arte præſtiterit Cl. Autor. In primo igitur, principe certe & optimo totius Operis, *Tomo* nova plane inſtitutione utitur, &, cum alii Rhetores primum de inventione, deinceps de diſpoſitione, porro de elocutione, diſſerant, ultimum primo loco ponit, & incipiens ab elocutione, amplificatione, & pigmentis in oratione adhibendis, demum ad argumenta, quibus expugnare debet orator auditorum animos, delabitur. Nulla re profecto fortius & efficacius præcepta inſinuantur animis, quam ſi ad uſum frequentem revocata in ſuccum & ſanguinem convertuntur. Id ſibi dictum eſſe putavit Cl. Autor, &, enarratis carptim ſuccinctéque præceptionibus, larga manu ſuppeditat exempla, ex *Cicerone*, locupletiſſimo elegantiarum Latinarum promo condo, deſumta, ubi tamen non invadit alienos labores, ſed, quod inprimis in laudibus ipſius ponendum, habitum tantummodo & totum velut ambitum orationis, adducto quodam alio argumento, & verbis ſubinde aliis, feliciſſime imitatur. Liceat nobis hic unicum afferre ſpecimen, quod præſtantius reliquis nobis viſum eſt. Nam *pag.* 17 *Ciceronis* verba, quæ in *Orat. pro Marcello* de virtutis indole ita fluunt: *Tantus eſt ſplendor in laude vera, tanta in magnitudine animi & conſilii dignitas, ut hæc a virtute donata, cetera a fortuna commodata*

eſſe:

Digitized by Google

eſſe videantur, hac ratione æmulatur: *Tanta eſt inculpatæ mentis ſuavitas, tam graves conſcientiæ malæ ſtimuli, ut hanc execrari penitus, illam expetere votis omnibus, nemo non debeat.* De cetero optimæ frugis totus eſt hic liber, nec cuiquam ſatis commendandus, qui dictionem ſuam expolire, & ad genium bonæ notæ ſcriptorum componere, annititur. Reliqua *prioris Tomi* ſcripta non minore induſtria, nec minori dexteritate veterum cimelia uſibus noſtris aptandi, concinnata ſunt. Dum enim ad Amplificationem progreditur, itidem *Ciceronem* ſequitur ducem, qui in Libro *Partit. Orator. n. 53* ait, *Amplificationem orationis fieri & verborum genere & rerum; verba ponenda eſſe*, contendit, *quæ vim habeant illuſtrandi, nec ab uſu ſint abhorrentia, gravia, plena, ſonantia, juncta, facta, cognominata.* Negari non poteſt, verba hæc aliquid obſcuritatis ſecum ferre; interim tamen iis lumen optime affundit Cl. Autor exercitatione quadam, ſuper *luctum Jacobi ob tinctam Joſephi ſui ſanguine tunicam, pag. 68* exarata, quæ nobis maxime arriſit propter dictionem concitatam, & perturbationes animi ſpirantem. *Tertius Liber* clariſſime commonſtrat, quomodo ex mente *Ciceronis* ſit ornate dicendum, ubi Cl. Autor tropos & figuras recenſet omnes, & ſecundum ſingulas quasque magnam Orationum copiam nectit. Lectu præ reliquis digna eſt ea Exercitatio, qua per Antitheta repræſentat, *Chriſtianos heroas profanis heroibus præſtare.* Pag. 117. Nam ejusmodi comparatio, uti conveniens eſt maxime orationi argumentum, ſic commovet etiam mirifice animos lectorum, præſertim ſi accedat maſcula & virilis eloquentia. *Liber quartus* de vi orationis, ſeu de inventione, agit, ſine qua, ut ait *Cicero*, elocutio inanis eſt ac pæne puerilis. Nec perfunctorie illud argumentum, ſed ita, ut communi dignus plauſu videatur, tractat, optimos aperiens fontes, ex quibus materia dicendi peti poſſit. Nimirum refert huc definitionem, enumerationem partium, locos a notatione nominis, a genere, ſpecie, ſimili, & quæ ſunt alia rerum inveniendarum adminicula. Quas apponit, Exercitationes non minus elegantes ſunt prioribus, imo aliqua ex parte has ſuperant, quia illas

ſibi vindicare poterat *Tullius*, hæ autem proprio marte ſatis culte ſunt elaboratæ. In *Tomo* altero *Partis primæ* ampla ſatis & fuſa Orationum, cum profanarum, tum ſacrarum, collectio eſt, qua, ſi quid divinare poſſumus, plerorumque errorem tacite confutavit, qui putant, Latinam linguam non poſſe terſa dictione ſacris argumentis accommodari. Probatæ ibi Latinitatis ſtudioſus eſt, quamvis non per omnia immunis a ſtribiligine & barbarie, Pontificiis etiam noſtro adhuc ævo familiari. Nam non perſpicimus, quomodo poſſit ſalva Latini ſermonis caſtitate dici *pag. 409, quibus utendis fias votorum compos, &* in *magnum* oratorem evadas. In *Tomo tertio* illis conſuluit, qui aliquando adſpirare cupiunt ad munus aliquod forenſe, inprimis vero multum præſidii attulit cauſarum patronis ad concertationes aliquando cum ſucceſſu inſtituendas. Quibus expoſitis, ſequitur liber Epiſtolarum, ubi plane nulla attulit præcepta, ſed ſtatim juvenum oculis varia Epiſtolarum genera jam elucubrata obtulit, utpote objurgatorias, conſolatorias, gratulatorias, commendatitias, in quibus, fatemur ingenue, pulcherrimas verborum lautitias, & officioſas urbanitates, occurrere. Nec ſupervacaneum eſſe putavit Cl. Autor, dare ſpecimen aliquod illius ſtili, quem ſibi fabulæ vindicant, quia probe novit, Rhetorem in omni ſcribendi genere diligenter verſatum eſſe debere, & ejusmodi exercitationes alere nonnunquam ingenia adoleſcentum, utpote delectamenti & utilitatis plenas, præſertim ſi doctrinis morum illuſtrentur. Oratiunculæ, quæ agmen feliciſſimorum ipſius ingenii fœtuum in hac *Parte* claudunt, eorum ſunt uſibus conſecratæ, qui diſceptationes publicas aliqua proluſione auſpicari ſolent, ne etiam in hac re ipſis deficiat exemplar, quod ad imitandum ſibi proponere poſſint. Pleræque enim ſpinoſas Philoſophorum doctrinas excutiunt, aliæ circa abditas priſcorum cerimonias occupatæ, aliæ denique penitus moratæ ſunt, quibus aura & benevolentia auditorum captatur. *Altera Pars* Bibliothecæ Rhetorum Poeſin illuſtrat, nec deflectit Cl. Autor a via, quam ſibi ab initio calcandam ſumſit. Scilicet præcepta ubivis obvia, & jam dudum ab *Ariſtotele* & *Horatio* tradita,

plane

Digitized by Google

plane omittit, ſpecialius vero oſtendit ſumma perſpicuitate Epici, Bucolici, Elegiaci, Comici, Lyrici, Epigraphici, carminis virtutes, quibus enarratis, ſtatim non ſolum addit brevem vitæ cujuscunque Poetæ delineationem, verum etiam non invita Minerva pangit verſus, quos ſub titulo Libri Carminum publici fecit juris. Tandem Cl. Autor coronidis loco adjicit librum de ænigmate in picturis, cujus explicationem etiam ad Rhetoricam pertinere arbitratur: quam quidem ſententiam ipſi ſoli relinquimus. Nam, ſi fatendum, quod res eſt, Rhetorica ipſa perſpicuitatem in oratione commendat, &, quicquid obſcuritatem parit, exulare jubet. Quid vero magis offendit auditorem, quid magis lectoribus remoram injicit, quam ænigmatica dictio? Aſt diſſimulare non poſſumus, utilitatis multum hanc rem afferre ſcrutantibus res geſtas & monumenta priſcorum; quapropter etiam ea, quæ Cl. *le Jay* dedit, ſpecimina lubenti grataque mente accipimus, nobisque de tanto artis Rhetoricæ emendatore gratulamur, qui & utilia dulcibus miſcuit, & feliciſſimo connubio præcepta cum exemplis conjunxit.

ENCOMIUM ARGENTI VIVI: A TREATISE upon the uſe and properties of Quickſilver, &c.

h. e.

TRACTATUS DE USU ET PROPRIETAtibus hydrargyri, ſeu Hiſtoria naturalis, chymica, & medica, mirabilis iſtius mineræ, optimorum Phyſicorum, Chymicorum, & Medicorum, ſcriptis extracta, qua variæ ejusdem operationes recenſentur, uſusque laudatur, cum Annotatis quibusdam ad D. TURNERI in Belloſtium Animadverſiones; Autore Nobili quodam Collegii Trinitatis Cantabrigienſis Socio.

Londini, ſumtibus Jo. Roberts, absque mentione anni, 8. Plag. 9 dimid.

Qui

Qui, laudibus immenſis auctus, jam dudum in Anglia univerſalis cujusdam remedii dignitatem ſumſit hydrargyrus, jam novos capit ſpiritus, ex quo induſtrios ſucceſſuum ſuorum præcones invenit, qui, parum contenti, fluidum iſtud metallicum a ſuſpicione venenoſæ qualitatis, qua hactenus laboravit, vindicaſſe, eo usque progrediuntur, ut ultra virium, quæ eidem denegari non debent, terminos graſſantem, plurium graviſſimorumque morborum debellatorem agnoſcant. Poſſet laude iſta frui generoſiſſimum iſtud remedium, qua digniſſimum eſt, quod ſcilicet majus efficaciusque ſe ipſo medicamentum in depurando ſanguine, & venerea macula eidem eximenda, non agnoſcat, quodque, utut pares vitriolo vires adſcribere ſuſceperit olim magnum Medicorum lumen, *Wedelius*, unicum inter remedia interna ſalivæ in os confluxum concitare poſſit, verum aperientibus etiam ſeſe immiſcet medicamentis, & humorum acrium, imo, quod mirum videri omnibus poterat, acidi, correctionem ſuſcipit, partim ſpecifico molecularum ſuarum pondere, partim earundem globoſitate ſphærica, & ſapidi defectu. Novam iſthanc mentem ſuam Cl. Autor ſtatim in Præfatione prodit, efficacius quodpiam aliud remedium contra acidum ſalſamque ſanguinis intemperiem vix dari aſſerens hydrargyro, quandoquidem a ſphæricarum particularum contactu non poſſint non ſpicula humorum haſtata infringi. Opus ſane fuiſſet, removere, quod ſententiæ ejus obſtat, dubium, cur hydrargyrus iſte cum ſpiritibus acidis & ſale culinari in corroſivum mutetur venenum, prout ex præparatione ſublimati patet, ſi tam egregius eſt acidi domitor; quandoquidem in praxi tragicis evictum eſt caſibus, iisdemque haud paucis, tantum abeſſe, ut acidum & ſcorbutica ſanguinis acrimonia temperetur a mercurialium uſu, ut, niſi ejusmodi intemperies probe elota fuerit ante ſuſceptam curam, graviſſima mala, hæmorrhagiæ, caries oſſium, coalitus gingivarum, ſubſequantur, niſi forte Britannicus aer hæc omnia diverſiſſima eſſe juſſerit. Conſtantem enim ſemper jucundiſſimus adſpectu hydrargyrus rotunditatem iſtam corpusculorum, qua tantopere laudatur ab Autore, & qua ipſe a venenoſa

Digitized by Google

nenoſa qualitate longiſſime abeſſe dicitur, ſervaret, modo non metallicus ille Proteus, prout experimentis Chymicis abunde demonſtratum eſt, ſuam iſtam ſplendidiſſimam ſuperficiem ferociſſimis armaret telis, quibus ſalus humana ſubruitur frequentiſſime. Mirari convenit, adeo nullam eſſe hujus remedii ſuſpicionem, ut Cl. Autor, non tantum inter delicias eſſe apud Anglos, aſſerat in Præfatione, hydrargyrum crudum, ore ſuſceptum, deglutire, ſed & porro affirmet, extitiſſe, qui quadraginta libras iſtius metallici fluidi hauſerint, cumprimis in aſthmate ex vitio primarum viarum. Equidem extra dubium poſitum eſt, pondere ſuo in graviſſimis magni iſtius canalis obſtructionibus ſaluti eſſe poſſe hydrargyrum, quandoquidem evictum adhuc non eſſe arbitramur, poſſitne, quod pro vero aſſerit Autor, ſubire hydrargyrus venas lacteas, cum a crudo per os ſumto ſalivatio nulla ſubſequi ſoleat, manifeſto indicio, argentum vivum confluere in inteſtinis, majoremque maſſam formare, quam ut ſubire capillaria vaſa poſſit, eo magis, quo clarius ſit, celerrime hydrargyrum canalem inteſtinorum percurrere, nullo in loco ſubſiſtere, niſi in craſſis, poſſe, ubi vel nulla, vel parcior, lactearum eſſe ſolet copia, adeoque impetum motus periſtaltici eludere, quo videbatur exprimi in lacteas aut abſorbentes venas poſſe, quo ipſo ſperatus effectus, acrimoniam ſanguinis hydrargyro crudo per os aſſumto corrigere velle, nullus eſt, quin imo metus exiſtit, ne ex decem, qui ſalutarem iſtius generoſi remedii effectum experiuntur, ultra dimidium futuri ſint, qui longo tempore poſt de latentis in herba anguis morſu conquerantur, cum, ſic facillime docente Chymia, & ipſo Autore fatente, ſalium connubia appetat iſtud minerale, & ſub hac denique forma ſanguinem ſubiens in vitalibus hærere partibus ſuſcipiat. Monenda hæc eſſe viſa ſunt ob familiarem noſtris exteros imitandi libidinem, ne domeſtica clade, curioſius, quam verius, dicta in alterutram veri aut falſi partem experiamur. Ingenii de cetero & induſtriæ plenus eſt, maxime qua parte naturalem hydrargyri hiſtoriam recenſet, libellus, dignusque, qui curioſiorum Bibliothecis inſeratur. Pag. 31.

THE NURSES GUIDE, &c.

h. e.

HODEGUS NUTRICUM, SEU GENUINA methodus educandi infantes; cui accedit Tentamen de conſervanda valetudine & prolonganda vita, cum Tractatu de Podagra; ſtudio excellentis cujusdam Medici.

Londini, ſumtibus Jo. Brotherton & Lawton Gilliver, 1729, 8. Plag. 12.

Libellus iſte, eruditionis & induſtriæ practicæ plenus, tanto omnium applauſu exceptus eſt, ut paulo poſt, A. 1733, in eorundem typographorum officina, idem, mutato ſaltem titulo, prodiret: *The art of Nurſing*, &c. h. e. *Ars nutriendi, ſeu methodus educandi infantes ſecundum regulas Medicinæ ad conſervandam ſanitatem & vitam prolongandam. Altera editio, cui præmittitur Arcutio cum ejus Icone & Menſura, cujus apud exteros ad evitandam infantum diſtorſionem uſus eſt.* Quo omnibus humanæ vitæ ætatibus induſtriam ſuam comprobaret Autor, *incipientis* errores corrigere, *ſubſiſtentis* tranquillitatem & robur continuare, *deficientis* dolores & tædia ſublevare, ſuſcepit, quorum utiliſſimorum laborum haud obſcurus inter ſeſe nexus eſt, quandoquidem primæ ætatis circa modum nutriendi vitia virus ſuum cum virilibus annis communicare ſolent, unde malorum ſemina ad decrepitam ſenectutem proficiſcuntur. Prima Autoris cura eſt, legitimam recens nati a ſecundinis ſeparationem imperare. Inter alia docet, multum intereſſe, quomodo umbilicalis chorda reſecetur, maxime in fœmellis; nam fieri poſſe, ſi illa ab umbilico infantis extrahatur fortius, ut ſimul cum eadem urachus, qui paulo poſt eſt ſuſpenſorium veſicæ vinculum, ſtrictior evadat, ſicque ſimul cum ejus cervice uteri orificium internum extenſius fiat, cum manifeſto conceptionis impedimento. Jucunda etiam miſcentur utilibus, neque ſine magno libelli ornamento ritus aliquorum recens

recens natos frigidæ immergendi recenſentur. De nævis maternis, & ſi quid aliud per vitium infantulis connaſcitur, proximo loco agitur, habenturque eorum nobiliſſima remedia. Quandoquidem vero lactis genuina indoles tenerrimæ ætati plurimum ſalutis afferre ſolet, de ejus origine ex ſanguine uteri, & hujus ad mammas motu, diſſerit, cujus rei argumenta habet varia, inter quæ perplacet obſervatio, ægrotantis embryonis ſignum eſſe lac ultimis geſtationis menſibus in mammis gravidæ abundantior; itidemque, matrem ipſam infantis ſui nutricem eſſe decere, rationibus evincere conatur, qui, quæ conveniant coloſtrationis (quem terminum ex antiquitate medica habet,) tempore, quæ poſt, maxime quam periculoſum ſit, acida lactantibus propinare, ediſſerit. Perplacet modus nutricum ſelectum inſtituendi, cum, præter vulgaria bonitatis indicia, vivido colore, capillis ad rubedinem non vergentibus, dentibus ærugine exutis, ſpiritu oris innocente, nec fœtido, mammis turgidis, non propendentibus, neque etiam adipe difformibus, ſeligendam eſſe, docet, quæ pueri fuerit mater, pluribusque puerperiis exercitata. Reliqua valetudinarii iſtius infantilis capita expectationi reſpondent, quo ipſo dubitari neutiquam debet, virilis ſenilisque ætatis ſcandala, ne quis in iisdem offendat, ſedulo annotata fuiſſe. Maxime alterius iſtius pueritiæ, ſi verum eſt, ſenes bis pueros eſſe, ſedulam ſuſcepit curam, ſenectutis ſcilicet, quam primam, mediam, & ultimam, &, quod eodem redit, floridam, deficientem, & decrepitam, appellat, cujus ſingulæ inſeparabilia mala, a ſpontaneo naturæ decurſu provenientia, enumerat, addito regimine, quo maraſmus iſte ſenilis aliqua tædii ſui parte ſublevari poſſit. Adeoque aeris temperaturam huic ætati ſuadet, quæ calidæ frigidæque media intereſt, victum vero, deficiente ſero ſtrictiori corporis habitui convenientem, quo alvus laxa ſervari, ſomnusque, qui turbulentus eſſe ſolet, tranquillior effici, poſſit, cui negotio corporis exercitia, quæ modum non excedant, commendabilia redduntur. Aſt ſenilis amor & ſera venus redduntur quam ſuſpectiſſima, quibus ſcilicet parentibus ſolennes iſti decrepitæ ætatis cruciatus, plurimæ hominum parti per ſe inevitabiles,

articularem morbum puta, progignuntur. Huic malo ingenioſe excogitata opponit remedia, tum quibus imminens evitari, tum quibus præſens aut curari aut ſopiri certe poſſit. Copioſus eſt in præſcribendis topicis, quorum uſum nonnulli pro merito ſuſpectis habent. Ut aliquo beneficio Lectores noſtros obſtringamus, ex omnibus unum apponendum eſſe cenſemus. Recipe olei Saturni ſeu lithargyrii, quod ex ſale Saturni ſeu ſacharo plumbi ſolutione fit, ſpermatis Ranarum drachmam, mercurii dulcis drachmam dimidiam, olei opii vel lupuli guttas duas, ſpiritus ſalis totidem, fiat mixtio; quo, ſi qui ſunt, quibus uti neceſſe ſit, ut cum ſucceſſu utantur, vovemus.

JO. FRID. HENKELII, S. REG. POLONIAR. Majeſtatis & Electoris Saxoniæ Collegii Metallici Conſiliarii, Idea generalis de Lapidum origine, per Obſervationes, Experimenta, & Conſectaria, ſuccincte adumbrata.

Dresdæ & Lipſiæ, in officina libraria Hekeliana, 1734. 8.
Plag. 6.

Qui *Floram ſaturnizantem* & *Pyritologiam* in dias luminis auras exire juſſit, ad lithogeneſiam eruderandam nunc ſeſe accinxit. Concludit Opuſculum ſuum genuina a *Boethio* petita confeſſione: *Mihi ipſemet non ſatisfacio* Addit: *Qui vero erroris me eſt purior, is primum in me lapidem conjiciat.* Quod Chriſtus ab adulteris in adulteram fieri poſtulabat. Abſtinemus proinde cum ceteris a cenſura & virgula dictatoria. *Quædam non intelligentur*, adjungit idem, *ſed aliena forte culpa, vel ob hiſtoriæ mineralium realis ignorantiam, vel ob præconceptam opinionem, vel ob negligentiam, qua in libris tanquam limo ſe volutare, non ordine, nec attente, legere, multi ſolent.* Ipſe Autor, per viginti annos in ſudetibus Miſniæ degens, terræ viſcerum non ſuperficiaria inſpectione inſtructus, analyſi & ſyntheſi cum & ſine igne uſus, ex laboribus ſuis fructum aliquem redundare in harum rerum curioſos jubet. Generationes in occulto

Digitized by Google

cultu fiunt. Ex obſervationibus igitur & experimentis ea ſunt elicienda, quæ ad doctrinam ſolidam in hoc momento facere queunt. Initio telluris ſuperficies retinuit paſſim mollitiem. Viſcoſa materia ſucceſſu temporis coiit. Stalactitæ & ſchiſti id ſatis loquuntur. Luſus naturæ haud favet Noachico diluvio. Pag. 9 ſeq. Nec dendritæ favent illi naturæ luſui, ſiquidem illi nihil corporum unquam involvunt. Corneus & calcarius lapis induruit, piſceſque & conchylia ex inundatione ſervavit Noachica. Quadrupedum exempla ex figura quadrupedis laudati, ſimiam exacte referentis, & eis, quæ *Swedenborgius regni ſubterranei Tom. III de cupro §. 17 fol. 168 ſeq.* attulit, innoteſcunt talia, quæ veritatem diluvii Noachici ſatis evincunt. *Saxum ſabuloſum* ideo etiam venit in cenſum. Mar- 13 ſeq.
tem ſeu ferrum in vegetabilium cineribus hoſpitari, demonſtravit *Lemmery* cum aliis. Corallia adhuc in mari creſcere, oſtendit Comes *Marſiglius*. Oſteocolla fiſtuloſa Maſſelenſis 33 ſeq.
Sileſiorum & Sonneburgico ex ſabulo enaſcitur. *Turcois Romurii* eodem referri poteſt. Ligna haud pauca lapideſcunt. Calculus, in animalibus obvius, ex liquore limpidiſſimo prodiit & generatus fuit. *Ceraunius* pro lapide meteorico indu- 38.
bie haberi nequit. Origines ſilicis debentur antiquiſſimis temporibus. *Marga* per ignem indurantem in ſtatum pyritæ & ſilicis redigi poteſt, ſubſtantiæ alioqui vitreæ. Gemmarum 42 ſeq.
ſtatus olim præexſtitit fluidus. Per ignem lapidum ſubſtan- 54 ſeq.
tias Autor divellere & diducere conatus, deprehendit, alios lapides permanſiſſe, alios reperit induruiſſe, alios in pulverem redactos, alios redditos fuiſſe fuſiles. Expertus eſt 63 ſeq.
idem, eſſentiam hypoſtaticam lapidum eſſe vel margam vel cretam, vel inter utramque aliquid medii, vel metallici quidquam. Materia adjuncta eſt vel ſalina, vel oleoſa, vel metallica, vel ſalino-ſulphurea. Methodus ſynthetica huc usque fere fuit inacceſſa. Communis petrificandi methodus huc us- 66 ſeq.
que fuit *vitrificatoria*. Per urinam humanam, ceu liquorem 69 ſeq.
terreum ſalſumque, beneficio longinquæ, ejusque inſenſibilis, evaporationis, Autor pervenit ad modum ſyntheticum quendam. Ex hoc aliisque experimentis didicit idem, lapides induruiſſe 93 ſeq.

Digitized by Google

vel per congelationem, vel per coalitionem, vel per germinationem, uti in coralliis; vel per criſtalliſationem, vel per petrificationem. Gemmæ ex congelatione fuerunt ortæ, quod apparet ex gemmis in gemmis, & ex arena in gemmis. Nam quis dubitat, gemmas fuiſſe elaboratas per modum, quo totum continuum ſenſim ſimulque exaruit? Supereſt, ut Autor de lapidibus figuratis fuſius ſuam ediſſerat illuſtretque ſententiam. Id enim in quæſtionem trahitur, an conchitæ & cochlitæ, ichthyitæ & conſimiles figurati lapides, ad unum omnes ſint diluviorum reliquiæ, an vero adhuc in udis terræ cavernis procreſcere queant. Illud ſi fecerit, ultra ludimagiſtrum ſapere eum, omnes prædicabunt.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE DES Sciences A. MDCCXXVI, &c.

h. e.

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM Anni 1726, una cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis ejusdem Anni.

Pariſiis, e typographia regia, 1728, 4.
Alph. 2 plag. 9, Tabb. æn. 16.

In *Phyſica* generali *Reaumur* de Saturno ſonoro obſervavit, regulum (*culot*) hujus metalli in cochleari ferreo fuſum, non nimis nec in medio, nec in margine, craſſum ſonum edere, quanquam plumbum alias nullum producere credatur; perditur tamen ſonus, ſi metallum malleo cudatur, vel circa marginem nimis ſit tenue. *Lemery* primus, poſt eum *Reaumur* exactius, obſervationem inſtituit. Auroram borealem d. 26 Septembr. *de Mairan*, d. 29 Octobr. autem & hic, & *Godinus*, obſervarunt. Ex aliquot diebus 26 Septembris antecedentibus cœlum perſerenum, tempeſtate ſatis calida, die tantum antecedente, die eclipſis, occidentem verſus, circa horam 4 & 5, nubeculæ nonnullæ apparebant, ſol tamen ita clare poſtea, ac ab omnibus vaporibus immunis, occidebat, ſicut alias circa meridiem ſplendet. Lumen ad 85 vel 86 graduum longitudinem zonæ inſtar extendebatur, latitudo in medio quartam

Digitized by Google

tam circiter longitudinis occupabat partem, extrema verſus attenuabatur, decreſcente & ibidem claritate. Columnas quod attinet, hoc maxime notandum, eas nunquam ad horizontem perpendiculares, ſed punctum verſus convergentes, fuiſſe, quod judicabatur tantum ſub horizonte depreſſum, quantum polus ſupra eum elevatur, videbatur & totum phænomenon ortum verſus aliquantisper promoveri, redibat ſequenti die, cœlo ſæpe nubibus tecto, ab hora ſexta præcipue veſpertina ad 11 usque, aurora, eodem plane loco, iisdemque circumſtantiis, ut præcedente. Quæ d. 19 Octobr. obſervabatur, itidem clariſſimum ſereniſſimumque inſequebatur cœlum, tempore tamen nonnihil frigidiore, altior iſta, latiorque hæc luminoſa zona, altiſſima duarum in pectore urſæ majoris, ac tres, quæ in cauda, apparebant, ceteræ hujus conſtellationis ſtellæ nimio limbi ſplendore occultabantur; ſtellæ tamen in toto reliquo cœlo mirum ſcintillabant, ad 102 gradus diſtabant arcus crura, quæ lucidiora cetero limbo, cum in aurora præcedente arcus horizontem verſus paulo obſcurior fieret. Circa horam 8 totum phænomenon coronam referebat, cujus centrum ad ſtellam o Andromedæ, in annulo catenæ, unde concluditur, centrum hujus coronæ, punctum unionis vibrationum, undarum, fumi luminoſi, fuiſſe 7 vel 8 gradus a puncto verticali ad meridiem, declinans unum circiter gradum occaſum verſus, in pago Breuilleponto, ſito inter Pacium & Iberium, in Diœceſi Eboricenſi. *Mairan* ad 70 leucas evehit meteoron. In obſervatione *Godini* hoc maxime notandum videtur, apparuiſſe die ſequenti eodem prorſus in cœli loco hanc nubem, quæ tot excitarat obſervatores. Nonnullis, quæ ſequebantur, noctibus, in eodem perfecte loco apparuit iterum. *Godinus* multas particulas ab ortu in occaſum, nullas hinc, inde in zona promotas vult. Polum coronæ iſtius poſt horam 8 *Godinus* nonnihil a puncto verticali S. E. verſus ſtatuit, non tamen athmoſphæram egredi patitur phænomenon. Annectit hiſtoriam multorum antecedentibus ſeculis obſervatorum, cum nonnullis chymicis, huc ſpectantibus. *Reaumur* multum laborat, ut, eſſe martem, adſtruat, omnium metallorum id, quod optime exprimat figuras

ras vaſis recipientis, & majus occupare ſpatium poſt refrigerationis initia, quam in ſummo caloris gradu. *Bouguer*, Hydrographus, comparando lumen lunæ a charta, & unius cerei ab eadem exceptum, admoto vel remoto cereo, poſt comparando lucem ſolis & lunæ per foramen cameræ obſcuræ tranſeuntem, concludit Phœbi radios 300000 circiter fortiores Dianæ lumine. A. 1725 ſumma pluviæ $17^d\ 6\frac{1}{3}$ lin. Thermometri altitudo ima 26° d. 23 & 26 Febr. ſumma 60°, d 5 Julii – 14, ſed d. 13 hora 3 p. m. 76°. Barometri elevatio ſumma d. 3, & 4 Martii 28^d 4 lin. tempore ſereno, ima d. 19 Decembr. 26^d 10 lin. Declinatio acus magneticæ d. 6 Nov. & 30 Dec. acu 4^d erat 13° 15′ N W. Anno 1726 ſumma pluviæ, 11^d. $4\frac{3}{4}$ lin. Thermometri altitudo ima 20°, d. 19 & 21 Jan. ſumma 77°, d. 27 & 28 Aug. Barometri elevatio ſumma, d. 27 Decembr. 28^d. 8 lin. ad quam 40 non pervenit annis, ima d. 7 & 21 Dec 27^d. 2 lin. tempore obſcuro. Declinatio acus magneticæ d. 5 Dec. 13° 45′ N. W. Ergo jam iterum, poſt ſtationem 4 annorum, adaugetur.

In *Anatomia Petit* multas circa oculum exhibet obſervationes, ut oſtendat, nervi intercoſtalis propagines ad oculum pertingere; in bove, equo, & vervece, oculos minus eſſe convexos ad poſteriores, quam ad anteriores, partes, avium contra lumina paulo planiora ad anteriores, homini, cani, feli, & lupo fere rotundos eſſe oculos; in cornea negri lineas profundе rubras obſervari, cujusmodi in unius modo albi cornea deprehendit, cryſtallinum in homine lente variari, & qua colorem & qua duritiem, eundem ſemper pellucidiorem eſſe in poſtica parte. Inveniebatur in corde Patris e S. I. os $4\frac{1}{2}^d$ longum, uno latius pollice. Non tamen in ventriculos cordis penetrabat, ſed intra medium eorum tranſibat, æger mortuus 72 anno. Pſittacus 40 ætatis ſuæ anno Pariſiis ovum excluſit. *Winslow*, de motu humeri diſſerens, quatuor motuum ejus conſtituit claſſes, in altum, ad inferiora, in antecedentia, & retrorſum. *Petit*, de loco pro operanda cataracta agens, tandem unam & dimidiam lineam pro tute perforando permittit oculo.

In *Chymia Geoffroy* junior, poſt nonnulla tentamina, oleum tere-

Digitized by Google

terebinthinæ ſpiritus nitri fumantis & olei vitrioli concentrati æqualibus portionibus inflammari, immo & oleum thymi, juniperi, & menthæ, inflammari ac explodi deprehendit modo dictorum liquorum commixtione. Aquæ minerales Paſſienſes, examinatæ jam Annis 1701, 1720, 1724, *Boulduc*, filio, iterum de iis differendi anſam præbuerunt. Componuntur hæ aquæ ferro crocum referente, pulvere albo ſubtiliſſimo, cryſtallis translucidis, & maſſa albicante, ac ſalina, quæ aeri expoſita fluida evadit.

In *Botanica* a *Danty d'Isnard* methodus corrigendi olei fagi, & a *Reaumur* animadverſiones proponuntur in plantam chinenſem, vermis, cujus radix tempore hyemali in vermem transformari creditur, deprehenſum vero eſt, annecti radici vermem cauda ſua tam arcte, ut idem cum planta videatur corpus.

In *Arithmetica Mairan* obſervavit, ordine numerorum permutato, e. g. 21 & 12, 52 & 25, differentiam quorumlibet binorum ſemper eſſe 9, vel ejus multiplum.

In *Geometria Maupertuis* diſſeruit de curvis parabolicis, quarum areæ datæ reſpondeant abſciſſis datis. Idem *Maupertuis* de maximis & minimis in trapezio commentatur. *Couplet* de impulſu terræ contra munitionem externam, & de hujus vi, contra *Bulleti* præcipue Architecturam practicam, impreſſam Pariſiis A. 1691, ejusque *pag.* 171, multa monuit. In hac Diſſertatione munitiones perfecte politas ſuppoſuit, præclare de harum craſſitie locutus, in alia autem conſiderabit munitiones, quarum ſuperficies inæquales, vel glareoſæ. *Pitot* ſub examen vocavit reſiſtentiam arcuum, quibus utimur in conſtruendis magnis fornicibus vel arcubus, pontes ſuſtinentibus. Supponit, ligno quercino lineæ quadratæ unius in directum tracto, ordinarie plus 60 libris requiri ad id divellendum; hinc uni lineæ quadratæ tuto ſuperſtrui autumat 50 libras, ac exin pro arcu 60 pedum diametri, & depreſſo 80 pedum diametri, pondera calculo ſubducit, quæ arcus ligneus ferre debet, donec tota claudatur fornix.

In *Aſtronomia Maraldus* ex R. P. *Gaubil* & *Jacques*, S. J. communicatione cum R. P. *Souciet*, obſervationes Aſtronomicas Pekini factas cum Pariſienſibus comparat, Cometæ anni 1723, quæ tamen non ſatis exactæ, eclipſium jovialium

Digitized by Google

A. 1724 & 1725, unde differentia meridianorum Pekinum & Lutetias inter eruitur $7^h\ 36', 20''$. *De l'Isle* longitudinem oſtii fluvii Miſiſippi determinat, differens 11° a P. *Laval*, qui ea tot gradibus vel 200 leucis occidentaliora facit. Idem ex altitudinibus ſolis meridianis elevationem poli Berolini ſtatuit $52^\circ, 32'\frac{1}{2}$. *Caſſini* occultationem martis a luna in obſervatorio d. 18 Jan. $7^h, 15', 11''$, ac tempus $12''$ obſervavit, quo martis ſemidiameter lunæ diſcum ſubintravit. Idem d. 25 Sept. initium eclipſis ſolis Thunii prope Claramontium in Bellovacenſi agro $4^h, 35'$, medium $5^h\ 35'$, ſummam eclipſin $6^h, 10'$, *Godinus* vero in Obſervatorio Regio ſummam eclipſin $5^h, 35', 22''$, digitorum 6 16', obſervavit.

In *Catoptrica du Fay* in ſpeculo plano quadrato imaginem ſolis excepit, & ſpeculum ſphæricum ad 600 pedum diſtantiam poſitum, his reflexis radiis tamen adhuc ignem excitavit, unde adhibitis pluribus ſpeculis planis *Tzetzæ*, de *Archimede*, naves Romanorum comburente, mentionem facienti, aliqua lux accendi poſſit.

In *Mechanica* Abbas *de Molieres* de impulſu corporum perfecte elaſticorum, poſt inſerta Annis 1706, 1721, & 1723, multa diſſeruit. Si corpus infinite parvum celeritate finita impingit in corpus finitum quieſcens, corpus infinite parvum conſervat poſt impulſum eandem vim, quam ante habebat, & finitum, quod omni deſtituebatur, duplo fertur corporis infiniti; hinc quantitas motus totalis triplicatur impulſu. Unde naſcitur poſt impulſum tam mira vis augmentatio? Si utrumque corpus ſit finitum, non præciſe tripla evadet motus quantitas, valde tamen adaugebitur. In tres partes dividit hunc tractatum. In prima ſtatus quæſtionis, ac præciſum determinatur difficultatis punctum. In ſecunda corpora perfecte elaſtica conſiderantur, adhibitis ſolius Mechanicæ principiis. Tertia eruit effectum elaſticitatis in omni reliquo corporum impulſu, ubi corpus pulſum celeritate finita fertur. Spectant & huc *Coupleti* & *Pitot* Diſſertationes, quarum in Geometria memineramus.

Elogium *Guilielmi de l'Isle* nos docet, illum natum Pariſiis A 1675, ultimo Februarii, A. 1699, ætatis 25, primam ejus mappam, mundi nempe univerſalem, prodiiſſe, hanc 90

poſt

poſt, & omnes elegantes, inſecutas; A. 1718 primarium Regis Geographum cum ſalario annuo factum, ultimum vero opus, mappam Maltæ, ad Abbatis *Vertot* Hiſtoriam Maltæ, finiiſſe d. 25 Jan. A. 1726 mane, poſt meridiem eodem die in platea apoplexia ictum. In Academiam receptus eſt A. 1702. Rex Sardiniæ, tunc temporis Siciliæ, jubebat mappam Siciliæ ſerio examinari, ac tam exacte veritati congruam deprehendebat, ut & Epiſtola, & Regio dono, illum dignaretur. Legatus, utrumque ei tradens, vehementer inſiſtebat, velit in Regis ſui caſtra tranſire, quod vero nunquam perſuaſit. Ac *Petrus I* ſæpius cum illo collocutus eſt de propriis Regionibus. Duo fratrum, uterque Academicus Pariſienſis, Petroburgum vocati ſunt. Tertius Hiſtoriarum ſtudia proſequitur.

LETTERA DEL SIGN. GIUSEPPE Valletta, &c.

h. e.

EPISTOLA JOSEPHI VALLETTÆ, NEApolitani, ad CLEMENTEM XI, P. M. qua Philoſophia hodierna & ejus cultores defenduntur. Accedit in hanc Epiſtolam Obſervatio.

Rovereti, apud Petrum Anton. Bernum, 1732, 8.
Plag. 14.

Hanc Epiſtolam Autor, A. 1714 defunctus, jam A. 1700 exaravit. Quam cum identidem deſcriptam multis probari Editor animadverteret, prelo ſubjiciendam edendamque cenſuit: addita Anonymi Obſervatione, nequaquam ſpernenda. Id autem agit in ſua Epiſtola *Valletta*, ut *Ariſtotelem*, ejuſque Philoſophiam, tanquam religioni adverſam, a Patribus Eccleſiæ repudiatam, omnium hæreſium fontem, planeque perverſam, & nullius pretii, omnibus modis vituperet, *Carteſium* contra, & *Carteſianam* Philoſophiam, ad cœlum laudibus tollat: nec dubitare videtur, quin *Carteſius* cum ſaniſſimis ac

præſtantiſſimis veterum Philoſophorum, *Pythagora, Platone, Democrito*, apprime conſentiat, atque ea tradat, quæ veræ religioni egregie ſuffragentur. Jam Autor Obſervationis adjectæ, quanquam generatim inſtitutum *Vallettæ* minime improbat, duo tamen rectiſſime monet. Primo, rem facilem eſſe, oſtendit, ſimilibus, quibus *Valletta* utitur, argumentis *Ariſtotelem* laudare, *Platonem*que & *Carteſium* accuſare. Deinde negat, Philoſophiam hodiernam cum *Carteſiana* pro re una atque eadem habendam eſſe: veram enim Philoſophiam hodiernam, hoc eſt, eam, quam recentiores Philoſophi, diu neglectam & oppreſſam, in lucem & uſum denuo protraxerint, in hoc maxime conſiſtere, ut, excuſſo jugo *Ariſtotelis* & cujusque unius Philoſophi, veritatem libere perſequamur, &, ubicunque ſe offerat, rite amplectamur: hujus defenſionem Philoſophiæ meritiſſimo ſuſcipiendam, haudquaquam vero in laude *Carteſii* & vituperio *Ariſtotelis* fundandam eſſe.

GENEALOGIA LUTHERORUM, oder Hiſtoriſche Erzehlung von D. Martini Lutheri heutigen Anverwandten, &c.

h. e.

NARRATIO HISTORICA DE D. MARTINI LUTHERI 1) hodie ſuperſtitibus cognatis; 2) die connubiali, conjugisque generoſa ſtirpe editæ familia, liberis, & viduatu; 3) hodierna poſteritate, & Diplomatibus Cæſarum Principumque, Epiſtolis ineditis, aliisque monumentis memorabilibus, concinnata & Figuris æneis exornata a M. DAVIDE RICHTERO, Gymnaſ. Guſtrov. Rectore.

Berolini & Lipſiæ, apud Jo. Andr. Rüdigerum, 1733, 4. Alph. 2 plag. 10, Tabb. æn. 12.

In

Digitized by Google

In Præfatione Operis ſui incunabula atque incrementa enarrat Autor, atque Ven. *Jo. Martino Luthero*, Canonico Cizenſi ſeniori, hodie inter *Lutheri* poſteros familiam ducenti, (cui & Opus dedicavit,) ejusque genero, *Jo. Chriſtiano Grubnero*, Advocato Saxonico, permulta ſe debere, gratus profitetur. Tabulam autem genealogicam *Lutherorum*, a *Dav. Keil*, Eccleſiaſte Burckartshaynenſi prope Wurzenam, *Collectioni rerum Theolog. nov. antiq. A. 1731 pag. 526* inſertam, hujusque hac in re agendi rationem, minime probat. Tum & prævios ſibi hoc in argumento ſcriptores nonnullos ſub cenſuram vocat, ſcriptoque ſuo ex emendationibus, & acceſſionibus, a jam laudato ſeniore Canonico, *Jo. Martino Luthero*, profectis, majorem accurationem acceſſiſſe ait. Idem ſe profitetur Autorem libri, cui titulus, *Ausführliche Hiſtorie und Recht eines Evangeliſch - Lutheriſchen Jubilai*, qui A. 1717, ſub nomine *M. Gottbold Prætorii, Veneti*, Jenæ prodiit. Præfationem verboſiorem excipit Operis *Pars I*, de parentela *Lutheri*, ſeu de ipſius parentibus & fratribus ac ſororibus, affinibus & propinquis, qua oſtendit Autor, jam tempore *Lutheri* in varios ramos diffuſam fuiſſe, e qua originem duxit, ſtirpem, fateturque, hanc partem maxime omnium ſupplementis egere. Mirifice hic commendat *Scriptorum publicorum Academiæ Wittebergenſis, ab A. 1540 ad 1569 editorum, Tomos VII*, optatque, ut ineditæ *Lutheri* Epiſtolæ, liber ordinandorum in Academia Wittebergenſi, Annales Collegii Wittebergenſis, & liber MStus Academiæ Wittebergenſis, in lucem prodeant. Appendicis loco huic *Parti* adjungit varios *Lutheros*, quorum cum ſtirpe *Martini* noſtri cognatio eſt incerta. *Parte II*, præmiſſis nonnullis notioribus de ſtudiis & fatis *Martini Lutheri*, diem, quo matrimonium ille iniit, accuratius, quam a *Matheſio*, *Seckendorfio*, *Mullero*, *Frickio*, *Mayero*, factum, determinans, nuptias non ipſo feſto Trinitatis d. 11 Jun. ut illi tradunt, ſed, uti e *Lutheri* ad *Stifelium* & *Melanchthonis* ad *Camerarium* Epiſtola patet, d. 13 Jun. A. 1525, celebraſſe, easque nec clandeſtinas, nec illicitas, aut præcipiti impetu feſtinatas, ſed honeſtiſſima ratione & deliberato conſilio conſummatas fuiſſe, multis probat. Simulque errorem oſtendit, & evitare jubet, quo

Pag. 6.

174.

quo in Tomis Operum *Lutheri* omnibus, etiam recens editis Lipſienſibus, verſiones Germanicas exhibentibus, perperam ſæpe notantur dies, quibus Epiſtolæ a *Luthero* ſunt ſcriptæ: quando e. g. *Feria III poſt Judica* redditur *Dienſtag nach Judica*, cum reddendum ſit, *Mittewoch nach Judica*, ſiquidem
Pag. 305. ſeq. *feria* diem profeſſum notet. Porro de ſtirpe & cognatis *Catharinæ de Bora*, *Lutheri* conjugis, ejusdemque indole, disquirit, tamque imperioſam & moroſam fuiſſe negat, ut cum *Xanthippe* camparari queat. Frugalitatis etiam laudem ei tribuit, &, qui prodigam criminantur, (inter quos & eſt Ill. *Jo. Petr. de Ludewig Tom. V Reliqu. MS. pag. 350,*) refellit in Additam. *pag. 751*. Tum accuratam narrationem de progenie *Lutheri* exhibet, e qua paucula notaſſe ſufficiat. Primogenitus *Martini Lutheri* filius fuit *Joannes*, natus d. 7 Jun. A. 1526, Ducum Saxoniæ, *Jo. Wilhelmi* & *Jo. Friderici II & III*, Conſiliarius, Gotha ante turbas *Grumbachianas* dimiſſus, at in turbatam eo tempore a *Scalichio* aulam *Alberti*, Pruſſiæ Ducis, delatus, & Regiomonti A. 1575 d. 29 Octobr. defunctus.
340. Conjux ejus fuit *Eliſabetha*, *Caſp. Crucigeri* filia, quæ canticum, *Herr Chriſt der einig Gottes Sohn*, confecit. *Joannem* hunc excepit *Eliſabetha*, nata d. 10 Dec. A. 1527, exſtincta d. 3 Aug. A. 1528. Inde in lucem prodiit *Magdalena*, nata d. 4 Maji A 1529, mortua d. 20 Septembr. A. 1542. Porro d. 7
359. Nov. A. 1531 natus eſt *Martinus*, Theologiæ primum ſtudium, at deinde ob valetudinem vitam privatam, amplexus. Hic A. 1560 duxit *Annam*, *Jo. Heiligeri*, Conſulis Wittebergenſis, filiam, & improlis deceſſit d. 3 Mart. A. 1565. Denique d. 28 Jan. A. 1533 natus eſt *Paulus*, unicus ſtirpis propagator. Noviſſime acceſſit *Margaretha*, nata A. 1534, nupta *Georgio de Kuhnheim*, Conſiliario Pruſſico, cum quinque liberis Mulhuſii in Pruſſia ſepulta, de qua notitiam uberiorem Autor deſiderat. Idem adjungit teſtamentum *Lutheri*, ejusque confirmationem, autoritate *Jo. Friderici*, Saxoniæ Electoris, conſignatam; nec non ſupplementum quoddam Diſſertationis *Gœtzianæ de domeſticis Lutheri*; item nonnulla de fatis triſtioribus, quæ familiam *Lutheri* poſt ipſius obitum, (Witteberga a *Carolo V* A.

1547

1547 occupata, & peſte A. 1552 graſſante, quo anno & Torgaviæ obiit *Catharina de Bora*,) afflixere. *Pars III* Capitibus IV tota agit de *Paulo Luthero*, ejusque proſapia, quatuor nempe filiis & duabus filiabus, quorum mater fuit *Anna de Warbeck*, filia *Viti de Warbeck*, Conſiliarii Saxonici; quam ille non niſi annos natus viginti uxorem duxit; id quod magni animi ſignum Autor interpretatur, & hujusmodi nuptiarum plura exempla adducit. Ceterum *Paulus* hic creatus eſt Medicinæ Doctor Regiomonti A. 1557, fuitque primo Archiater *Jo. Friderici II*, Saxoniæ Ducis, eique in obſidione Gothana fideliſſime adfuit, at ipſius ruina haud eſt involutus. Mox enim in aula *Joachimi II*, Electoris Brandeburgenſis, &, poſt hujus obitum, in aula *Auguſti*, Saxoniæ Electoris, Medicum primarium egit, Principumque horum, & inprimis *Auguſti*, quem & artis Chymicæ & Spagiricæ arcana docuit, gratia eximie floruit, obiitque Lipſiæ d. 8 Mart. A. 1593. Inter filios ipſius familiam ſolus propagavit *Joannes Erneſtus*, Canonicus Cizenſis, natus d. 24 Aug. A. 1560, mortuus d. 30 Nov. A. 1637, de quo Autor agit *Capite IV*. Inter hujus octo liberos *Jo. Martinus Lutherus*, Conſiliarius regiminis epiſcopalis Miſnenſis, & Collegii Canonicorum Misnenſium Decanus, natus Cizæ A. 1616 d. 11 Nov. mortuus d. 13 Jul. A. 16 9, de quo *Capite V*. Pater fuit quatuor filiorum; e quibus itidem ſolus ſtirpis propagator, & numeroſæ familiæ parens, exſtitit *Jo. Martinus II*, Canonicus Cizenſis, natus d. 27 Jul. A. 1663, Autoris in concinnando hoc Opere patronus & adjutor inſignis; de cujus vita & familia *Caput VI* a ſupra laudato *Grubnero* conſcriptum eſt. *Pars IV* complectitur varia addenda & corrigenda, quibus inter alia e *Georgii de Kuhnheim*, generi *Martini Lutheri*, funebribus memorabilia quædam, ſupra deſiderata, aque Cl. *Lilienthalio* ſuppeditata, inſerit, unde patet, ipſum cum *Margaretha* ſua *Luthera* nuptias celebraſſe d. 5 Aug. A. 1555, annos XV in matrimonio vixiſſe, & liberos novem genuiſſe, anno autem 1611, ætatis 79, obiiſſe. Accedit denique Index, ea diligentia concinnatus, ut Lexicon genealogicum *Lutheri* ab ipſo Autore dicatur. Icones vero additæ ſunt, eæque affabre ſculptæ, *Martini Lutheri*, & conjugis,

gis, *Catharinæ de Bora*; *Pauli Lutheri*, & conjugis *Annæ de Warbeck*; *Jo. Erneſti Lutheri*, & conjugis, *Marthæ Blumenſtengeliæ*; *Jo. Martini Lutheri I*, & conjugis, *Margarethæ Sophiæ Hulſemanniæ*; *Gabrielis Lutheri*, Conſiliarii Aulici Baruthini, & denique, in fronte libri conſpicua, icon *Margarethæ*, *Martini Lutheri* filiæ, conjugis *Georg. de Kuhnheim*. Haud absque ratione optat Autor, ut hoc exemplo ad ſcribendam Genealogiam etiam *Leyſerianam*, *Oſiandrinam*, *Olearianam*, *Carpzovianam*, &c. hic vel ille excitetur: ac, ſi forte Reformatorum cuidam in mentem veniat *Zwinglii* aut *Calvini* Genealogiam exhibere, hanc æmulationem facile ferri poſſe, judicat.

HISTOIRE D'UN VOYAGE LITTERAIRE, &c.

h. e.

HISTORIA ITINERIS LITERARII, Anno MDCCXXXIII per Galliam, Angliam, atque Bataviam, facti, cum Epiſtola perquam curioſa, de venditatis vulgo Abbatis Pariſii miraculis, ridiculisque Folardi, Equitis, convulſionibus.

Hagæ Comitum, apud Adrianum Mœtjens, 1735, 12 maj. Plag. 11.

Magnum ſemper fuit faciendi itineris in Autore eleganter docto deſiderium, neque tamen ulla ejus explendi opportunitas obvenit ante annum in libelli inſcriptione indicatum, quo iter ſuum in Galliam, Angliam, atque Belgium, ſex menſium ſpatio abſolvit. Quod quemadmodum eo animo præcipue iniit, ut ingenium Hiſtoria literaria, noſtri potiſſimum temporis, excolendi haberet occaſionem; ita & obſervationes varias, quas eo pertinere exiſtimabat, in commentarios ſuos, quamlibet feſtinanter, retulit, atque nunc, multorum rogatu, in publicos uſus expromſit. Nomen ſuum nusquam diſerte, ſed in fine Dedicationis primis tantum literis *C. E. J.* notavit. *Jordanum* autem

autem vocari Autorem, eundemque verbi divini præconem ad
Reformatorum quendam in terris Brandenburgicis cœtum eſſe,
nobis aliunde eſt compertum. Pro inſtituti igitur ſui ratione
cum Academiarum quarundam ſtatum & conditionem expo-
nit, & hinc inde de antiquitatibus, picturis, marmoribus, re-
rum naturalium, & numorum rariorum, theſauris, aliisque re-
bus, quæ aliquo modo ad literarum ſtudia ſpectare videntur,
agit, tum vero præcipue notitiam virorum noſtræ ætatis eru-
ditione meritisque in civitatem literatam illuſtrium, quos ipſe
convenit, non minus, quam librorum varii generis, illuſtrat &
auget. Sicut enim illorum, quos hic enumerare omnes lon-
gum nimis & tædioſum foret, inprimis cum nomina ex Indi-
ce ſatis pateant, characteres ſcite admodum, ſimulque ingenue
& libere, exprimit, libros jam editos perinde atque promiſſos,
deſtinatos, & affectos, item controverſias, maxime vero etiam
varios ſermones cum ipſo coram habitos, commemorat; ita
etiam Bibliothecas, quas vidit, publicas privatasque, Codices
MStos earundem præcipuos, libros rariores, inprimis ſub
typographiæ initia excuſos, ſæpe etiam a *Mattairio* præ-
termiſſos, aliaque illarum decora, enarrat, & varios ſi-
mul ſcriptores ἀνωνύμως revelat, nonnullos etiam rariores li-
bros a ſe viſos vel emtos diligenter percenſet, & locos nota-
biliores identidem ex illis excerpit. Ita enim, ut rem exem-
plis probemus, copioſius eum diſſerentem videas de Pſalmis a
Maroto & *Beza* verſis, & apud *Plantinum* A. 1564 in 12 excu- Pag. 20.
ſis; de *Gellii* Noctibus Atticis, ſumma accuratione *Joannis Con-* 24.
nelli, Carnotenſis, ad recognitionem *Beroaldinam* repoſitis, cum
Alphabetico Indice, Pariſiis, apud *Joannem Petitum* A. 1511 edi-
tis, quam editionem B. *Jo. Alb. Fabricius* non cognitam habuiſſe 28.
videtur; de *Mari Philelphi* Epiſtolis, octoginta Epiſtolarum ge-
nera complectentibus; de *Pomponatii* libris de immortalitate 38.
animæ, & incantationibus, ex quibus & Epitaphium ejus refer-
tur, quod ita ſe habet: *Hic ſepultus jaceo. Quare? Neſcio:*
nec, ſi ſcis, aut neſcis, curo. Si vales, bene eſt; vivens valui.
Fortaſſe nunc valeo. Si autem non, dicere nequeo; de quo-
dam hymnorum Canonicorum, ſive horarum, libro antiquo; 40.

de Tragi-Comœdia Domini *de la Croix*, quæ *Climene* inſcripta, maximam partem vero ex *Iſabella Pauli Fery* per pla-
Pag. 54. gium excerpta fuit; de Antidoto *Maroti*, Autore *Arto De-*
78. 84. *ſirio*; de Poematibus *Baifii*; de libro Conformitatum, impreſ-
85. ſo Mediolani per *Gotbardum Ponticum* A. 1510; de Clave E-
88. piſtolarum *Grotii* manu exarata, cujus etiam duo ſpecimina afferuntur; de Decreto *Gratiani*; A 1472 excuſo, ex cujus fine locus repetitur, pro gloria artis typographicæ inventæ Ger-
89. manis aſſerenda; de Operibus *des Portes*, ex quibus verba recitantur, quibus vale Poloniæ dixit, hujusque Provinciæ non adeo honorificam & commendabilem deſcriptionem exhibet;
92. de libro *Antigaraſſus* inſcripto; de libris quibusdam Gallicis:
106. *Le Catalogue des Villes des Gaules de Gilles Corrozet, 1540, 12,* ex quo origines urbis Pariſiorum ſpeciminis loco repetit;
110. *Singularitéz des Gaules par* Claude Champier; *les Declamations, procedures, & arrêtz d'amours par* Martial d'Auvergne, *Pariſ. 1555, 12*; de *Oliverii Maillardi* Sermonibus; de
183. Poematibus *Vauquelini*, & *l'Oreille du Prince, par G. du Buys*;
185. de *Crucimanii* & *Verdierii* Bibliothecis Autorum Gallicorum;
170. de *Serveti* reſtitutione Chriſtianiſmi; ex qua locus ille hic repetitur, quo *Servetum* de ſanguinis circulo jam tum locutum eſſe, vulgo putant, isque hic obſervationibus criticis illuſtratur, multa veterum Autorum ſegmenta, quibus res noviſſime in-
190. ventæ jam ſignificari videntur, complexis; de quibusdam libris Gallicis *Joannis le Maire*, ut: *les Illuſtrations de Gayle & ſingularitéz de Troye* &c. ex quibus ſpecimina Poeſeos re-
197. citantur; item: *de la difference des Sciſmes*, &c. unde varia etiam excerpuntur, inprimis ubi de rebus Papatus non admo-
200. dum honorifice exiſtimat ille, & quando hiſtoriam de *Jo-*
201. *anna Papiſſa* pro vera & indubia habet, item quando de con-
38. jugio & uxoribus Clericorum in papatu diſputat. Præter hæc vero data occaſione doctiſſimus Autor obſervat, librum Gallicum *Repos de Cyrus* Autorem habere Abbatem *Pernetti*;
102. Gallicam verſionem *l'Eſſai ſur la Critique de Monſ. Pope*
121. Abbatem *du Reſnel*; *Obſervations curieuſes ſur toutes les Parties de la Phyſique* Patrem *Bougeant* ratione *Tomi primi*,

ni, ratione *ſecundi* autem & *tertii Tomi* patrem *Groſelier*, qui & ipſe *Tomum quartum* jam tum prelo deſtinavit; Diarium literarium *Journal des Savans* in præſenti Medicos *Buirettum* & *Andrium*, itemque *Hericurtum* & Abbatem *du Resnel*; Translationem Hypotypoſeos *Sexti Empirici*, apud Batavos A. 1725 editam, *Huartum*; librum Gallicum, *les avantures de Pomponius*, Benedictinum quendam *D. F. D. P.*; libellum itidem Gallicum, *Reflexions ſur la Poeſie*, *Remondum de St. Mard*; ut de aliis taceamus. Reſtat enim, ut nonnullas alias quoque res, quas meliorum artium & Hiſtoriæ literariæ cultoribus non minus jucundas fore credimus, notemus. Ita enim ex hoc libello multa cognoſcimus, quæ ad celeberrimum Poetam Gallum, *Voltarium*, attinent, maxime vero, quam variis & acribus cenſuris ejus *Templum Guſtus* fuerit exagitatum. Abbas *du Bos* retulit, ſe libellum *Huetii* de infirmitate intellectus humani, poſt illius mortem editi, manu ipſius *Huetii*, ſibi quam optime cognita, ſcriptum, habuiſſe in manibus, & cum exemplo typis excuſo accurate comparaſſe, plenamque omnino convenientiam utriusque deprehendiſſe, ut adeo de vero ejus Autore dubitare non liceat. *Bandurius Harduinum* vocavit *le Pere eternel des petites maiſons*. Pariſiis in Catalogo hominum, quorum imagines æri incidit Vir ſua arte celebris *des Rochers*, non ſine admiratione Autor reperit in claſſe Proteſtantium Theologorum *Confucium*, *Arium*, & *Mahomethum*. De convulſionibus *Folardi*, Equitis, & miraculis Abbatis *Pariſii*, agitur Epiſtola bene longa, ab Autore ad Amicum perſcripta. Non primus fuit errorum ſuorum architectus *Woolſtonus*, cum eosdem *Spinoza* primum excogitaſſe videatur. Vir Cl. *des Maiſeaux* Theodicæam a *Leibnitio* putat per jocum, luſumque ingenii, eſſe confictam. Quam opinionem cum celebris quidam Theologus etiam corroborare contenderit; Doctiſſ. Autor ea de re ſummos in republica literaria viros, *Wolffium*, *Bourgetum*, qui Neocomi agit, & *la Croze*, interrogavit, utpote quos pro ea, qua *Leibnitio* conjuncti fuerunt, neceſſitudine, ipſius mentem optime cognitam perſpectamque habere, ſibi perſuaſerat. Ab omnibus

Pag. 148. 168. 63. 102. 105. 106. 121. 142. 150.

Digitized by Google

vero reſponſum tulit, falſo hæc *Leibnitio* tribui, & cauſam il-
Pag. 151. lam ſerio ab ipſo ſemper eſſe actam. Cel. *Maſſonus* perhibuit, Codicum manu exaratorum veterum ætatem determinatu non adeo eſſe facilem, quin ſupputatio interdum ad 50, vel 100, imo 200, annos fallat, quoniam ſcriptores ſæpius literas veterum codicum accurate imitari multa opera elaborarunt, exceptis monumentis Seculi XII, quæ facile diſtinguantur a reliquis, nec Codicem Alexandrinum tantæ eſſe antiquitatis, ut vulgo putatur.
152. Qua occaſione hic inſeritur Epiſtola quædam Cl. *la Croze*, qua autoritas commatis *Joannei* de tribus in cœlo teſtibus *1 Jo. V*, 7, denuo convellitur. Quamvis enim pro doctrina de Servatoris noſtri deitate, utpote ex pluribus Novi Fœderis locis plana & manifeſta, vel capitis periculum ſe aditurum eſſe, Celeberrimus vir profiteatur; eam tamen non ex dubiis, incertis, & falſis argumentis demonſtrandam eſſe, contendit. Locum vero illum *Joannis* genuinum eſſe, negat, propter veterum Patrum & Scriptorum Eccleſiaſticorum, inprimis *Athanaſii*, qui nunquam ad eundem provocavit, etſi magno ipſi uſui futurum, modo in ejus ætatis codicibus extitiſſet, ſilentium, & haud aſpernandam antiquarum verſionum autoritatem, atque maxime etiam *Oecumenii* Commentarium in Epiſtolam illam *Joannis*, in qua ipſe textus integer legitur, ſine eo tamen commate, cujus propterea etiam nulla fit in Commentario mentio. Simul vero probat, Codicem Græcum Bibliothecæ Berolinenſis, ad quem etiam provocant, ex Complutenſi editione manu plane recenti deſcriptam, in verſionem vero Armenam comma illud *Joannis* jam ante Seculi XIV initia ab *Haithone* ex verſione Latina vulgata translatum eſſe.
160. Londini Cl. Autori certo eſt narratum, vita exceſſiſſe ibi ante aliquot annos Virum quendam eruditum, natione Anglum, *Hampden* cognominatum, eundemque ſcheda relicta omnes eas ſententias, quibus antea fuerat addictus, retractaſſe, omnem vero errorum, in quos ſeductus fuiſſet, culpam conjeciſſe in famoſum illum *Richardum Simonium*, qui in ſermone quodam privatim ſecum habito αὐθεντείαν librorum ſacrorum, veritatemque religionis Chriſtianæ, pernegaſ-

ſet,

ſet, variisque argumentis ſubvertere contendiſſet. Verum his particulis, credimus, Lectores, quorum intereſt, allectum iri, ut libellum ipſum, ſic ſatis bonum, etſi, quod in ejus generis libris fieri plerumque ſolet, inter res ſelectiores vulgaria etiam & inutilia narrantem, evolvant.

LE MEMORIE PIU SINGOLARI DI ROMA E ſue vicinanze, &c.

h. e.

MEMORABILIA MAXIME SINGULARIA Romæ ac viciniæ, deſcripta literis FRANCISCI FICORONII ad Illuſtr. Equitem BERNARDUM, Anglum, datis, quibus explicatio numi maximi moduli, Homerum exhibentis, adjecta eſt.

Romæ, apud Jo. Mariam Salvioni, 1730, fol.
Plag. 8.

Rogatus, ut, quæ caput quondam orbis terrarum, Roma, ejusque vicinia, ſpectatu digniora hodienum complectitur, memoriæ ſublevandæ cauſa breviter exponeret, Cel. *Ficoronius*, enumerat libello hoc, Romam viſentibus perutili, antiqua templa, thermas, circos, mauſolea, arcus triumphales, theatra, amphitheatra, obeliſcos, columnas, ſtatuas, atque alia, quæ hodienum ſive integra, ſive temporum injuria corrupta, ſpectantium ad ſe oculos in urbe convertunt, non prætermiſſis, quæ in vicinia notatu digniora reperiuntur. Brevi ἀξιομνημονεύτων horum recenſui, in quo nec mentio operum muſivorum ſtatuarumve aut picturarum recentiorum, quæ nomen ferunt, deeſt, ſubjungitur diſquiſitio de conturniato numo *Homeri*, cujus adverſa in parte expreſſa eſt Dirce cum Zeto & Amphione tauroque. Nempe quærenti, an expreſſus in eo vultus *Homeri* eundem ex vero reddat, quo tempore, quaquo in urbe, cuſus ſit numus, quam ob cauſam Dirce cum privignis, & cur non eadem ratione, atque in marmore Farneſiano, ſculpta

pta occurrat, ita reſpondet Cl. *Ficoronius*, ut ex ipſa indole numerum conturniatorum, qui labente demum Imperio Romano prodiere, quid de vultus ſimilitudine, de tempore item & loco, deque nexu, qui vultui *Homeri* cum hiſtoria Dirces intercedit, arbitrario prorſus, & nihil arcanæ ſignificationis habente, ſentiendum ſit, expendendum ſagacioribus relinquat. Quod vero ad ipſam Dirces repræſentationem attinet, ab ea, quæ in marmore Farneſiano ſiſtitur, prorſus diverſam, obſervat, illam convenire *Plinianæ* deſcriptioni, a qua cum in diverſum abeat illuſtre gentis Farneſiæ monumentum, perinde id, atque alia antiquorum opera, plus ſemel, atque adeo diſſimili habitu, fuiſſe ſculptum, ſibi perſuadet. Conturniati hujus numi meminit *Spanhemius* de uſu & præſtantia Numiſmatum *Diſſ. I pag. 26. Cujusmodi*, inquit, *equidem Laocoon Vaticanus, jam Plinii ævo pro ſupremo artis conatu habitus, Zetus & Amphion cum Dirce, Tauro, ac vinculo, ex uno ſimiliter lapide, ab illo quoque inter inſignia advecta Rhodo opera commemorati, ut veterem ac ſingularem numum, Romæ nunc conſpicuum, qui idem illud ſimulacrum exhibet, in altera autem parte Homeri caput, addito nomine: ΟΜΗΡΟΣ, obiter hic tangam, indice mihi ejus rei, qui eum in urbe ac pro vetuſto ibidem habitum vidit apud Franciſcum Ferroni, rerum antiquarum ſtudioſum ac peritum, his quoque artibus ac ſtudiis dedito Robert Sharp, Scoto. Ferronum* appellat *Ficoronium* Illuſtr. *Spanhemius*, ad cujus verba illuſtranda ipſam hujus numi delineationem ex *Ficoroniano* libello ſubjiciendam arbitramur.

TAB. II. Fig. 1.

M. JULII CAROLI SCHLÆGERI DISSERtatio Epiſtolaris de Europæ raptu ex Gemma antiqua.

Hamburgi, apud A. van den Hoeck & J. Mirgelberg, 1734, 4 maj.

Plag. 5, cum aliquot Fig. æn. & numis.

EJUS-

Digitized by Google

TAB. II ad Supplem. Nov.

Fig. III.



Digitized by Google

Digitized by Google

EJUSDEM DISSERTATIO EPISTOLARIS de Diana λυσιζώνῳ.

Hamburgi, ex officina Jo. Ge. Piſcatoris, 1735, 4 maj.
Plag. 9, cum Tabula ænea & numis.

Merito conjungimus Gamicas has duas Diſſertationes Cl.
Autoris, ſeſe mutuo illuſtrantes, quarum priore Viro
Illuſtri ac Magnif. *Jo. Anderſon*, Hamburgenſis Reipublicæ
Conſuli Primario, poſteriori autem Illuſtri D. *Nicolao Stam-
peel*, ejusdem Senatori, utrique immortaliter de civitate ſua
merito, utrique filiam elocanti feliciter, hæc ſolennia gratula-
tur. Prior Diſſertatio illuſtrat figuram Europæ raptæ, conſpi- TAB. II
cuam in antiqua Muſei *Anderſoniani* gemma ectypa, deſumta Fig. 2.
ex archetypo lapidis Onychis ἀναγλύφῳ, quem Cimeliar-
cheum Regis Galliæ aſſervat. Poſt Præfationem, ad Illuſtr. Pag. 6.
Anderſonium directam, memorat Noſter, *Philippum*, Aurelia-
nenſem Ducem, quondam Galliæ Regentem, gemmarum anti- 7.
quarum cupidiſſimum, viam facilem indagaſſe, varias gemma-
rum antiquarum figuras magno numero, exiguo pretio & la-
bore, colligendi. *Wilhelmus* quippe *Hombergius*, Chemiſta Ger-
manus, qui Principis valetudinem curabat, artem, in Anglia
forſan repertam, gemmas in vitro, igne liquefacto, exprimen-
di, ita perfecit, ut gemmarum nitidiſſime fabrefactarum ectypa
& ſimillima eſſent archetypis, & vitrum ipſorum lapidum
tinctum eſſet colore. Hujus artis beneficio tam Dux ipſe,
quam *Hombergius*, ſuas peculiares habuerunt collectiones
ejusmodi gemmarum ἐκτύπων. *Hombergiana* collectio, nu-
merum ſuperans millenarium, tranſiit poſthæc emtionis jure
ad Ill. *Anderſonium*, qui tunc Reipublicæ ſuæ cauſa lega-
tione apud Regem Galliæ fungebatur. His commemoratis,
ipſam figuræ in gemma explicationem aggreditur Autor, reji-
citque ſuam priorem, quæ etiam ipſius *Hombergii* fuit, opinio- 10.
nem, ſpecioſe licet ac docte illuſtratam, Deam Syriam videli-
cet, Aſtarten, ſive Venerem triumphantem, hac gemma repræ-
ſentari. Præclara hic eſt obſervatio Autoris circa πολυθεότη- 11.
τα gentilium. Antiquitus ſacrificuli lucri cauſa Deorum nume-
rum

Digitized by Google

rum in immenſum fere auxerant. Poſteriori autem tempore,
cum Chriſtiana religio incrementa cepiſſet majora, illudque de
uno vero Deo dogma poſtliminio quaſi terrarum orbi vindi-
caretur; iidem aſtuto conſilio varia illa *Jovis*, *Junonis*, *Mar-
tis*, *Bacchi*, &c Numina ad unum fere reduci oportere ajebant.
Neque enim iſtis temporibus antiquiora crediderimus ſigna Pan-
thea, quorum nec vola apud vetuſtiores Chriſtianiſmo ſcripto-
Pag. 15. res exſtat, nec veſtigium. Poſtea ſuam certiorem de iſta gem-
ma ſententiam Autor proponit, eamque ab ipſo Illuſtri *An-
derſonio* jam olim adoptatam, *Europam* fortaſſe, *Agenoris*,
Phœnicum Regis, filiam, raptumque ejus a *Jove* patratum, ibi-
27 ſeq. dem ſiſti luſtrandum. Hanc ſententiam præmunit contra duas
objectiones, & ſimul, modo libellum de Dea Syria *Luciano*
Samoſatenſi docte abjudicat, & alteri cuidam *Luciano* Syrio
tribuit, modo de laſcivia *Jovi* tributa ex mente veterum caſte
differit, modo in cauſas ejusdem inquirit. Deinde & ado-
ptatam ſententiam adſtruit ex figuræ in gemma ſimilitudine
37. cum aliis, quibus *Europæ* raptus depingitur. Poſt ἀμέργινα
veterum veſtimenta, & vitreas ſic dictas togas pellucidas, conſi-
40. derat, tandemque in ſenſum fabulæ de raptu *Europæ* inquirit,
& in votis pro ſalute gentis *Anderſonianæ* deſinit, quibus & no-
ſtra jungimus, ſummum Numen obteſtati, ut Ill. *Anderſo-
nium* Hamburgenſi non minus, quam univerſæ Reipublicæ Li-
terariæ, in ſeros annos ſervet.

Progredimur ad alteram Diſſertationem *de Diana* λυσιζώ-
7. νῳ, quæ a laudibus Ill. D. *Nic. Stampeel* meritis orditur. Poſt
etymologiam denominationis λυσιζώνος indagans, de utriusque
10. vocis, ex qua componitur, notione differit, deinceps autem ζώ-
νην in hoc *Dianæ* epitheto metonymice ſignificare & iter, &
virginitatem, & partum, quibus omnibus tribus ſolvendis *Dia-
nam* præfuiſſe evincit, cumprimis autem duobus poſterioribus.
14. Non diffiteri tamen poteſt, præter *Dianam* & alias Deas v. c.
Junonem, *Venerem*, *Palladem*, *Fortunam*, dictas fuiſſe eisdem
de cauſis λυσιζώνας, ſive Cinxias, idque iterum ex avaritia ſacri-
18. ficulorum; ubi Cl. Autor ea, quæ de hoc argumento in priore
Diſſertatione indicaverat, hic uberius probat & deducit, nunc
has

Google

has iterum conjunctim in unam Deam coagmentatas, ex eorundem ſacrificulorum vafra ſimulatione, quaſi unitatem Dei profiterentur cum Chriſtianis, qua imperitos decipiebant. In- Pag. 21.
quirit deinde in cauſas, quare tot cognomina Diis ſuis tribuerint gentiles, quod ad imitationem Principum multis titulis mactatorum eveniſſe, obſervat & probat. Poſtea pergit ad 30.
cultum, quo *Diana Cinxia* placabatur, qua occaſione de cingulorum dedicatione, de duplici fœminarum apud veteres cin- 31.
gulo, ſtrophiis nimirum, ſeu tæniis vel mitris, ac zona ſive ceſto, de nodo Herculano, de pago Βραυρών, & feſto Brauro- 43. 44. 46.
niorum, de anno pubertatis apud veteres, de cingulo, pudoris 50. 52.
intemerati ſigno, de ſacrificio *Dianæ Cinxiæ* adolendo, de ton- 54. 56.
ſura comæ in ejus honorem, agit Autor, ſcite de omnibus ac docte. Tandem de *Diana* etiam in puerperiis λυσιζώνω differe- 61.
re inſtituit, deque ipſius peculiari templo, a gravidis & enixis prodeuntibus frequentato, & epitheton *Dianæ*, qua vocatur εἰλειθυία, cum fictitia Judæorum ſtrige Lilith quoad nomen & 64.
rem comparat. Qua occaſione docte commentatur de more Judæorum, a lecto mulieris partum enixæ abigendi ſtrigem illam, & in parietibus conclavis hinc & illinc inſcribendi literis Hebraicis: *Adam & Chava: apage te, Lilith;* quibus & verbis 67.
addunt nomina trium Angelorum, arti ſalutari præfectorum, *Senoi, Sanſenoi, Sammangeloph.* Ejus formulæ, parietibus affixæ, ſchema, in ære expreſſum, addidit Autor, quod nos in Tabula adjecta repetendum in gratiam Lectorum duximus. Omnem opellam claudit gratulatio ad Ill. *Stampeel*, quam & no- TAB. II
ſtram facimus. Duplici nomine cumprimis commendandus eſt Fig. 3.
Cl. Autor, ex inſtitutione Cl. *Lakemacheri*, Helmſtadienſium doctoris, ſed nuper, magna literarum elegantiorum jactura, ex hac vita evocati, prodiens; primo quod non macras tantum Criticorum dapes apponat, ſed earundem uſum in omni Antiquitatis ſtudio & in illuſtratione S. Codicis, cumprimis quibusdam locis vaticiniorum *Jeſaiæ*, *Ezechielis*, & Apocalypſeos, ſubinde monſtret in annotationibus ſuarum Diſſertatio- 55. 65.
num; deinde quod in explicandis ſpurcitiæ paganæ myſteriis amet verecundiam & caſtam modeſtiam. Comprecamur Cl. Autori vitam, Patronos diutiſſime ſuperſtites, & otium,

Digitized by Google

quo promiſſas in poſteriori Diſſertatione Tractationes de ſacrificiorum & epulationum analogia quoad ritus utrinque obſervatos, & de Orientalium ſuperſtitione magis ex Græcia, quam Ægypto, derivanda, elucubrare queat.

LETTERA SCRITTA ALL' ILL. ED ECCELL. Sig. GIACOMO Lord JOHNSTONE, &c.

h. e.

EPISTOLA, SCRIPTA AD ILLUSTRISſimum & Excell. JACOBUM JOHNSTONIUM, a FRANCISCO FICORONIO, Antiquario Romano, Socio Acad. Reg. Pariſienſis, fundatore Coloniæ Esquilinæ Incultorum in urbe Roma, & Promotore generali, dicto Acameto, de Sardonyche, vultum Marcelli, nepotis Auguſti, exhibente.

Neapoli, 1726, 8.
Plag. 1, cum Fig. æn. 1.

Quæſierat per literas Ill. *Jac. Johnſtonius* a *Franciſco Ficoronio*, celeberrimo Antiquario Romano, de gemma, juvenile caput galea tectum exhibente, quam ille, dum & has & alias veteris ævi elegantias, inprimis & nummos cujuscunque metalli, conquirit, comparaverat. Hanc Eruditiſſ. *Ficoronius* dum curatius expendit, temporum *Auguſti* ſculptorem facile agnovit, nec dubitavit, quin vultum nepotis cujusdam illius referret. *Cajus* vero & *Lucius Caſares* cum alia prorſus facie ſpectandos ſe ſiſtant in antiquis monumentis, neque os ſævum hic, quale *Caji Cæſaris*, *Caligulæ* dicti, ſed blandum quodammodo, & ad mœſtitiam proclive, compareat, *Marcello* eam aſſignat, de quo princeps Poetarum:

Egregium forma juvenem & fulgentibus armis,
Sed frons læta parum, & dejecto lumina vultu.

Neque

Digitized by Google

Neque prorſus alienum a vero arbitratur, *Dioſcoridi*, cujus opera *Auguſtus* in ſculpendis gemmis uſus eſt, eam deberi, ac forte illam eſſe ipſam, quam in templo Apollinis Palatini poſt victoriam Actiacam dedicatam, *Plinius* memoriæ prodidit. Eam lectoribus ære expreſſam hic damus, ut conferre poſſint cum gemma *Urſini*, qua is *Marcellum* pariter repræſentari credidit, unde eam repetendam duxit *Triſtanus*, qui, de *Marcello* dum pluribus more ſuo commentatur, *Crinagoræ* ex Anthologia Græca Epigramma profert, eique verſionem Gallicam ſubjungit, quæ, ſi ab una voce *Marcelli* diſcedas, ne verbum quidem, quod Græcis reſpondeat, complectitur. Mirum eſt, qui poemation huc irrepſerit, quod, ad *Marcellum* quendam ſcriptum, *Callimachum*, ejusque ingenii monumenta, celebrat, neutiquam vero de *Marcello*, *Auguſti* nepote, agit. Hoc enim non *Libro I*, ad quem provocat *Triſtanus*, ſed *Libro VI*, *pag. 573* extat, & ita habet: TAB. II Fig. 4.

Ἑσπερίȣ Μάρκελλος ἀνερχόμενος πολέμοιο
Σκυλοφόρȣς κραναῆς τέρμα παρ' Ιταλίης,
Ξανθὴν πρῶτον ἔκειρε γενειάδα. Βȣ́λετο πατρὶς
Οὕτω καὶ πέμψαι παῖδα καὶ ἄνδρα λαβεῖν.

h. e.

Occiduo bene re geſta Marcellus in orbe
Dum redit ad Italos non ſine laude ſuos,
Ante genas cœpit tondere, vir ille reverſus
Viſeret ut patriam, qui puer exierat.

Pinguiori id quanquam Minerva translatum, verſus tamen totidem, quot in Græco ſunt, reddit, cum ſex admetiatur verſio *Triſtani*, quot ſcilicet in Epigrammate illo ſunt, præter rem huc adducto, unde malignam de ſua Græcarum literarum peritia ſuſpicionem injicere fortaſſe poterat Vir eruditiſſimus,

mus, niſi ex altero verſu ejus ipſius, quod huc ſpectat, & cujus verſionem non ineptam profert, Epigrammatis verba:

Κραναῆς τέρμα παρ' Ιταλίης

exhiberet mox, & obſervatione critica illuſtraret. Vertit enim: *aſpera ad metam Italiæ*, cenſetque, Italiam hic aſperam ob deſcenſum ex Alpibus appellari, unde bello apud Gallos ſub *Marco Vinicio* geſto in Italiam *Marcellum* rediiſſe arbitratur. Gratulamur Italiæ decus illud Virorum, *Ficoronium*, cui tantum debet ætate noſtra rei antiquariæ ſtudium, quantum inter exteros pauciſſimis, cujus & elegantiora ſcripta ſi ſermone legerentur illis literis familiari & plane proprio, hoc eſt, Romano, nihil fere eſſet, quod ad eorum dignitatem & præſtantiam deſiderari jure poſſet, nihil, quod exterorum multi, Italici ſermonis parum gnari, tam exquiſitæ doctrinæ ſe deſtitutos fructu quererentur.

J. C. S. CORRECTIONES LOCORUM *quorundam* JOSEPHI.

Joſephus Antiqu. I, 2, 2, cum *Caini* res geſtas memorat, inter alia ita ſcripſiſſe putatur: Καὶ τὴν ἀπραγμοσύνην πὲν, ἣ πρότερον συνέζων οἱ ἄνθρωποι, μέτρων ἐπινοίᾳ καὶ σταθμῶν μετεστήσατο. ἀκέραιον αὐτοῖς ὄντα τὸν βίον ἐκ τῆς τούτων ἀμαθίας, καὶ τὸ μεγαλόψυχον εἰς πανουργίαν περιαγαγών. Οὔρους τῆς γῆς πρῶτον ἔθετο, καὶ πόλιν ἐδείματο, κ. τ. λ. Hæc lectio multis modis peccat. Primum enim minus cohærere videntur verba ἀκέραιον ὄντα τὸν βίον -- καὶ τὸ μεγαλόψυχον. Barbari quiddam ſonat talis conſtructio. Deinde res ipſa repugnat. An enim magnus & excelſus animus ad verſutiam adigitur inventione menſurarum & ponderum? Non videtur. Facile autem ad calliditatem inducitur, cum, præſidiis clientium & munitis urbibus fretus, impune omnia ſe facturum, viderit. Commodior ergo ſententia exiſtet, interpunctione mutata, hunc in modum: καὶ τὴν ἀπραγμοσύνην μὲν, ἣ πρότερον συνέζων οἱ ἄνθρωποι, μέτρων ἐπινοίᾳ καὶ σταθμῶν μετεστήσα-

ςήσατο· ἀκέραιον αὐτοῖς ὄντα τὸν βίον ἐκ τῆς τούτων ἀμαθίας. Καὶ τὸ μεγαλόψυχον εἰς πανουργίαν μεριαγαγὼν ὅρους τῆς γῆς πρῶτος ἔθετο, καὶ πόλιν ἐδείματο, κ. τ. λ. *Ac ſimplicitatem, in qua homines prius vixerant, menſuris excogitandis ac ponderibus immutavit, quorum ignoratio tamen vitam eis præſtiterat innoxiam*, ſeu (ut rem Græcæ conſtructioni convenientius dicam,) *cum ex eorum ignoratione vita ipſis innocua eſſet & proba. Magnitudine item animi in aſtutiam converſa, terminos agris poſuit, & urbem condidit.* Scilicet magni animi erat, terminis agros nullis circumſcribere, & parvam vel acceſſionem, vel detractionem, agri contemnere; verſuti contra, fines agrorum anxie deſignare, ne forte gleba detraheretur, aut, ſi detracta eſſet, contendendi bellandique facultatem habere per ſpeciem recti & æqui.

Joſephus Antiqu. Jud. I Cap. 19 ſ. 6 pag. 52 adhuc iſta verba exhibet: πᾶσι δὲ γὰρ ἡμῖν ἀδελφοὶ τυγχάνουσι καὶ πλέον τοῦ κατ' ἐκείνων συγγενοῦς ἡ μήτηρ προσλαμβάνει. Hæc verba nullam fundunt ſententiam. Nec mirum eſt, interpretes hic hæſitaſſe. Non eſt enim credibile, *Joſephi* hæc verba eſſe integra. Προλαμβάνει ſine dubio ſcripſit *Joſephus* & ὑμῖν ἀδελφοῖς. Ita ſententia exiſtit illa: *Vos, cum cognati ſitis, multo mater anteponit cognationi illorum* (Cananæorum, cum quibus *Eſavus* ſe conjunxerat,). Ac, ſi maxime ἡμῖν retineatur, tamen etiam ſententia exiſtit commoda, & quidem iſta: *Cum nos omnes ſimus cognati; etiam mater mea* veterem hanc novæ *iſtorum cognationi præfert.*

Joſephus ita ſcripſiſſe videtur *Antiqu. II Cap. 6 ſ. 7 pag. 84*: Πυνθάνεσθαί τε τί παρόντες εἴημεν, ὡς οὐκ εἰδότες· γνώσεσθαι μέντοι κολαζόμενοι αὐτίκα. In notis monetur, *Epiphanium* legiſſe videri πυνθάνεσθέ τε τ. π. ε. ω. ο. ε. γνώσεσθε μέντοι κ. α. Quæ haud dubie una omnium veriſſima eſt lectio, & digna, quæ in contextum orationis recipiatur. Sed ſæpe alibi quoque hoc ipſum, quod hic optamus, factum eſſe velimus.

Non eſt enim dubium, quin *Antiqu. Jud. II Cap. 6 ſ. 9 pag. 86* pro πῶς ἐπὶ &c. in contextum inſerenda ſit lectio Codicis

dictis *Big. Samb.* & *Cav.* Paucæ deinde aliæ literæ ſi immutatæ fuerint; ſententia emerget Autoris noſtri ingenio digniſſima. Ecce modum, quo ego refingi verba velim: Καὶ ἔγωγε εἰ μὴ πατὴρ ἡμῖν ἦν, ὃς (non πῶς) ἐπὶ παίδων ἀποβολῇ ταλαιπωρεῖ διὰ τῆς ἐπὶ Ἰωσήπου τελευτῆς ἐπιδεδειγμένος, οὐκ ἂν τοῦγε καθ' ἡμᾶς ἕνεκα περὶ τῆς σωτηρίας λόγους ἐποιησάμην, εἰ μὴ ὅσον τῷ σῷ χαριζόμενος ἤθει, σώζων (non σώζειν) αὐτόν τε καλῶς ἔχοις (non αὐτῷ καλῶς ἔχοντι) καὶ τούτους, οἵ λυπήσονται τεθνειότων οὐκ ἔχοντας. *Atque ego quidem, niſi pater nobis eſſet ob liberorum amiſſionem tam miſer, ut propter Joſephi mortem omnibus pro exemplo infelicitatis monſtraretur, noſtra cauſa de ſalute ne verbum quidem feciſſem, niſi quatenus tuæ indulgens lenitati præclare ageres & hunc ſervando, & illos, qui poſt mortem ſuam non haberent, a quibus lugerentur.*

Paulo poſt malim ita legere: Καὶ τὸ ἄδοξον αὐτὸν τῆς ἡμετέρας καταστροφῆς φθήσεται διαχρησόμενον, (non διαχρησάμενον,) καὶ κακὴν αὐτῷ ποιήσει τὴν ἐκ τοῦ ζῆν ἀπαλλαγὴν, πρὶν εἰς ἄλλους φοιτῆσαι τὰ καθ' ἡμᾶς σπεύσοντος (non σπεύσαντος) αὐτὸν εἰς ἀναισθησίαν μεταγαγεῖν. *Et inſperatus obitus noſter ipſe antevertet ejus obitum, exitumque vitæ acerbum ei efficiet, ut qui feſtinaturus ſit, prius ut ſenſum omnem amittat, quam id, quod nobis uſu venit, in vulgus ſpargatur.* Sententia verborum clara eſt. Miſeratur ſcilicet filius *Jacobum* patrem, qui mortem filiorum ſuorum ante ſuum obitum auditurus, & propterea fortaſſe inedia vel ægritudine ſibi finem vitæ acceleraturus ſit.

Joſephus Antiqu. III Cap. 2 ſ. 1 ſic legendus eſt: οἱ δ' ἀρχομένην δύναμιν ἐχθρῶν πειρώμενοι καταλύειν ἀγαθοὶ συνίενται μᾶλλον, ἢ οἱ προκόψασαν μείζω κωλύοντες γενέσθαι. Nam συνεῖναι hoc loco nihil ſonat, nec *Cocceji* conjectura de συνιέναι ſententiam adjuvat. Ipſa verborum ſubſequentium conſtructio ſatis indicat, verbum finitum hic poſtulari. Sententia eſt: *qui naſcentem hoſtium potentiam opprimere tentant, meliores intelliguntur eſſe, quam qui auctam creſcere prohibeant.*

Ibidem mox *ſ. 2 pag. 223* paulum emendata ſententiam dabunt

Digitized by Google

bunt talem, ut omnes fateantur, verſionem vulgarem abjiciendam eſſe. *Moſes* videlicet adhortatur ſuos ad pugnam Amalecitarum: Ειδέναι δ' οἷος ἐστὶ ἐπίκουρος, ἐκ πολλῶν πεπειραμένους καὶ δεινοτέρων τοῦ πολέμου· τοῦτον μὲν γὰρ εἶναι πρὸς ἀνθρώπους· ἃ δ' ἦν αὐτοῖς πρὸς λιμὸν καὶ δίψος ἄπορα, καὶ πρὸς ὄρη καὶ θάλασσαν ὁδὸν οὐκ ἔχουσι φυγῆς, ταῦτ' αὐτοῖς διὰ τὴν εὐμένειαν τὴν παρὰ τοῦ Θεοῦ νενικῆσθαι. *Scire quidem* Iſraelitas, *qualis Deus eſſet auxiliator, utpote quem e multis & gravioribus belli periculis cognoviſſent. Talem enim in ipſos eum fuiſſe, ut quæ propter famem & ſitim deſperationem ipſis injeciſſent, & propter montes ac mare viam fugæ non habeant, hæc Iſraelitas propter benevolentiam Dei erga ſe ſuperaſſe facile.* Lege igitur τοιοῦτον μὲν γὰρ εἶναι πρὸς ἀνθρώπους. Ἄνθρωπος autem hic pro pronomine ponitur, ut ſæpe alias. *Cicero* quoque & alii Romani idem faciunt, Græcos imitati. Sic enim is *Lib. IV Ep. 3 ſ. 10* ſcribit: *Hactenus exiſtimo, noſtram conſolationem recte adhibitam eſſe, quod certior ab homine amiciſſimo fieres de iis rebus, quibus levari poſſent moleſtiæ tuæ.* Id eſt, *a me, qui tibi ſum amiciſſimus.* *Nepos* Datam. *Cap. 10 ſ. 3: Hæc diu faciendo perſuaſit homini, ſe infinitum adverſus Regem ſuſcepiſſe bellum.* Id eſt, *perſuaſit illi.* Sic alibi alii ſæpe loquuntur. Et *Joſephus* præſertim ἄνθρωπον pro *is, ille* &c. ponere ſolet ſæpiſſime.

Joſephus Antiqu. IV Cap. 8 ſ. 2, parva correctione adhibita, belle ſcripſiſſe intelligetur. Θᾶττον ἢ φρονιμώτερον ἐγχειρεῖν ἔγνω τοῖς λόχοις (non λόγοις). Cum Balacus videret, potentiam Iſraelitarum creſcere; *citius, quam prudentius, inſidiari illis ſtatuit.*

Joſephus Antiqu. IV Cap. 8 ſ. 2 pag. 227 σωφρονήσειν legitur. Malim σωφρονίσειν. Nam verbum activum poſtulant antecedentia & conſequentia. Ταῦτα, inquit *Moſes*, οὐκ ὀνειδίζων ὑμᾶς προεθέμην· ἀλλ' ὥστε τοῦ σωφρονίσειν ὑμᾶς εἰς τὸ μέλλον κατ' αὐτόγε τοῦτ' ἀσφαλὲς εἶναι. *Hæc non exprobrans vobis propoſui: ſed ut vos corrigendo per ſe hoc vobis in futurum ſit ſalutare.*

Joſe-

Joſephus VI Cap. 3 ſ. 6: καὶ δύσκολον ἐξελεῖν τῆς διανοίας κρίσιν ἤδη παραλογισμῷ (non παρὰ τῷ λογισμῷ) καθιδρυμένην. *Et difficile erat, e mente judicium eximere, prava ratiocinatione confirmatum.*

Joſephus Antiqu. VI, 6, 1, in textu eſt ἵππων ἑξακισχιλίαν. In notis liber *Samb.* ἵππον ἑξακισχιλίαν habere dicitur. Quæ ſine dubio verior eſt lectio.

In *Joſephi Antiqu. VI, 6, 4,* adhuc ita legimus: Πάτερ, εἶπεν, ἄλλο μὲν ὐδὲν, ὅτι δὲ χθὲς ἀγνοῶν τὴν ἀρὰν αὐτῦ καὶ τὸν ὅρκον, μεταξὺ διώκων τὺς πολεμίυς ἐγεύσατο κηρίυ. Corrupta videtur jam antiquitus oratio, quia MSta nihil variant. Malim pro ἐγεύσατο ſubſtituere ἐγευσάμην. Prima enim perſona multo hic aptior eſt, neque ea fortaſſe commutata eſſet, ſi librarius particulam αὐτῦ intellexiſſet. Sententia eſt: *Nihil, inquit* Jonathan, *aliud* me feciſſe memini, *niſi quod heri execrationem & jusjurandum tuum ignorans, in perſequendis hoſtibus favum deguſtavi.*

Joſephus Antiqu. VII, 5, 2, ita ſcripſit: Ἀκύσας δὲ ὁ Δαμασκῦ καὶ Σύρων βασιλεὺς Ἄδαδος, ὅτι πολεμεῖ Δαυίδης τὸν Ἀδραάζαρον φίλος ὢν αὐτῷ μετὰ δυνάμεως ἧκεν ἰσχυρᾶς συμμαχήσων, ἀπαλλάξαι δ᾽ ὡς προσεδόκα. Καὶ συμβαλὼν πρὸς τῷ Εὐφράτῃ ποταμῷ, πταίσας δὲ τῇ μάχῃ πολλὺς ἀπέβαλεν τῶν ςρατιωτῶν. Hæc verba quamvis perpenderim; commodam tamen ſententiam reperire non potui. Neque illud καὶ MSta agnoſcunt. Malim lectionem Vaticanam probare. Ita enim & lectio commoda exiſtet & ſententia probabilis. Ἀκούσας δὲ ὁ Δαμασκῦ καὶ Σύρων βασιλεὺς Ἄδαδος, ὅτι πολεμεῖ Δαυίδης τὸν Ἀδραάζαρον, φ. ω. α. μ. δ. ἧκεν ι. σ. ἀπήλλαξε δ᾽ ὡς ὐ προσεδόκα. Συμβαλὼν πρὸς τ. Ε. &c. *Cum Damaſci & Syrorum rex Adadus audiſſet, Davidem cum Adrazaro bellare, amicitia ductus, cum magnis venit opibus, auxiliaturus: ſed non, ut ſperaverat, ita diſceſſit. Ad flumen Euphratem congreſſus, male & cum magna ſuorum jactura pugnavit.*

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II Sectio VII.

CONSTITUTIONES APOSTOLICÆ ET Decreta Conſiſtorialia, quæ jurantur, ac Formula juramenti præſtari ſolita a S. R. E. Cardinalibus, dum ad Cardinalatum promoventur.

Urbini, apud Anton. Fantauzi, 1728, fol. Alph. 2 plag. 9.

Conſeſſum Pontificis Romani cum ſuis Cardinalibus vocari *Conſiſtorium*, promulgatasque ibi leges dici *Conſtitutiones Apoſtolicas*, qui non ignorat, is facile ſenſum capiet hujus tituli, futuri tamen rectioris libroque convenientioris, ſi ita fluxiſſet: *Formula juramenti a novis Cardinalibus præſtari ſoliti, una cum Conſtitutionibus Paparum, ad quas religioſiſſime obſervandas illo juramento obligantur.* Scilicet, qui cooptatur in Cardinalium Collegium, ei jurandum eſt, ſe obſervaturum 1) Conſtitutionem *Sixti V* de viſitandis liminibus Apoſtolorum; 2) Conſtitutionem *Pii V*, ab *Innocentio IX* & *Clemente VIII* repetitam, de civitatibus & locis S. Romanæ Eccleſiæ non infeudandis ſeu alienandis; 3) Conſtitutionem *Clementis VIII*

de civitate & Ducatu Ferrariæ per mortem *Alphonſi*, ultimi Ducis, ad ſedem Apoſtolicam devolutis; 4) Conſtitutionem *Urbani VIII* de Ducatu Urbini & locis quibuscunque per mortem ultimi Ducis ad Sedem Apoſtolicam devolutis; 5) Conſtitutionem *Alexandri VII* de Ducatu Caſtri Statuque Roncilionis Cameræ Apoſtolicæ vendito; 6) Conſtitutionem *Sixti V* de terdecies centenis millibus nummorum aureorum in arce S. Angeli repoſitis, & nullo unquam tempore detrahendis, niſi in certis caſibus; 7) Conſtitutionem *Innocentii XII*, quo is moderatus eſt largitiones in couſanguineos vel affines Papæ; 8) Conſtitutionem *Urbani VIII* de rite eligendo Papa; 9) Conſtitutionem *Gregorii XV* de juribus annuli Cardinalitii Congregationi de propaganda fide conceſſis. Hæc igitur formula jurisjurandi Cardinalitii initio ſtatim hic exhibetur in decem paginis, exſcripta literis majusculis, iisdemque ſplendidis. Tum ſequuntur iſtæ Conſtitutiones ſingulæ integræ, non minori typorum nitore expreſſæ. Harum illam, quæ ceremonias electionis novi Papæ a *pag. 86* usque ad *pag. 135* continet, recuſam A. 1732 eſſe in Germania cura S. Rev. *Meuſchenii*, Theologi Coburgenſis, ex his ipſis *Actis Eruditorum A. 1732 Menſ. April. pag. 165* cognoſci poteſt.

D. PAULUS APOSTOLUS IN MARI, quod nunc Venetus Sinus dicitur, naufragus, & Melitæ, Dalmatenſis Inſulæ, poſt naufragium hoſpes, ſive de genuino ſignificatu duorum locorum in Actibus Apoſtolicis Cap. XXVII, 27, XXVIII, 1, Inſpectiones Anticriticæ, Autore D. IGNATIO GEORGIO, Benedictino, e Congregatione Melitenſi Raguſina. Adjicitur brevis Diſſertatio ejusdem Autoris de Catellis Melitæis.

Venetiis, apud Chriſtophorum Zane, 1730, 4.
Alph. 1 plag. 21½, cum Tabb. æn. 6.

In

In Præfatione, Triumviris Illuſtriſſimis, Academiæ Patavinæ Curatoribus, inſcripta, ſignificat Autor, ſe Veneto ſinui reſtituere Apoſtolum *Paulum* naufragum, quem hactenus alia ſibi maria genteſque per injuriam vindicarint. Bella eſt elegantia, quando ipſe adjungit, enatantem gentium doctorem ſuo diſcrimine, prodigiis referto, conſecraſſe mare Adriaticum, quod Reſpublica Veneta ex remotiſſima vetuſtate ſummoque jure poſſideat, jure, inquam, quod ſola temeritate eripi & infringi poſſit. Dolet idem, poſt annum 1529 vix unum ſcriptorem ob oculos habuiſſe Meliten Dalmaticam in exponendis Apoſtolorum Actibus. Cauſam conjicit in celebritatem, qua tum per Equites Joannitas Melita Sicula increbuerit. Fidem dubitantibus fecerunt tabulæ illæ *Ptolemaicæ*, *Straboni* per *Guilielmum Xylandrum* adpictæ, in quibus maris Adriatici limites in Siculum usque protenduntur. Cardo rei in duplici momento conſiſtit. Primum eſt, quousque tum patuerit ὁ Ἀδρίας, *mare Adriaticum*. In eo enim jacebat inſula Melite. Alterum eſt, quid conveniat cum ventis, naufragium & delationem ad inſulam efficientibus. Si ad Maltam Africanam adhuc locum invenit mare Adriaticum, veriſimilius eam pro hoſpitio *Pauli* naufragi habemus, ſiquidem proxima ſtatio, Syracuſæ, ſtatim eſt ob oculos poſita. Non curamus equidem, Autori accedentes, lapillos e Melita Africana delatos, quos vulgus pro oculis linguisque ſerpentum *Paulino* miraculo in ſaxa converſis reputat: nec curamus æque terram Melitenſem, antidotum adverſus viperas & venena, ſi Diis placet. Hæc anſam Noſtro ſuppeditarunt, difficillimam de antiquis Adriæ & maris Ionii terminis quæſtionem ſolicite exponendi, nec non de gloſſopetris & terrarum alexipharmacia, & traditionum meritis, curatius exponendi. Ordiendum erat a natura & ſitu Melites Illyricianæ, quæ nunc *Meleda* vocatur. Subjacet ditioni Reipublicæ, quam vocant Raguſam. Uſumfructum pæne totum percipiunt Monachi Benedictini, quorum Congregatio ab inſula cognomen obtinet. Ab occaſu adjacet inſula *Corcyra Melæna*, nunc *Corzola*; ab ortu ſolis Jupana inſula, quam *Plinius Elaphiten*, *Hirtius Tauridem*, appellat, interjacet. Melita præaltos habet montes, arva feracia & paſcua, ſilvasque den-

denſiſſimas, ſcatentes viperis vel ammoditibus, veneno peſtilentiſſimo infectis. Qui ab hiſce viperis percuſſi ſunt vel compuncti, paullo poſt in tumorem vertuntur, liventesque morte occumbunt. Maritimæ oræ pars pleraque horret cautibus ſcopulisque aſperis, ita tamen, ut haud deſint & leniores appulſus, & acclivia littora, quorum non unum eſt διθάλασσον, magnisque navibus inſidioſa, dorſis paſſim ſub mari prominentibus. Incolæ ſunt plurimam partem rudes, attamen perquam hoſpitales ac humani. *Auguſtus* Melitinos deficientes domuit. *Oppianus Anazarbæus* librum ἁλιευτικῶν cenſetur in hac inſula conſcripſiſſe. Teſtis eſt vetus ſcriptor vitæ *Oppiani*, Halievticis & Cynegeticis hujus vulgo præfixus. Civitas ibi exſtitit, fortaſſis *Melituſſa*; at nunc ne veſtigia quidem ſuperſunt. Pagus Coritenſis e quinque jam eſt præcipuus. Catuli Melitæi a Melita hac fuerunt denominati. E *Callimacho Plinius* rei autor eſt *Lib. III Cap. 26.* Pro Malta, ad Siciliam ſita, hoſpitio *Pauli* naufragi, militant triginta & tres ſcriptores, immo complures, quod Autor ipſe haud inficiatur, probe perpendens, quam ponderoſis argumentis ea, quæ per ætates nonnullas communi aſſenſu credi cœperunt, ſint evincenda, quamque valide ſententia vulgo recepta ſit arietanda ac refellenda. Nil certe eorum omiſit Autor, quo utrumque finem ſeſe aſſequi poſſe intellexit. Quot libros ideo non excuſſit? Quantum e ſcientiis variis non adſcivit, ut digne moveret lacertos? Argumenta nunc candide percenſebimus, ut Geographi & Critici nulli non valeant ipſi de hac controverſia ferre judicium. Primum deſumitur ex natura inſulæ Melitæ, ejusque Africanæ, quippe quæ viperis ſerpentibusque venenatis vacat. *Joachimus Vadianus* & alii Proteſtantes facile largiuntur, Maltæ hanc
Pag. 3 ſeq. indolem fuiſſe a prima rerum creatione, certe inde a ferali inundatione Noachica. Catholicorum nonnulli ad miraculum *Pauli* confugiunt, qui indolem inſulæ Maltæ immutaverit, vipera abjecta. Ex eo enim factum contendunt, ut viperæ evanuerint, vel in ſaxa ſint converſæ. Melita e contrario Illyrica viperis venenatis eſt frequentiſſima, & illud miraculum *Pauli* a ſera ætate ex conſpectu gloſſopetrarum, alibi quoque obviorum,

rum, ſuit confictum. *Eraſmus Roterodamus* ne quidem ſitum Maltæ novit, quod a tanto viro vix expectaſſemus. Alii utramque Melitam inſcienter conſuderunt: alii permiſcuerunt *Clauden*, Cretæ adjacentem, quam *Suidas Caudo* & *Mela Gaudos* vocant, cum *Gaudo* ſeu *Gozo*, inſula, ad Siciliæ oram auſtralem & Maltæ occidentalem poſita. Melitenam, regionem Cappadociæ & urbem, unde *legio Melitena* ſuit cognominata, perperam a viris magnis cum Malta fuiſſe confuſam, mirari ſatis non poſſumus. Concilium Milevitanum, A. 416 habitum, nonnulli, in Malta coactum fuiſſe, ſomniant. Secundum argumentum deſumitur ex eo, quod *Meléda* a veteribus appellata fuerit *Melita*, ut a *Scylace*, *Apollonio Rhodio*, *Plinio*, *Agathemero*, *Stephano*, *Porphyrogeneta*, Autore Græco vitæ *Oppiani*, Scriptore Etymologici magni, immo *Melitena*, & *Melitina*, ac per metatheſin *Mitylene*. Maltam Africanam dici a veteribus Melitenen vel Mitylenen, quis oſtendet? At nonnulli Actuum Apoſtolicorum Codices habuerunt Μιτυλήνη, loco vocis Μελίτη. *Hieronymus* & *Beda* ſic legerunt. Æthiopica translatio habet *Melta*, quæ vox in *Itinerario Antonini* Meliten Illyricam notat. Procedimus ad argumentum tertium, quod utique omnium eſt validiſſimum. Naufragium *Pauli* contigit in mari Adriatico, & in eodem ſita fuit *Melita* inſula, enatantibus præbens hoſpitium. At ὁ Ἀδρίας, id eſt, mare Adriaticum, olim iisdem terminis concluſum fuit, quibus hodieque continetur. Quodſi hoc ſit veritati conſentaneum, Malta Africana nequaquam intelligi poterit. Non quæritur, quid recentiores de terminis maris Veneti ſtatuant antiquis. Antiqui ſcriptores, *Lucæ* ætate ſuppares, ſalutandi ſententiamque rogandi ſunt. *Chriſtophorus Cellarius, nuperus magni nominis ſcriptor*, (ita enim vocatur Autori,) maris Adriatici, Ionii, & Auſonii, narrationes terminosque, difficultate abſterritus, de induſtria prætermiſit. Adrianum mare a Tergeſto ac Aquileja orditur, & ad Ceraunios usque montes, qui Illyricum ab Epiro dividunt, terminatur, quibus ex altera Italiæ parte objaçet Iapygium ſeu Salentinum promontorium. Pauci terminos ad fretum Siculum extenderunt, ad Maltam Africanam certe nemo ante *Ptolemaeum*,

Pag. 8. — 12. — 16. — 20. — 22 ſeq. — 24. — 26.

Digitized by Google

lemæum, Seculi demum ſecundi Geographum. Promontorium Salentinum *Straboni* appellatur ϛόμα, *Scymno* εἰσϐολὴ, Latinis fauces, introitus, fretumque Adriæ. Ad notum porro cœpit ſinus Ionius. *Scylax* in Periplo: Τὸ δὲ ϛόμα τȣ̃ Ἰονίȣ Κόλπȣ ἐϛὶν ἀπὸ Κεραυνίων ὀρῶν μέχρι ἄκρας Ἰαπυγίας .... τὰ δ'
Pag. 27. ἐντὸς ὁ Ἰόνιος. *Strabo Lib. VII*: Τὰ Κεραύνια ὄρη ἡ ἀρχὴ τȣ̃ ϛόματος τȣ̃ Ἰονίȣ Κόλπȣ καὶ τȣ̃ Ἀδρίȣ. *Scymni Chii*, *Dionyſii Characeni*, & ad eum *Euſtathii*, & aliorum, teſtimonia
31. idem confirmant. *Strabo* quidem *Libro II* videtur *Adriam* poſuiſſe pro genere, & *mare Ionium* pro ſpecie. En verba: Ὁ δ' Ἰόνιος κόλπος μέρος ἐϛὶ τȣ̃ νῦν Ἀδρίȣ λεγομένȣ. Sed *Libro VII* ita ſenſum ſuum exponit: Διαφέρει δὲ ὁ Ἰόνιος, διότι τȣ̃ πρώτȣ μέρȣς τῆς θαλάττης ταύτης ὄνομα τȣ̃το ἐϛί. Ὁ δὲ Ἀδρίας τῆς ἐντὸς μέχρι τȣ̃ μυχȣ̃. At fere videntur obſtare Autori, quæ ſequuntur: Νυνὶ δὲ τῆς συμπάσης, *univerſum autem id mare nunc Adriæ nomen gerit*. *Periegeta* & *Vellejus Paterculus* in eadem latitudine vocem adhibent. *Scylax*:
32. Τὸ δ' αὐτὸ Ἀδρίας ἐϛὶ, καὶ Ἰόνιος. Diſtinguit Autor inter Ionium mare interius & exterius, illudque, non hoc, cum Adria permiſtum eſſe ſubinde, docet. De Ionio exteriori & magno
34. *Plinius IV, 11*: *Græci & Ionium dividunt in Siculum & Creticum ab inſulis*. Idem III, 11: *Hydruntum — — ad diſcrimen Ionii & Adriatici maris, qua in Græciam breviſſimus tranſitus*. *Propertius Lib. III Eleg. 19*, Adriacum æquor fuiſ-
57. ſe navigatum, tradit, dein Ionium mare, a perrecturo Lechæum. *Ptolemaus Peluſiota* audacter Adriaticum mare usque ad Cretam prolatavit, vir, cujus negligentiam & errores Geographi-
69. cos notarunt *Marcus Velſerus*, *Gerardus Mercator*, *Jobus Ludolfus*, *Chriſtophorus Cellarius*, *Bernardus Lamy*, *Athanaſius*
70. *Kircherus*, & *Paulus Merula*. Ante *Ptolemæum* nemo Græcorum vel Latinorum ſic ſenſit, fatente ipſo *Cluverio*. Quin potius *Orpheus* mare, quod Græciam & Siciliam interfluit, *Trinacrium* vel *Sicilienſe* vocat, *Sophocles Ionium*, nec non *Æſchylus*. *Scylax* Hidruntinum portum conſtituit terminum maris Adriatici, ſeu ſuperi, ac Ionii, ſeu inferi. *Euripides* Adriam locat verſus Eridani fluenta. *Iſocrates* Adriam Illyrico

co applicat. *Ariſtoteles* in Epiſtola de mundo Adriam ſuperius locat, in cujus terminis ſequatur Siculum mare, in obliquum patens, & in hujus confinio Creticum. *Theophraſtus* Adriam locat juxta Illyricum. *Scymnus Chius* ponit Θάλαττῃν Ἀδριανὴν ſupra ſinum Ionium, incipiens a Brundusio montibusque Cerauniis. Omittimus teſtimonia ſcriptorum reliquorum, quæ plenis manibus effundit Autor, Geographiæ peritiſſimus. *Cicero* certe a mari Adriatico diſtincte ſeparat Siculum *Epiſt. Lib. X* ad Atticum *Ep. 6.* Confer omnino *Melam Lib. II Cap. 4, 2, Lib. I Cap. 2, Florum Lib. II Cap. 5, Lib. III Cap. 6, Lib. IV Cap. 2, Tacitum*que *Annal. Lib. II.* Quodnam igitur mare & quantam hujus partem *Lucas* per *Adriam* denotaverit, Autor hinc ſatis elucere exiſtimat. Hinc ad venenatæ viperæ, mordentis *Paulum*, indolem & patriam ſeſe convertit, & adverſus *Baronium*, aliosque ſuæ eccleſiæ viros, oſtendit, Maltam ſemper caruiſſe viperis ſerpentibusque, Melitam Illyricam eis ſcatere: elidit traditionem de miraculo, quo ſerpentibus Malta Sicula per *Paulum* perhibetur expurgata. Quin potius ab eo ademta fuiſſet mari Adriatico natura procelloſa? Accurate comprobari illa traditio non poteſt. Natura Maltæ Siculæ alexipharmaca eſt ex virtute ſoli, non ex miraculo, derivanda, ſiquidem citra miraculum eadem aliis quoque ineſt terris. Cauſa phyſica deducenda eſt ex exhalationibus ſulphureis & metallicis, immo ex ſalibus. Quare *Paulus* autor non exſtitit Maltenſis alexicaciæ. Sequitur inſerta Equitis *Valliſnierii* ad Autorem Epiſtola Italica, de morſu viperarum, Novellaræ A. 1728 d. 8 Aug. data. Gloſſopetras & oculos ſerpentum luteos, in Malta Sicula obvios, nonnulli ex miraculo *Paulino* derivant. At gloſſopetræ ſunt dentes carchariarum & lamiarum petrefacti, qui alibi quoque ſunt frequentes. Veritas patet ex inſpectione rictus carchariarum. Ocelli ſerpentum genus ſunt Achatis lapidis, ſucco criſtallizante exſaturatum. Circulatores multa garriunt de miraculo *Paulino*, ut gloſſopetras & ocellos illos eo carius vendant. De vento typhonico deinceps afferuntur non contemnenda, quæ Autori videntur novum ſuppeditare robur. Eurus & Euroaquilo

Pag. 75. 78. 87. 90 ſeq. 104 ſeq. 119 ſeq. 126 ſeq. 135 ſeq. 145. 151. 159. 167. 169 ſeq. 193 ſeq.

aquilo Adriam tundunt, judicibus *Dionyſio Periegete* & *Virgi-*
Pag. 216. *lio*, auſter vero Siciliam & Maltam Africanam. Nec tamen huic argumento confiditur admodum ex ingenuo veritatis ſtu-
219. dio. De *Publio Meliteno* diſquiſitio intexitur nova & com-
222. mendabilis. Fuit is πρῶτος, id eſt, autoritate pollens præ ceteris, nequaquam Maltæ Africanæ Epiſcopus. *Publius* quidam Martyr exſtitit potius Epiſcopus Athenarum, teſte *Euſebio Hiſt. Eccl. Lib. IV Cap. 23.* Suſpicatur Autor, Maltenſes ſatis ſero ad Chriſti doctrinam acceſſiſſe. Traditiones eorundem varias curate examinat & profligat. Adjectum eſt Opuſculo
262 ſeq. Parergon de Catellis Melitenſibus, & tandem ſuccedit Index ſat commodus. Gratulamur Autori de exantlato tam difficili ac
296 ſeq. intricato labore, venerantes notitiam ejus theologicam, philoſophicam, geographicam, & Græcarum literarum penitiorem peritiam, ac cummaxime ingenuam ſentiendi confidentiam. Nunc poſt carecta latebimus, inauditeri, quo vultu & aſſenſu ſententia hæc, plerisque inaudita, ab aliis quoque videatur ſuſcipienda.

A CRITICAL ESSAY ON THE ANCIENT INhabitants of the Northern Parts of Britain, or Scotland, &c.

h. e.

DISQUISITIO CRITICA DE ANTIQUISſimis Magnæ Britanniæ partis, quæ ſeptentrionem ſpectat, ſive regni Scotici, incolis, quo de Romanis, Britannis, Caledoniis, ſeu Pictis, præcipue autem de Scotis, diſputatur; cum Appendice antiquorum monumentorum, e MSto editorum; Autore

THOMA INNES, M. A.

Volumina II.

Londini, apud Guil. Innys, 1729, 8.
Alph. 2 plag. 8.

Plau-

Plaudimus utique inſtituto doctiſſimi *Inneſii*, Viri de hiſtoria patria meritiſſimi, quod in antiquiſſimorum regni Scotici incolarum rationem ſingulari cum induſtria, neque ſine ſumma accuratione, inquirere, ſuarum partium eſſe duxerit. Neque enim ſolum multos errores Hiſtoricorum, qui ante eum hoc argumentum perſecuti ſunt, ſolide profligavit, verum etiam varias antiquitatis tabulas tanquam e naufragio conquiſivit undique & conſervavit, obſervationibusque eruditiſſimis antiquiſſimi regni Scotici illuminavit hiſtoriam. Præcipuum ejus propoſitum eſt, *Hectorem Boecium*, *Jo. Fordunum*, & *Georgium Buchananum*, refellere, qui in celebranda Monarchiæ Scoticæ antiquitate veritatis limites maximopere excedunt. Perperam enim ſibi perſuadent, ſi a Pictis diſcedas, reliquos in Britannia incolas antiquitus Scotos fuiſſe. Quocirca, quæ de *Meatis*, *Brigantis*, *Caledoniis*, *Horreſtis*, &c. traduntur, omnia Scotis tribuunt; eorumque antiquitatem præter omnem modum evehunt. Sigillatim, quæ *Jo. Fordunus* de quadraginta primis Scotiæ Regibus, eorumque Monarchia, diſputat, fabulis annumerat, quibus *Hector Boecius* novas addidit, *Georgius Buchananus* autem, cum eleganti ſtilo eas retulerit, ut publice ſint receptæ, effecit. Ceterum quinque diverſas nationes in Scotia vixiſſe ſtatuit; Britannos, Caledonios, ſeu Pictos, Romanos, Scotos, Saxones. Saxones, Britannos, atque Caledonios, ſucceſſive cum Scotis in unam gentem coaluiſſe. Scotos igitur præſentes eorum facinora ſuorum majorum res geſtas jure dicere poſſe meritoque. *Cap. I* de Romanis in Pag. 1 – 23.
Scotia habitantibus diſſerit, de quibus tamen late non agit, propterea quod eruditiſſimus civis ejus, *Alexander Gordon*, in *Itinerario ſeptentrionali* ipſi otium fecit; ubi de monumentis Romanorum, in partibus Britanniæ, quæ Septentrionem ſpectant, obviis, ex inſtituto commentatur. *Cap. II* de Britannis 29 – 37.
verba facit, qui antiquitus *Meatæ* dicebantur, diverſasque, quæ in eorum regno evenere, revolutiones recenſet. *Cap. III* de 41 – 145.
celeberrimis olim Caledoniis, qui deinceps Picti appellabantur, latius diſſerit; deque eorum lingua, imperio, Regum numero, origine, atque unione cum Scotis, diſputat. *Cap. IV* data

Digitized by Google

ta opera de Scotis agit, atque *Forduni*, *Boecii*, *Buchanani*, de
iis relationes ſub examen vocat. Certam etiam Scotorum in
Pag. 234. Britannia Monarchiæ æram figit. Videlicet a *Fergo*, filio *Eo-*
chi, Monarchiam lineæ Scoticæ inchoat. A quo ad *Jacobum*
VI, ultimum Regem Scotiæ, ſex & triginta Reges, qui hæredi-
tario jure undecim Seculis ſe invicem exceperunt, numerat.
De Saxonibus ſigillatim verba non facit; quæ enim de iis no-
tatu digna in veterum ſcriptis obſervavit, Pictorum atque Sco-
torum hiſtoriæ interſeruit.

Alterum Volumen Scotorum antiquitatibus ſub examen vo-
candis unice dicatum eſt. Cum autem inter omnes conſtet, Sco-
tos ex Hibernia in magnam veniſſe Britanniam, non poterat
non & in Hiberniæ antiquitates inquirere, difficultatesque, quæ
402 ſeq antiquiſſimam hanc hiſtoriam premunt, ex momento ſuo pon-
derare. Singulari etiam, eaque eruditiſſima, Diſſertatione de
Scriptoribus hiſtoriæ Scoticæ agit. Sub finem autem e MStis di-
verſa monumenta, hiſtoriam Scoticam illuminantia, attexuit. In
765. iis eſt 1) Catalogus Regum Scotiæ. Diverſimode eorum nomi-
na a diverſis Hiſtoricis ſcribuntur. Operæ igitur fecit pretium
variantes uniuscujusque nominis lectiones indicando. 2) Mo-
768. numentum ex MSto Bibliothecæ Colbertinæ Codice 601 de-
promſit, quo *de ſitu Albaniæ, quæ in ſe figuram hominis habet;*
quomodo fuerit primitus in ſeptem regionibus diviſa, quibusque
773. *nominibus antiquitus ſit vocata, & a quibus inhabitata*, agi-
782. tur. 3) Ex eodem Codice MSto Bibl. Colbert. *Cronicam de an-*
tiquorum Pictorum origine exhibet. 4) *Excerpta ex veteri*
789. *Chronico de regimine Scotorum a Kenetho Mac-Alpin ad Muc-*
Malcolm ex MSto Codice Colbertino ſiſtit. 5) *Chronicum Re-*
797. *gum Scottorum 314 annorum* ex Codice MSto Colb. recenſet.
805. 6) *Ex Regiſtro Prioratus S. Andreæ nomina Regum Scotto-*
rum & Pictorum tradit. 7) *Breve Chronicon Scoticum, ſive*
820. *Chronicon Rythmicum*, quod ad calcem Scoti Chronici MSti
Collegii Scotorum Parienſis extat, reperias. 8) Excerpta
Chronici *Andreæ Wintonis*, Prioris Lochlevinenſis, Anglicis
826. verſibus conſcripti, ex Codice MSto Bibliothecæ Cottonienſis
repetiit. 9) *Inſtrumentum publicum, continens copiam & exem-*
plar de verbo in verbum quarundam literarum Eduardi, Regis
Angliæ,

Digitized by Google

Angliæ, ſuper renuntiatione & quieta clamatione omnium obligationum, jurium, pactorum, & conventorum, factorum inter Reges Scotiæ & Angliæ, aut ſuorum regnorum Status, ſuper ſubjectione & jurisclamio Regis Scotiæ & ipſius Regni, ex ipſo avthentico inſtrumento, in Collegio Scotorum Pariſienſi, deſcribi curavit. 10) & 11) Monumenta duo exhibet, quæ ad hiſtoriam rebellionis, contra *Jacobum III*, Scotiæ Regem, ſuſceptæ, pertinent. Primum eſt Propoſitio *de publico certamine contra Regem ſuſcepto*, ex Actis Parliamenti *Jacobi IV* d. 6 Octobr. A. 1488, Cap. 4, petita. Alterum eſt *Reſcriptum Innocentii Papæ VIII, quo facultatem impertit, abſolvendi eos, qui in Jacobum Regem III inſurrexerant, & de perpetrato crimine ab intimis ſe dolere proteſtabantur.*

Animus eſt doctiſſimo diligentiſſimoque Autori noſtro, de origine atque progreſſu religionis Chriſtianæ in Scotia commentandi. Quod quidem inſtitutum ut felici cum ſucceſſu exequatur, ex animo vovemus.

JOANNIS CAJI, BRITANNI, DE CANIbus Britannicis Liber unus; de rariorum animalium & ſtirpium hiſtoria Liber unus; de Libris propriis Liber unus; de pronuntiatione Græcæ & Latinæ linguæ, cum ſcriptione nova, Libellus; ad optimorum exemplarium fidem recogniti a S. JEBB, M. D.

Londini, impenſis Car. Davis, 1729, 8.

Plag. 17.

Habet, cur ab omnibus elegantioris doctrinæ amatoribus ſibi gratiam promittat, Vir Clariſſimus, *Sam. Jebb*, quod digna exiſtimaverit varii argumenti Opuſcula doctiſſimi olim civis ſui, *Jo. Caji*, quæ nova forma, ſolicite correcta, in lucem prodirent, poſtquam a magni viri, *Conradi Geſneri*, cui æqualis & e paucis carus *Cajus* exſtiterat, tempore ad noſtram ætatem rariora facta fuiſſent. Adjutor ſcilicet eidem *Geſnero Cajus* fuerat, cum animalium hiſtoriam condere ſuſciperet, ſuntque in *Geſnerianis* loca, quæ *Cajo*, Medico Britanno, accepta referuntur. Nempe de Canibus Britannicis libellus nomen *Geſneri* in fronte gerit,

Digitized by Google

rit, cui, Epiſtolæ modo, ab amico transmiſſus fuerat. Editurus eundem erat *Geſnerus* ob argumenti dignitatem, ſed impeditus ab Autore diſtulit id negotium, donec nova lima ab ipſo *Cajo* perpolitus lucem adſpiceret. Dividuntur canes in generoſos, ruſticos, & degeneres. Horum duo genera *Cajus* conſtituit, alterum, quod feras inveſtiget, alterum, quod aves perſequatur, utrumque venaticum. Venatici omnes quinque ſunt generum. Aut enim odoratu, aut viſu, fatigant feras, aut pernicitate vincunt, aut odoratu & pernicitate ſuperant, aut dolo capiunt. Qui odoratu ferarum veſtigia legunt, ſagaces alii, alii leporarii, alii lutram, muſtelam, ſectantur. Sunt, qui terrarii audiunt, quod effoſſa terra vulpes taxonesque venentur. Sanguinarii cruentatam ictu feram perſentiſcunt, inter quos ſunt, qui veſtigia hominum legunt. Singulis canibus ſuum ἐνθυμητικὸν, quo appetunt seliguntque, ſecundum *Ælianum* ineſt, habuitque amplam Autor de agaſæis, leporariis, levinariis, vertagis, indicibus, aquaticis ſeu inquiſitoribus, melitæis, paſtoralibus, villaticis ſeu catenariis, monitoribus, aliisque canibus, dicendi materiam, id quod jucundo ſermonis genere ita peragit, ut nemo ſit, qui non magnum exinde oblectamentum ſit capturus. Idem judicium eſto de ejusdem rariorum animalium hiſtoria, quorum indolem pro temporis illius ratione curate ſatis deſcribit. Recenſet porro *Cajus* peculiari Libro proprios, quos edidit, libros, quorum ſeries adducitur, ita quidem, ut dubium ſuperſit omnibus, an arte ſua magis, an rerum ad philoſophiam ſpectantium ſtudio, clarus exſtiterit. Similiter cum voluptate legitur de pronuntiatione Græca & Latina Libellus, quo acriter invehitur Autor in novatores, qui divinare, quem oris rictum labii linguæque contorſionem antiquum duxerit Latium, literas ſuas in vocem effingendo, audent. Ridiculos hos eſſe, eo ipſo declarat, quod meliora afferre nequeant aliis, qui conſuetudini patrii ſermonis aliquid largiuntur, quandoquidem jurato aliquis vix aſſereret, ſic Romæ, ſic Athenis, ſonaſſe literarum elementa. Abortus ſunt ingeniorum ejusmodi diſceptationes, magni quidpiam crepantes, ſed ab omnis eruditionis indole prorſus remotæ, quo ipſo vera ſunt, quæ *Phavorinus*, Philoſophus, juveni, inuſitatius loquenti, dixiſſe fertur, *ſatius eſſe, non loqui, quam non intelligi.*

NOVA

Digitized by Google

NOVA PLANTARUM GENERA, JUXTA Tournefortii methodum diſpoſita; quibus plantæ MDCCCC recenſentur, ſcilicet fere MCCCC, nondum obſervatæ, reliquæ ſuis ſedibus reſtitutæ; quarum vero figuram exhibere viſum fuit, eæ ad DL æneis Tabulis CVIII graphice expreſſæ ſunt: Annotationibus atque Obſervationibus, præcipue Fungorum, Muſcorum, affiniumque plantarum, ſationem, ortum, & incrementum, ſpectantibus, interdum adjectis. Regiæ Celſitudini JOANNIS GASTONIS, Magni Etruriæ Ducis. Autore PETRO ANTONIO MICHELIO, Flor. Ejusdem R. C. Botanico.

Florentiæ, typis Bernardi Paperinii, 1729, fol.
Alph. 2 plag. 18, cum Tabb. æn. 108.

Magna fuit Cel. Autoris induſtria in augenda rei herbariæ ſupellectili, quam millenario, & quod excurrit, plantarum, a ſe primum obſervatarum, ampliorem reddidit, ſpeciebus ſcilicet in genera mutatis, nominibusque ingenioſe excogitatis, quæ plantæ ab aliis jam antea deſcriptæ, ſed conveniente minus, prout viſum fuit, termino declaratæ, indolem, florendi maxime modum, aptius exponerent. Fecit id pro more ſeculi, cui antiquitas ſordet. Neque enim tantum Cel. Autor, ſed & in Britannia Cl. *Dillenius*, & in Germania Cel. *Heiſterus*, novis generibus ex antiqua ſpecie conſtituendis impenſe ſtudent, quo ipſo in immenſum excreſcens giganteum herbarum ſyſtema mole ſua multos miſere exercet, plurimos deterret. Diverſa ingreſſus via magni nominis Vir, *Tournefortius*, cujus memoriam frontiſpicium Operis recolit, contrahere potius & in anguſtias redigere vaſtiſſimos florum campos ſtuduit, non minore hinc fama celeber, quam ſi, quod per ingenium præſtare potuerat, ſpeciebus, aliqua, utut levi, quoad florem fructumque diverſitate diſcrepantibus, novos feciſſet titulos. Inde cymbalaria & elatine ipſi linariæ ſunt, ſtaphiſagria delphinium.

Digitized by Google

nium. Mirum non eſt, magnis in arte viris, qui ſibi, non tyronibus, gloriæ ſuæ, non utilitati diſcentium, ſcribunt, minus placere ſyntheticam methodum, quæ magnum terræ orbem parva charta depingere, memoriæque hoc ipſo auxilium ferre, ſtudet, ſed analyticam, quæ conceptus rerum auget, ex partibus totum, ex cive rempublicam, conficit. Nolumus hæc contumelioſe dicta putari, ſiquidem haud difficulter intelligimus, ſi acutius philoſophari quis vellet, ob leviſſimam characteris diſſimilitudinem nomen mutari debere plantarum, quæ ceteroquin prope ſe invicem ſatis bene ſteterant. Verum, ſi lynceis adeo eſſe quis vellet oculis, plurimum generum, parum ſpecierum, habituri eſſemus. Virgas aureas omnes certus quidam florendi modus disjunctiſſimas efficeret; ecce nova genera: Veronicæ pleræque jam divortium fecerunt Lychnis, unica foret reliqua Lychnaſtra, & Lychnoides, & pſeudo-Lychnides, & Lychnidibus affines; nec male, dummodo inter omnes conveniret, quibus per meritum famæ principum in re herbaria elogium debetur, concilium agere, quo denique certi aliquid ſtatui poſſit in maximi momenti materia, ne, quæ huic Lotoides, alteri Trifoliaſtrum, cum lotus hortenſis odora non male audiret hactenus, appelletur, dubiumque ſuperſit, cui inter æqualis ponderis viros calculus addi debeat. Ceteroquin optandum foret, omnes, quæ male cohærent, ſpecies ſeparatas exiſtere. Nos, qui hactenus in hortis noſtris cum Cl. *Michellio* haud ſemel locuti ſumus, cujus nova genera ex parte colimus, facile largimur, non ſine ratione contra antiqua nomina plurimum declamari, dummodo aſſueſcere alii noſtris hiſce notionibus velint. Conſenſu plurium in arte peritorum opus eſt, quo nomina mutentur, ſed nec deerunt, qui in partes Cl. Autoris ire parati ſint. Nacti certe ſunt immortalis famæ viri occaſionem inclareſcendi, quorum nominibus nova plantarum genera ad modum *Plumerii* aliorumque inſcribuntur. Facere ceteroquin non poſſumus, quin publicum teſtemur gaudium de culmiferarum hiſtoria optime nunc illuſtrata, poſtquam id tentatum a variis, maxime vero ab illuſtribus Viris, *Scheuchzero* & *Monti*, fuerat, quorum labores digeruntur, diſponuntur, & methodo clara,

con-

Digitized by Google

conſtante, univerſali, illuſtrantur. Eodem ingenio, eademque dexteritate, Cel. Autor Lichenes digeſſit, inter quos legimus varios, Lipſia transmiſſos, etſi nomen reticeatur. Muſcorum ſeries elegantiſſime inſtruuntur, &, quod primo loco dici debebat, fungorum familias poſt *Steerbeckium* nemo felicius adornavit Noſtro, ita quidem, ut claſſicæ autoritatis librum huncce rei herbariæ ſtudioſis magnopere non poſſimus non commendare. Fungi eidem ſunt ſimplices, unicolores, lateritii, ruſi, lacte vel ſucco coloris participe turgentes, eoque ipſo acres, nec veneni expertes, nec non bicolores, verſicolores, quos ſequuntur, qui nec lacteſcere, nec acres eſſe, deprehenduntur, variorum colorum, inter quos potiſſimum eſculenti ſunt, qui farinam molarem olent, multo magis illi ſeligendi præ reliquis, qui fragrantia ſua bonitatis ſignum edunt. Luxuriant præ hiſce fungi, qui ex uno pede multiplices prodeunt, pileolo modo conico, modo ſurſum reflexo, modo inæquali, clypeato, aliisve modis conformato, colore etiam croceo, aureo, albo, uno vel pluribus. Ceſpitoſos hos aliquando etiam ſoboliferos appellat. Quidam ex conceptaculo ſeu volva erumpunt, quidam ſecus. Fungidaſtri, phalli, phalloboleti, ipſique boleti, a fungis magnopere diſcrepantes, agmen claudunt. E fungidaſtris quidem alii ſemen in ſuperiore, alii in inferiore parte ferunt; phallus autem, etſi ſemine carere videatur, eodem tamen gaudet, latente intra gelatinam fœtidam, quam exſudat, utpote quæ aquæ mixta rei fidem facit. Icones omnes artificioſiſſime exſculptæ, & celeberrimorum Virorum, quorum dona Autori miſſa ſunt, nominibus, & operis elegantia, ſuperbiunt. Totum Opus, Autore ſuo digniſſimum, plurium annorum, indefeſſi ſtudii, itinerumque per omnem Europam ſuſceptorum, labor, omnibus bonis perplacebit, nec carere eodem Bibliothecæ hortenſes vel botanicæ poterunt.

JOANNIS DANIELIS GOHLII, MED. D. Fontis Soterici Freyenwaldenſis ac Circuli Ober-Barnimbenſis Phyſici quondam ordinarii, Acad. Nat. Cur. & Societ. Scient. Berolin. Sodalis, &c. Medicina Practica,

Digitized by Google

ctica, Clinica, & Forenſis, ſive Collectio caſuum rariorum ac notabiliorum Medico-Clinicorum, Chirurgicorum, ac Forenſium, partim reſponſis ac epicriſibus, partim ſectionibus Anatomicis, & depoſitionibus, illuſtratorum; quam, præmiſſo beati Autoris vitæ curriculo, in lucem edidit SAMUEL SCHAARSCHMIDIUS, Med. Licentiatus.

Lipſiæ, impenſis Caſp. Jac. Eyſſelii, 1735, 4.
Alph. 4.

Magna utique hæc ſeculi noſtri felicitas eſt, quod non ſolum variis experimentis Phyſicis, Anatomicis, atque Chemicis, in naturam corporis humani inquiratur, verum accurate etiam morborum hiſtoriæ, more præſtantiſſimorum Medicorum veterum, enarrentur. Laborem hunc ſtrenue, poſt alios ſubiit Cl. *Goblius*, Medicus ex aliis libellis non incelebris, cujus hiſtoria morborum aliquot difficiliorum caſuumque, ut vocantur, forenſium, in publicam lucem nunc poſt mortem ipſius prodit. In *tres Sectiones* diviſum fuit a Cl. Editore Opus, ad quarum quamlibet caſus quinquaginta referuntur. *Prima* maximam partem complectitur hiſtorias morborum, & obſervationes clinicas, medicas æque ac chirurgicas. Ex iis nunc morbi funeſti recenſentur, ſectionesque cadaverum ſubnectuntur; nunc conſilia & reſponſa *Goblii* ad *Stablianam* medendi rationem conſignata referuntur, & ſubinde remediorum ſucceſſus, quod maxime placet, iterum iterumque ab ægrotantibus deſcriptus, cum novis conſiliis, morbi viciſſitudini accommodatis, notatur; nunc ſimplex traditur morborum hiſtoria cum epicriſi; nunc morbi aliqui pathologice pertractantur. Præter hæc vero interdum & conſultationes aliorum Medicorum vetuſtiorum, quorum ſchedæ in *Goblii* manus inciderunt, frequenter vero reſponſiones Illuſtris Collegii Medici Berolinenſis ad morborum hiſtorias, hinc inde interjectas eſſe videas. Aliquando etiam plures una reſponſiones exhibentur, quando ſcilicet præter *Goblium* & alii Medici in conſilium adhibiti

Digitized by Google

hibiti fuerunt. Notatu maxime videntur digni ſupremi aliquot ſummorum Principum morbi, atque eviſcerationes, ex quibus ipſorum hiſtoria, quantum ad vitæ exitum attinet, ſuppleri queat. Hiſtoriam quoque fœminæ Berolinenſis, non ita pridem a diabolo obſeſſæ, commemorabilem eſſe judicamus. *Altera Sectio* ſiſtit varii generis reſponſiones ex Medicina forenſi. Tertia vero nunc morborum hiſtorias, ut prior, enarrat, nunc forenſes diſceptationes, nunc vero etiam quasdam obſervationes de remediorum ſimplicium viribus, admiſcet. Acceſſerunt his Quæſtiones medico-practicæ, quas *Goblius* in conventu quodam hebdomadali, a Medicis quibusdam Berolinenſibus eam ob cauſam, ut alter alteri caſus rariores & quæſtiones intricatiores explicandas proponeret, habito, ſuis reſponſionibus enucleavit. Tandem appendicis loco ſubnexa eſt tractatio de lue bovina, A. 1729 per circulum Barnimenſem ſuperiorem graſſante. Bene multa in hoc Syntagmate ineſſe intelligimus, quæ a Medicis Pragmaticis in ſuccum & ſanguinem converti mereantur.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE des Sciences, A. MDCCXXVII, &c.

h. e.

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM A. 1727, una cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis ejusdem Anni.

Pariſiis, in Typographia regia, 1729, 4.
Alph. 3 plag. 3, Tabb. æn. 17.

In *Phyſica generali* Eques *Hans Sloane*, Socius Academiæ Pariſienſis, & Londinenſis Societatis Præſes, exhibet Diſſertationem de oſſibus elephantis in terra repertis, quæ ſæpius pro gigantum oſſibus habita aſſerit. Idem Præſes duo cornua enormis magnitudinis pro cornubus jumentorum Æthiopiæ, quorum *Strabo*, *Plinius*, *Solinus*, & *Ælianus*, e neotericis vero *Ludolfus* inprimis, meminerunt, habet. *Maupertuis*, Salamandram attente

 exami-

Digitized by Google

examinans, invenit, eam vix mordere poſſe, dentes citius emotos, quam & valida manus compreſſione gallinæ plagas inflixerint; Salamandram, in partes ſectam, comeſtam a cane, & totam deglutitam a gallo Indico, ne minimum quidem mali nec cani, nec gallo, induxiſſe; in igne illam perire ſatis cito, at lac, quod ſub cute ejus continetur, qua compreſſa & hinc inde diſſilit, ſtatim, cum animal ignem ſentit, regurgitare, parumve abſuiſſe, quin una vice hoc lac ignem exſtinxerit. *De Reaumur* ex communicatione *Sarrazini*, Medici regii, de Hyſtryce nonnulla inſerit, ubi hoc inprimis curioſum, ſpicula ejus tenui tantum radice adhærere cuti, quæ vero, ſi manum vel veſtem tetigerint, multo fortius his annectantur, quam animali, non vero eadem vi a ſe ſagittarum inſtar rejicere. Biterris obſervata eſt tuba marina 21 Aug. quod in Terra firma mirum phænomenon. *Saurinus*, *Amontoni* inſiſtens veſtigiis, barometrum rectificare ſtudet, ita, ut, quanquam, præter aeris gravitatem, & ejus frigus calorque influat, turbetve, error tamen in barometro ſimplici non niſi 1 lineæ ſit. In duplici præter ſupra dictas irregularitates, & diverſa vaſorum capacitas & rarefactio liquoris accedunt, unde non, niſi adhibita analyſi, reſolvi poterat problema correctionis mercurio adhibendæ, quod tamen perbene a *Saurino* præſtitum. Summa pluviæ Pariſiis 13^d, 8 lin. thermometri altitudo ima d. 7 Febr. 28° maxima, d. 7 Aug. 80° barometri elevatio ſumma d. 1 Dec. 28^d 4 lin. ima d. 28 Dec. 27^d 1 lin.

In *Anatomia Petitus* longius disquirit de nervo intercoſtali cum oculis communicante. Obſervavit, in infantibus modo natis viſum debilem pendere a nimis craſſa cornea, & deficiente humoris aquei quantitate; in cryſtallino vituli obſervabat, eum quaſi glaucomate laborare; ſtatim, ac in manu calefiebat, iterum pellucidus ac naturalis, frigefactus de novo quaſi glaucomate obductus, & ita alternative, apparebat. *Maloet* & *Senac* de motu labiorum diſſerunt, ac curioſum videtur, in nundinis urbis S. *Germani* Hiſpanum os quadratum exhibuiſſe. Inter Obſervationes Anatomicas *du Puy*, Medicus Regis in urbe Rupeforti, colon tractavit, cujus interior tunica ſeparata ab exteriori, &, incrementum ſumens proprium, tandem mortem ſubire ægrum coegerat.

In

Digitized by Google

In *Chymia Geoffroy* & *du Fay* de diſſolubilitate vitrorum, vino, & aliis acidis, multa inſtituunt experimenta. *Geoffroy* invenit, olea eſſentialia mixta cum ſpiritu vini reale frigus producere. *Boulduc* ſal, e terra prope Gratianopolim in Delphinatu extractum, ſal *Glauberi* eſſe naturale, monſtrat. *Lemery* de diſſolutione diverſorum ſalium ſucceſſiva in aqua communi diſſerit. Pars hæc eſt ſecunda Diſſertationis, A. 1724 jam impreſſæ, cui & hoc ipſo anno tertiam adjunxit. Multus eſt in inquirendis proprietatibus ſalis inprimis tartari. *De Reaumur* multum operæ impendit elaborandis vaſis murrhinis, &, ſi fateri verum licet, forſan non longe a ſcopo abeſt. Saxonia noſtra in tam eleganti & magnifico artefacto Galliam ac *Reaumurii* ſcientiam chymicam non ſpernere debet, non tamen & ſtatim ad eum perfectionis gradum evehet imitationem, ſi & maxime in inveniendo felices fuerint, qua nos ſub tutela *Auguſti* gl oriari poſſumus.

De Reaumur in *Botanica* in corallia inquiſivit, ac refert inter alia ſyſtema de hoc corpore, obſervationibus *Marſiglianis* directe oppoſitum, ab innominato propoſitum, ubi & corallium & omnia lithophyta inſectorum ſunt productiones, ſpecies conchyliorum, aut maſſæ concharum unitarum. Flores a *Marſiglio* obſervati inſecta evadunt, corallium generantia. A *Reaumurio* contra cortex coralliorum pro planta habetur, cetera tota eorum ſubſtantia pro maſſa lapidea. Elegantiſſima hæc eſt tractatio, quam harum rerum ſtudioſo plene ſatisfacturam, certi ſumus. *Marchant* in vegetationem inquiſivit, quæ naſcitur in cortice querno a coriariis uſitato. *Marchant*, dubius hærens, ad quod plantarum genus hanc a nemine adhuc obſervatam vegetationem referret, tandem ei nomen imponit Spongiæ fugacis, mollis, flavæ, & amœnæ, in pulvere coriario naſcentis. *De Juſſieu* hiſtoriam enarrat plantarum & animalium in membranis vitulinis pictorum, quæ in Bibliotheca regia aſſervantur. Manibus elegantiſſimæ hæ icones debentur *Nicolai Roberti*, *Jouberti*, *Aubrieti*, ac maximi, idque merito, theſauri inſtar habentur.

In *Arithmetica Beaufort* novam numerorum detexit proprietatem. Numero cujuscunque potentiæ dato, ſi duplum exponentis, plus 1 eſt numerus primus, hic idem numerus pri-

mus exacte dividet numerum poſitum plus vel minus unitate. E. g. duplum exponentis potentiæ primæ eſt 2, quod plus 1 eſt 3, hinc omnis numerus (excepto ternario & ejus multiplis) plus vel minus 1, diviſibilis eſt per 3. 25, e. g. plus 1, vel 26 minus 1 = 27, vel 24 dividitur per 3. Omnis numerus quadratus, vel auctus, vel imminutus, unitate dividitur per 5, excepto numero 5 & ejus multiplis. *Nicole* methodum exhibet ſummandarum ſerierum, quarum ſummæ viis ordinariis haud inveniuntur.

In *Geometria* notum eſt, cycloidem generari a circulo ſuper linea recta provoluto. Si cetera corpora æquilatera, triangulum æquilaterum, quadratum, pentagonum &c. itidem ſuper recta promoveantur, ſpatia formata provolutione polygonorum erunt ad ſpatium polygoni generantis, aut ut cyclois ad circulum, i. e. in ratione tripla, aut minimum ratio modificata erit, ut deveniat tripla in infinito. In genere hoc demonſtrat *Maupertuis* de primo polygono, triangulo, ad ultimum usque circulum. *Fayus* demonſtrat, ſi circulo inſcribatur & circumſcribatur polygonum regulare, dein ſumto latere circumſcripti pro diametro deſcribatur circulus, cui inſcribatur ejusdem formæ polygonum, aut ſumto latere inſcripti pro diametro, deſcribatur circulus, cui circumſcribatur tertium ejusdem formæ polygonum; eſſe ſpatium, huic tertio polygono incluſum, æquale differentiæ ſpatiorum, primis polygonis incluſorum. *Maupertuis*, obſervans, radios evolutarum ſemper tangentes non permittere, ut curva evolvatur, niſi a latere convexitatis, eas ita evolvit, ut radius ſemper ſit perpendicularis ad curvam, ideo curvam evolvit & ex convexitatis, & ex concavitatis, latere. Novæ hinc exoriuntur curvarum ſpecies, ab *Hugenianis* evolutis diverſæ. *De Lagny* tertium differit de goniometria pure analytica. Opus vero eſt, ut angulus quærendus ſemper minor ſit ſexta recti anguli parte, vel 15 gradibus. Longa & hic apparet recenſio Abbatis *Terraſſon*, ſumta ex *Diarii eruditorum* (*Journal des Savans*) *Menſibus Julio & Octobr. A. 1728*, a *Fontenellio* publicati libri, *Elemens de la Geometrie de l'Infini, ou Suite des Memoires pour l'année 1727. Fontenellius* enim laudando conſilio abſtinebat a ſui Operis recenſione.

In *Aſtronomia Maraldus* Tabulas primi ſatellitis Jovis explica-

vit,

Digitized by Google

vit,ac de omnibus principiis,in eas influentibus, perbene elocutus eſt. Mirum, ſidera hæc 83 annis ab eorum detectione legibus calculorum melius parere, quam luna 56 circiter ſeculis ſæpiſſime obſervata. Poſtquam R. P. *Jacobus Alexander Benedictinus* Burdigalis A. 1726 Diſſertationem publicarat, æſtum maris a terra circa lunam (non vice verſa) mota deducentem, *de Mairan* geometrice fere falſitatem demonſtrat hujus Opuſculi, quod tamen maximis cetera effert laudibus, quodque in Academia Burdigalenſi præmium adeptum eſt. *Balianus*, Genuenſis, in Epiſt. ad *Ricciolum*, quæ in ejus Almageſto habetur, idem jam meditabatur. En ſuperbiam terricolarum ſatis punitam, qui, cum olim ſolem circa ſe revolvi credebant, jam & circa minimum forſan omnium cœleſtium corporum circulari videntur. *De la Croyere* motum proprium fixarum accuratiſſime rimatus eſt, comparando obſervationes a ſe habitas circa arcturum & ſolem per meridianum transeuntes cum iis, quas olim *Picardus* fecerat, aſt motum in longitudinem annuum non niſi 47″ & 1′6, vel 20′ eruit, ex A. 1669 in hunc A. 1726, cum certo certius 50″ minimum ſit; mirum tamen, 57 annorum ſpatio eadem fere accuratione hunc lentiſſimum prodire motum, qua olim 16 & 17 Secula comparando. *Caſſini* theoriam cometarum ſub examen vocavit, ac facilem elegantemque proponit methodum tum calculo tum figura determinandi diſtantiam cometarum & a terra, & a ſole, quantitatem & directionem motuum, tum in propria orbita, tum ad eclipticam reductorum, inclinationem orbitæ, & verum ejus motum. Eclipſis d. 17 Sept. obſervata Thuriis prope *Clermontium* a *Caſſino*, maxima obſcuratio 7^h, 8′, 43″. 33^d, 50′, finis 7^h, 48′, 59″. Initium ex fine erutum 6^h, 26′, 4″.

In *Mechanica Couplet* ſecundam exhibuit Diſſertationis partem, tractantis de impulſu terræ contra munitionem externam, cujus ſuperficies verticalis in Commentariis Anni præcedentis *pag. 58* granorum vel parvulorum globulorum inſtar perfecte rotunda ſupponebatur. Jam vero, eandem inæqualem & glareoſam conſiderando, craſſitiem munimenti externi determinat, quod non horizontaliter, ut in prima parte, ſed verticaliter, impulſum, terræ reſiſte-

re valeat. *Pitot* commentatur de impulſu obliquo fluidorum in ſuperficiem planam; maxime hæc conducunt ad rem nauticam, & poſt *Renaudum*, *Hugenium*, *Bernoullium*, *Guineum*, & *Hoſtium*, iterum demonſtrat Autor, eſſe ſinum ſitus optimi ſpinæ navis (*la quille*) & ſitus optimi veli complementa unum alterius. Inter Elogia *Nicolaus de Malezieu* vehementer laudatur, quod, præter Matheſin, quæ ſola totum hominem occupat, tamen & humanioribus literis, hiſtoriæ, nec non linguis Græcæ ac Hebraicæ, operam dederit, imo nec poeſeos expers fuerit. Natus Pariſiis A. 1650, ducem Burgundiæ A. 1696 matheſin ſecundum Elementa Geometriæ *Arnaudi* docuit, &, quæ Dux ipſe repetitionis gratia ſub ejus ductu ſcripſit, A. 1715 *Buiſſerius*, Ducis Bibliothecarius, ſub titulo Elementorum Geometriæ Ducis Burgundiæ publicavit. A. 1701 honorarii Socii Academiæ Regiæ titulo ornatus, tandem apoplexia obiit A. 1727 d. 4 Martii, ætatis 77. *Iſaacus Newtonus* lucem adſpexit A. 1642 Volſtropiæ Lincolniæ. Nemini ignotus eſt hic heros, & elogium ejus pro ſpecimine *Fontenellianæ* eloquentiæ veritatis & ſuadæ habendum. Quantisquantis illum extulerit laudibus, nullo tamen modo pro adulatore cenſendus videtur; ſiquidem hic Anglus in tantum laudandus, in quantum humana ſcientia laudari poteſt. *Fontenellius* tamen, de inventione calculi differentialis differens, expreſſe, idque ex ipſo Societatis Londinenſis commercio, *Leibnitium* plagii haud arguit, ſiquidem & ipſa Societas id vix aliquantulum indigitat. Sciunt vero & eruditi, non omnes e caſtris commercii ſtare. Mortuus d. 20 Martii, & tantis ſumtibus ſepultus eſt, qui abunde teſtantur, eum externis divitiis non minus, quam animi abundaſſe dotibus.

LES EPITRES HEROIQUES D'OVIDE, &c.

h. e.

EPISTOLÆ HEROIDUM OVIDII, IN verſus Gallicos translatæ ſtudio Virginis Illuſtris HERETIERIÆ.

Pariſiis, impenſis Andreæ Cailleau, 1732, 8.
Alph. 1.

Epiſtola

Digitized by Google

Epiſtola ſpectatiſſimæ Autoris, qua Opus ipſum Illuſtriſſimæ Comiti, *de Verteillac* dictæ, dedicatur, poeticam venam, & limpide & naturaliter & jucunde Galliceque manantem, probat & comprobat. Opus ipſum conſimilium ſingulis palmam, ni præripit, certe reddit dubiam. Periculum quidem alii quoque in hac palæſtra fecerunt jam pridem; verum Minerva minus propitia. *Octavianus de S. Gelaſio*, Epiſcopus Angolismenſis, A. 1510 Epiſtolas heroidum *Ovidii* Gallica poeſi induit ediditque. Sexaginta poſt annis Cardinalis *Perronius* Epiſtolam primam poetice tranſtulit, ſecundam vero oratione pedeſtri, reliquas reliquit intactas. Clariſſimus *Mezeriac* A. 1626 octo Epiſtolas heroicas, poetice in Gallicum converſas, notisque ſuis ornatas, edidit. Abbas *de Marolle* translationem dedit in proſa elaboratam. *Cornelius* junior A. 1670 ſeptem Heroidum ſelectas carmine Gallico veſtivit, forasque exire in lucem juſſit. Aliquot annis poſt apparuerunt ſex Epiſtolæ *Ovidii*, verſu Gallico expreſſæ per Abbatem *B.* quas inter nonnullæ a *Cornelio* translatæ exſtiterunt. Eruditus quidam Rothomagenſis præterea nonnullas in verſus transfudit Gallicos. *Ovidii* hiſce Epiſtolis ineſt affectus conveniens, ſtilus terſus ac nativus, inprimis conciſus, multumque compoſitionis ac elegantiæ. Unicæ ſæpius voci ineſt inſigne pondus, ac cogitationum quaſi congeries. Quanta inde oboriatur interpreti difficultas, nemo non intelligit. Quo impedimento Virgo Illuſtris ſeſe deterreri haudquaquam fuit paſſa, morem geſtura generoſiſſimis duabus fœminis, id potiſſimum laborans, ut cogitata *Ovidii*, eorumque vim, affectum, nexumque, debite aſſectaretur ac exprimeret, ſi minus verba, eorumque ſtructuram & brevitatem, imitando adæquare poſſet. Verſus, ut varietate delectaret lectorem, adhibuit ipſa menſuræ haud unius. Modulus ſcribendi literas ejusmodi heroicas, ab *Ovidio* inventus, ſeſe probavit *Coſtaro*, ac nuper magno *Fontenellio*, quorum poſterior Epiſtolas quatuor ejusdem generis compoſuit. Noſtra argumentum Gallice contextum ſingulis literis præmiſit, quarum haud paucas quoque ex integro dedit translatas oratione pedeſtri, ſuoque loco inſertas. Qui translationem conferent cum Lati- Pag. 11.

Digitized by Google

Latinis *Ovidii* Epiſtolis, ii nobiſcum arbitrabuntur, ſummam cogitationis ac affectus fuiſſe retentam, facili perſpicuitate expreſſam, ac ſtilo terſo ita exornatam, ut *Hiritteriæ* enuntiationes ſæpius ſint planiores ipſis *Ovidianis*. Nervus vero *Ovidii*, pauciſſimis vocibus, uni ſæpe, inſitus, quemadmodum aliquid linguæ Latinæ & genio *Ovidiano* habuit commune; ita is a translatore, qualiscunque is ſit demum, nunquam viva & æque pulchra imitatione ad liquidum perducetur. Eadem doctiſſima æque ac illuſtris Virgo aliis quoque ſcriptis ſeſe vulgo eruditorum exemit. Scriptorum ſuorum ipſamet hunc dedit indicem: *Oeuvres mêlées tant en vers qu'en proſe*, 12; *L'Apotheoſe de Mademoiſelle Scudery*, 12; *la Tour tenebreuſe, ou Hiſtoire de Richard I, Roy d'Angleterre, ſurnommé Coeur de Lion*, *Contes Anglois*, 12; *la Pompe Dauphine*, 12; *les Caprices du Deſtin*, 12; *les Epitres heroiques d'Ovide*; *le tombeau de M. le Dauphin de Bourgogne, Brochure* in 4. Sic flos eruditionis ac Galliæ delicium ac ſidus

Præradiat ſtellis ſigna minora ſuis.

APOLOGIE DES BETES OU LEURS CONnoiſſance & raiſonnement, &c.

h. e.

APOLOGIA PRO BESTIIS ET IPSARUM notitia ac ratiocinatione, vindicatis adverſus ſyſtema Philoſophorum Carteſianorum, contendentium, animantia bruta eſſe non niſi machinas automatas. Opus verſu Gallico concinnatum, opera Cl. MORFUACII DE BELLEMONTO.

Pariſiis, impenſis Petri Pralti, 1732, 8.

Plag. 14.

Illuſtris Autor a dignitatis generisque ſui ſplendore haud alienum exiſtimavit, philoſophum agere poetam. Opus ipſum Comi-

Comiti, *de Argenſoniis* cognominato, fuit inſcriptum, Cancellario Ducis Aurelianenſis, & Academiæ regiæ ſcientiarum Præſidi. Veremur, ne poeticus ſtilus longius in alterum latus ſubinde deflexerit, ac ex beſtiis redditi ſint rationes humanæ conſortes. Nam ſecunda ſtatim pagina nos docet, beſtiarum actionibus ineſſe ſenſum & moralem doctrinam. Ipſe ſyſtema *Carteſii* vocat ſuperbum, ac Genealogiam Dominorum ac Comitum *Argenſoniorum* inde ab A. 877 deducit. Præfationem magnifice exorditur verbis e *Lucretio* deſumtis: *Avia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita ſolo: juvat integros accedere fontes Atque haurire.* Tractatio ipſa fuit coagmentata e diverſis hiſtoriis de actionibus animantium brutorum, quibus Autor docet ac efficit, animantia illa gaudere imaginatione, memoria, docilitate, imitatione exquiſita, & judicio. Id, quod de judicio iis tribuendo tradit, aſſignari poteſt regulæ aſſociationis idearum clararum, & expectationis caſuum eventuumque conſimilium. Pateſcit omnino exinde, animantia bruta e numero machinarum automatarum eſſe eximenda. Verum ratiocinationes, quæ fiunt ope idearum univerſalium & meditationis, inde noncum colligi poſſunt.

Leben und Geſchichte des heil. Märtyrers Stephani, ꝛc.
h. e.
ACTA, S. STEPHANI VITAM, EXCELlentiam, & cultum S. Protomartyris, primi ac præcipui Patroni urbis Imperatoriæ Viennenſis, complexa.

Vindobonæ, typis Joannis Adami Schmidii, Bibliopolæ Norimbergenſis, 1736, 8.
Plag. 15.

Eo eminet ſplendore Vindobona, caput gentium, ut haud immerito Patronus tantæ urbis tutelaris in cenſum veniat, quem

quem aliis quoque eccleſiis cathedralibus præeſſe, haud ignoramus. Autor libri, qui Dedicationis formulam, ad Reverendiſſimum Principem & Dominum *Sigismundum*, Cardinalem *de Kollonizitſch*, Archiepiſcopum Viennenſem, Conſiliarium Cæſareæ Majeſtatis intimum, directam, clauſit nominis ſui ſignificatione, exiſtit Pl. Rev. Pater *Magnoaldus Ziegelbauer*, Ordinis Benedictini conſors. Templum S. *Stephano* Vindobonæ ſacravit condiditque *Henricus I*, Dux Auſtriæ. Liber ipſe in *tres Partes* eſt diſtributus. *Prima* complectitur vitam & facta ſancti Diaconi & Protomartyris: *ſecunda* prærogativas & principatum ejusdem: *tertia* continet inſtitutionem, qua docetur lector imitationem virtutum S. *Stephani*, & obſervantiam, ei ex ſententia Autoris præſtandam. Prærogativæ illæ ad numerum duodenarium fuerunt productæ, ac ſunt hujusmodi; ſcilicet quod 1) Acta S. *Stephani* in albo martyriorum & martyrum antiquitate & fide excellant reliquis; 2) *Stephanus* in ſacris literis prædicetur plenus fuiſſe gratia, haud ſecus ac beatiſſima Chriſti mater, *Maria*; 3) *Stephanus* virtutem Chriſtianam animo habuerit infixam ad gradum ſingularem usque & excelſum; 4) ipſe primus Diaconorum & Martyrum extiterit; 5) formam angeli repræſentaverit; 6) ſimilis fuerit Soſpitatori optimo; 7) intra vitæ hujus cancellos fruitus fuerit divina contemplatione; 8) Deus ipſe ſpectatorem egerit martyrii, a *Stephano* profligati; 9) *Stephanus* intra & poſt hanc vitam magna ediderit miracula; 10) ipſe ſit gratioſiſſimus beatiſſimæ Deiparæ; 11) gloria cumulatiſſime in Eccleſia triumphanti plenus; 12) concelebratus in Eccleſia Romana & Latina ſit usquequaque. *Joannes Baptiſta Solerius*, qui *Acta Sanctorum*, a *Bollando* cœpta, continuat cum *Conrado Janninga*, hæc in Notis ad Martyrologium *Uſuardi* habet: *Nullius certe Sancti reliquiæ tot prodigiis, tot certiſſimis miraculis, ab Auguſtino, aliisque ſanctis Patribus, ſunt celebratæ.* Eis, qui credunt, illos, qui in honorem Sanctorum celebrant Miſſas, rebus creatis immolare, & ſacrificia offerre, Autor reſpondet, Pontificios haud immolare ſanctis Martyribus, repetens illa *Auguſtini* ex *Lib. XX* contra *Fauſtum Cap. 21*: *Quis Antiſtitum,*

Pag. 152.

aſſiſtens

aſſiſtens altari, *aliquando dixit*: *Offerimus tibi*, *Petre*, *aut Paule*, *aut Cypriane*? *Sed*, *quod offertur*, *offertur Deo*, *qui Martyres coronavit.* Deſiderant nihilo minus offerentes, ut deprecentur pro ipſis ſancti Martyres. *Hoc vero*, verba ſunt Autoris, *a nobis non fit eo*, *quod illos adoremus*, *ſed*, *ut Auguſtinus ſcripſit Act.* 48 *in Tom. ut orent ipſi pro nobis*, & *eorum veſtigiis inhæreamus.* Idem tamen alibi dilucide ſatis eum tribuit honorem S. *Stephano*, veluti ex præſtantiſſimis unum, qui in eo conſiſtat, ut cultores Eccleſiæ Romanæ in diverſis neceſſitatibus, rebus adverſis, & morbis, ardentiſſima fide adorent eum, & cum ſumma fiducia ad eum confugiant. Idem, ut comprobet, S. *Stephanum* in imaginibus & numiſmatibus eſſe honorandum, ſeſe ad commentum illud recipit, quod *Bagatta* in *Admirandis orbis Chriſtiani* memoriæ prodidit, ratus, imaginem S. *Stephani* divinitus in ſaxum fuiſſe impreſſam eo in loco, ubi ipſe lapidibus fuit obrutus. *Evodius*, Epiſcopus Uzalenſis in Africa, retulit *Lib. II Cap.* 4, genios cœleſtes imaginem picturamve S. *Stephani* cœlitus deportaſſe, ut eos, qui tutelæ ipſius ſunt commendati, docerent ipſi, quomodo hunc Divum tutelarem in imagine conſpicuum caſte riteque colerent. Miramur, qui fieri potuerit, ut Autor tradat, in ſingulis & univerſis neceſſitatibus, omnibusque rebus adverſis, ad S. *Stephanum* eſſe confugiendum, precibusque feſtinandum; cum tamen alibi (*p.* 151) moneat, *Mariæ* χριστοτόκου id privilegium eſſe proprium, quod in omnibus morbis miſeriisque adjumenta præſtare opemque ferre queat. Ipſe contendit, Deum in uno loco libentius certiusque precibus ſupplicantium annuere, quam in alio. Viennæ oſtendunt in æde primaria argenteum receptaculum, reliquiis ex brachio S. *Stephani* decerptis eximium: imaginem S. *Stephani* argenteam, manu tenentis lapidem, unum ex iis, quibus obrutus fuiſſe traditur: cranium protomartyris, a *Leopoldi*, Cæſaris glorioſiſſimi, munificentia profectum: in cœnobio Capucinorum digitum minimum ex dextra S. *Stephani.* Si Autoris veſtigia ſequimur, *Stephanus* neci eodem anno, quo Chriſtus in cruce diem ſuum obiit, fuit datus. Pleraque, quæ circumferuntur de S.

Pag. 154. 140. 162. 165. 151. 168. 174 ſeq. 23.

Stephano, in ſacris literis haud obvia, deſumi ſolent ex *Luciani, Presbyteri, Epiſtola de inventione S. Stephani*, apud *Auguſtinum* in Appendice *Tomi X* Lovanienſis, & *Tomi VII* Benedictinorum, ac *Libro de miraculis S. Stephani, quem Auguſtinus concinnandum curavit ad Evodium, Epiſcopum Uzalenſem*, obvio inter *Auguſtini* Opera *Tomo VII* in Appendice. Floruit *Evodius* & *Lucianus* circa Seculi quinti primordia: ille fuit Antiſtes Uzalis, urbe intra Africam Proconſularem, haud procul Utica; hic vero circa Hieroſolymam Presbyter. Quantopere jam tum in cultum reliquiarum ſeſe effundere cœperit orbis Chriſtianus, haud eſt obſcurum. Qui ſcire avent, qua ratione dextra, ejusque digitus minimus, pervenerint Conſtantinopolin & in alias regiones, eorum eſt, attente perlegere *Partis primæ Caput 11* & *12*. Nos vero veteres canimus querelas cum *Prudentio* ex ejus Hymno de SS. Martyribus *Emetherio* & *Chelidonio*:

Pag. 18. 40.

67 ſeq.

O vetuſtatis ſilentis obſoleta oblivio!
Invidentur iſta nobis, fama & ipſa exſtinguitur,
Chartulas blaſphemas olim nam ſatelles abſtulit,
Ne tenacibus libellis, erudita ſecula,
Ordinem, tempus, modumque paſſionis proditum
Dulcibus linguis per aures poſterorum ſpargerent.

Joh. Erhard Kappens, Profeſſoris zu Leipzig, kleine Nachleſe ꝛc.

h. e.

JO. ERHARDI KAPPII, IN ACAD. LIPS. Eloqu. Prof. Publ. Extraord. Spicilegium quorundam, maximam partem ineditorum, & Hiſtoriam Reformationis Lutheri illuſtrantium, Documentorum.

Pars I & II.

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Braunii hæredes, 1727, 8.

Alph. 5 plag. 1.

Quem-

Quemadmodum flos dignitasque ſacrorum cultura literarum elegantiorum aſſidua tam firmiter nititur, ut affluentibus ingeniis politiſſimis in dies majus firmamentum nanciſcatur, irruente vero teterrimo illo barbariei monſtro maculis ſuis & nævis omnino non careat; ſic, ſejungi poſſe ſanctiorem diſciplinam a ſtudiis humanitatis, Celeberrimus noſter Orator Lipſienſis non ratus, ſed, præter merita in omnis generis bonas literas prorſus eximia, ſacrorum etiam a *Luthero* inſtauratorum decus illibatum ſartumque præſtitit. Eo duntaxat omnis ipſius contentio, omneſque vigiliæ, tendunt, ut non tantum, protractis ex umbra Documentis, dubia plerumque hiſtoriarum monumenta fulciat, & abſtruſis vetuſtate ſua rebus lucem affundat, ſed etiam ut lacunas, virorum de Hiſtoria Reformationis immortaliter meritorum, *Sleidani*, *Seckendorfii*, *Læſcheri*, *Tenzelii*, exemplo laudabili, ſuppleat. Dedit jam dudum hac in re illuſtria eruditionis ſpecimina, in *Actis* noſtris *A. 1720 Menſ. Nov. pag. 523*, & *A. 1721 Menſ. Aug. pag. 340*, cum elogio indicata. Nunc autem novum plane ſpicilegium luci publicæ expoſuit, in quo colligendo illuſtrandoque quid aſſiduitas & notitia rei literariæ ſolida efficere poſſit, videtur experta. Poſt eruditiſſimam enim Præfationem, qua cum inſtituti rationem, tum *Henrici ab Einſidel* fata, virtutesque, commemorat, ſtatim brevem Documentorum delineationem lectori offert, ex qua videre licet, quanta cimelia interitu ſuo caſuque certiſſimo liberaverit. Munificentia quidem Mæcenatûm adjutus, quorum ſumma, qua eminet, modeſtia paſſim mentionem injicit, felicius atque expeditius peregit opus; interim tamen quamplurima profecto loca offenderent Lectorem, niſi Cel. Autor iis medicam admoviſſet manum, multasque altius repetita eruditione refertas adjeciſſet notas. *Pars* igitur *prima* XCVI peculiaribus ſcriptis conſtat, quibus perceuſendis omnibus ſi inhærere vellemus, amplum ſatis & amœniſſimum haberemus campum, in quem exſpatiari poſſemus, ſed nobis vela contracturis liceat ea tantum ſtrictim ſuccinctéque memorare, quæ ſua ſe antiquitate, argumenti gravitate, autoriſque fama, commendant. Principem ſine controverſia

locum obtinent *Edicta luſtrandarum adium ſacrarum cauſa* a Principibus Saxoniæ evulgata, nec minoris eſſe pretii videntur *Conſultationes Lutheri, Jo. Bugenbagii, Juſti Jonæ, Philippi Melanchthonis, & Henrici ab Einſidel*, utpote monumenta manu exarata, & teſtimonia de ratione temporum illorum omni exceptione majora. Ne quid nunc dicamus de aliis literis familiaribus, quæ illorum temporum tenebras luce ſua plerumque colluſtrant, & rebus non adeo liquidis certitudinem roburque afferre ſolent. Nos vero in enumerandis iis omnibus ita verſabimur, ut, Cel. Autorem preſſe ſecuturi, a *Conſultationibus* ordiamur, &, quæ deinceps ſplendidiora videntur, iis velut ſu-
Pag. 6. perſtruamus. *Num. 1* comparet *Lutheri Conſultatio, an ſacra cœna hominibus rudibus ſub una tantum ſpecie ſit adminiſtranda*, quam nonnulli quidem a *Philippo Melanchthone* profectam eſſe ajunt, præeunte *Seckendorfio*, ſed Cel. Autor nititur teſtimonio *Georgii Spalatini*, *Luthero* quondam cariſſimi, tum ipſa inſcriptione, quam profecto *Spalatinus*, illarum rerum optime gnarus, manu ſua non adjeciſſet, ſi alienus fuiſſet labor. In Annotationibus, cuilibet fere ſcriptioni adjectis, mo-
12. net Cel. Autor, *Cochlæum*, *Bellarminum*, *Coccium*, accuſaſſe *Lutherum* inconſtantiæ cujusdam, propterea quod dubitaverit, ſitne ſacra cœna ſub utraque ſpecie adminiſtranda, an ſecus: ſed provocat Cel. Editor ad *Aug. Pfeifferum*, ſtrenuum *Lutheri* vindicem, qui diffuſa eruditione exploſit ſecus ſentientium
16. tium calumnias. Vix autem ſopitum erat certamen illud noſtra ætate, cum *Jac. Benignus Boſſuetus* controverſiam dénuo moveret, & acerrime, ex ſententia Cel. Autoris, inveheretur in *Lutherum*, non ſolum in libro, qui inſcribitur *Hiſtoire des variations des Egliſes Proteſtantes, Tom. I pag. 46*, ſed etiam in ſcripto peculiari, hunc præ ſe ferente titulum: *Traité de la communion ſous les deux eſpeces*, ſed nactum fuiſſe adverſarium cordatiſſimum ait *Pfaffium*, qui Diſſertationibus Anti-Boſſuetianis fraudes & commutationes verborum *Lutheri* præfra-
97. ctas oſtendit. *Num. 9* extat *Martini Lutheri & Jo. Bugenbagii Epiſtola, ad Henricum ab Einſidel* exarata, qua uterque rebus ipſius trepidis conſulit, &, ne ſe iniquo fortunæ afflatu frangi

patian-

Digitized by Google

patiatur, admonet. *Num. 10* ſe nobis offert *Lutheri & Jo. Bugenhagii Theologica conſultatio*, vexationes & injurias Ducis *Georgii*, genti *Einſideliana* illatas, graphice deſcribens, quæ quidem *Tom. IV Altenb. fol. 370 ſeq.* occurrit, ſed, cum videret Cel. Autor, multis eam ſcatere mendis, ex re publica eſſe duxit, avtographum *Lutheri* ipſum prelo ſubjicere. *Num. 18* Lectori curat Cel. Editor quinque Conſultationes *Einſideliorum*, quomodo his cum Duce *Georgio* hactenus agitata peragi poſſit, quibus profecto luculenta virtutis prudentiæque ſpecimina edidere. Dici enim vix poteſt, quam circumſpecte ſe gerant, quam generoſo contemtu minas hoſtium vindicent, quam æquo erectoque animo illecebras Ducis *Georgii* doloſas deſpiciant. *Num. 75* denique chorum harum egregiarum Conſultationum claudit *Georgii Spalatini* Epiſtola de veteribus ſervitiis, & opere publico faciundo, in quibus autor eſt genti *Einſideliana* ſuaſorque, ne morem illum diu receptum, legesque priſcas, per cuniculos, nedum publice, infringere conaretur, ſed, quæ inſtituta ad ipſam transmiſerit vetuſtas, religioſe aſſervaret. His igitur Conſultationibus expoſitis, ulterius nos progredi jubet dignitas & elegantia monumentorum, quæ luſtrationes templorum, *Lutheri* tempore inſtitutas, tam fuſe, tamque copioſe, delineant, ut, qui aliquando *Hiſtoriam viſitationum in Saxonia*, dudum a viris doctis exoptatam, elucubrare velit, multum ſibi inde præſidii comparare poſſit. Scripta de hoc argumento exponentia eo magis in deliciis haberi merentur, quo certius nobis perſuademus, hiſtoriam ſacrorum, ſuis nondum difficultatibus enodatam, hac ratione jucundiorem certioremque reddi. Levi quapropter penicillo adumbrare ſtudebimus ea, non pede ſicco annotationes Cel. Autoris, bonæ frugis pleniſſimas, tranſituri. *Num. 23* nobis exhibetur Electoris *Joannis*, Saxoniæ Ducis, Mandatum, viſitationis inſtituendæ cauſa exaratum, & *Henrico ab Einſidel* transmiſſum, ubi Cel. Autor liberalitatem domus *Gnandſteiniana* laudibus effert, & quamplurimos nobiscum ſcriptores communicat, v. c. *Schlegelium* in Vita *Spalatini*, *Schneideri* Cronicon Zwickavienſe *Lib. II pag. 301*, *Hænnii*

Pag. 101.

146.

184.

171.

nii Coburgenſe Chronicon *Lib. II pag. 119*, & *Rudolphi* Gotham diplomaticam *P. I pag. 151*, ex quibus aliquando opus luſtrationis illius ſaluberrimæ delineaturus multum commodi
Pag. 175. haurire poterit. Nec vilioris eſt pretii illa *Henrici Einſidelii*, manu propria delineata, expoſitio eorum, quæ viſitatores ad Nobiles, Altenburgi commorantes, detulerunt. Palmam vero reliquis omnibus præripere videntur ſequentia Documenta, quorum tantum inſcriptiones attuliſſe juvabit, ne terminos, quibus incluſi circumſeptique ſumus, tranſilire videamur. *Num.*
183. *26* legitur Rogatio Conſiliariorum, aliorumque ab Electore *Joanne* ad viſitationem rite peragendam delegatorum virorum, ad *Einſidelios* directa, ut cum Paſtoribus ſuis Altenburgum die Mercurii poſt *Nicolai* diem venire non dedignentur. Si quis noſſe velit virorum illorum, at quanta, nomina, hunc ablegandum eſſe cenſuit ad *Seckendorfii* Hiſtoriam Lutheraniſmi & *Hechtii* ſolidam Reformationis hiſtoriam *pag. 505*. Poſt Ro-
188. gationem conſpiciendos ſe nobis præbent *num. 30* Articuli viſitationis Electoralis in Saxonia, quos ſancte dehinc revereri jubentur Nobiles & equeſtri ſtemmate orti. Nam ſeveriſſima lege cautum erat, ne quis otio, libidini, comiſſationibus, aliisque liberali & Chriſtiano homine indignis ſe dedat vitiis, nec lubrici juventutis mores corrumpantur, ſed ut unusquisque virtutem colat, eamque velut indiviſus comes ſectetur. *Num.*
222. *43* extat Convocatio *Einſideliorum* Altenburgum, a viſita-
231. toribus, Electorali autoritate conſtituti, exarata. *Num. 49* ſequuntur Articuli & leges, a viſitatoribus Electoralibus latæ, ſecundum quas Nobiles, Paſtores, Senatores in urbibus pagisque, & quæſtores, mores ſuos effingere, vitamque agere nullis pollutam facinoribus, jubentur. A *pag. 267 — 273* theſauros ferme omnes reſerat Cel. Autor, & larga manu ſuppeditat nobis Epiſtolas *Georgii Spalatini*, ad idem argumentum pertinentes, ex quibus vix liquido apparet, quænam ſcriptio alteram utilitate pariter atque jucunditate ſua ſuperet. Nam omnes fere argumentorum gravitate & dictionis ſuavitate ita ſe nobis commendant, ut, utrum eas eloquentia, ut tum erant tempora, virilis, an doctrina, ſibi vindicare poſſit, non perſpectum ſatis atque

que

Digitized by Google

que cognitum habeamus. Ita etiam comparatæ ſunt literæ ejusdem *Spalatini*, quas *num.* 80 reperimus, ubi impenſe ab *Henrico Einſidelio* flagitat, ut quamprimum viros purgandis in Saxonia ſacris præfectos de numero Paſtorum certiores reddat, cujus etiam petitis locum reliquit *Henricus ab Einſidel*, & in peculiari Epiſtola, quam attexendam curavit Cel. noſter *Kappius*, nomina pagorum, conditionem, fortunasque eorundem, & cujuscunque Paſtoris mores, deſcripſit. Reſtat nunc, ut paucis etiam reliquas delibemus Epiſtolas, quæ vel circa res familiares verſantur, vel etiam argumenta ex ſanctiori diſciplina repetita ad vivum reſecant. *Num.* 2 exhibetur avtographa *Henrici ab Einſidel* deſcriptio litium illarum & ſimultatum, quas aluit ipſe & frater ejus *Abrahamus* cum Duce *Georgio*. In Annotationibus hic adjectis Cel. Autor enarrat vatinianum Ducis *Georgii* odium in *Lutheri* doctrinam, ejusque aſſeclas, inter quos *Henricus ab Einſidel* conſtantia ſua inclaruiſſe dicitur. Illuſtrat porro numum, in *Tenzelii* Saxonia numiſmatica obvenientem, ubi ſe Dux *Georgius veteris fidei aſſertorem conſtantiſſimum, & Eccleſiæ filium obedientiſſimum*, nuncupavit. Attexuit inſuper Cel. Editor vitas *Einſideliorum* quorundam, *Hildebrandi*, *Henrici*, & *Hauboldi*, nomine venientium. De iſto præclare dudum judicaſſe ait *Laurentium Peckenſteinium* in Theatro Saxonico *pag.* 77; de utroque poſteriori ſi quis pleniorem comparare ſibi cupiat notitiam, illum remittit ad *Relationes innoxias*, & *Cyriaci Spangenbergii* Speculum nobilitatis. Porro hunc in cenſum venire jure meritoque debent *num.* 13 nobis indicatæ *Henrici ab Einſidel* literæ, ad patruelem datæ, in quibus eum Cizam venire jubet, conſilium ejus in controverſia cum Duce *Georgio* agitanda expectaturus. *Num.* 79 oculis ſe noſtris ſiſtit *Spalatini* Diſquiſitio de confeſſione auriculari, quæ profecto tam firmis ſtabilita eſt argumentis, tantis Patrum teſtimoniis corroborata, ut ne hiſcere quidem Pontificii contra hanc ſcriptiunculam, parvæ quidem molis, at magni ſpiritus, magnique cordis, auderent, ſi eam accuratius perluſtrare vellent. *Num.* 83 memoratu dignæ ſunt ejusdem literæ, ad *Henricum*

Pag. 303. 31. 120. 296. 310.

 cum

cum ab Einſidel perſcriptæ, in quibus moribundus gratias ipſi & fratri ejus decentiſſimas agit pro beneficiis in eum collatis, ſuamque uxorem & liberos ulteriori benevolentiæ ipſorum de meliori nota commendat. Nec prorſus ſpernendæ *num.* 84 obvenientes ejusdem literæ, ad *Henricum ab Einſidel* uxoremque ejus directæ, in quibus filium præmatura morte abreptum deplorat. Nam detexit hic Cel. Autor feliciſſime errorem, quem erravit *Georgius Fabricius* in Poetis Germanis & exteris ſub nomine *Gerardi Fauſti*, hunc in modum canens:

Cum tulit hunc juvenem violento Gallia fato
Heu quantum amiſit Teutonis ora decus!

Hinc plerique eruditorum in eam ingreſſi ſunt ſententiam, ut putarent, *Wolfgangum* illum *Einſidelium* morti violentæ ſuccubuiſſe, ſed, ſi hoc veritati conveniret, nullo utique pacto conciliari poſſent verba *Spalatini*, idem ſibimet mortis genus voventis. Quæ certe expectatio, quod votum, hebetem ſine controverſia animum, imo prorſus impium, innueret, ſi atrocis belli fato, aut alio funeſtiori caſu, periiſſet. Agmen harum Epiſtolarum claudunt literæ amœbeæ, a *Luthero* & *Einſidelio* exaratæ, ubi ſua quisque dubia de exigendis ab agreſti homine ſervitiis ingenue profitetur. Ut taceamus emendationes & additamenta, quæ poſtea Cel. Vir de ſummo illo Pontificum Romanorum ſacrilegio, calice ſcilicet laicis erepto, elucubravit.

Læti jam tranſimus ad *alteram* hujus *Spicilegii Partem*, ubi fere ſedes lautitiarum, & dapum ſuaviſſimarum congeries, quibus ineſcari penitus ii poterunt, qui dulcedinem Hiſtoriæ ſacræ jam aliqua ex parte deguſtarunt. Non opus habent ſcripta illa laudibus, non indigent hedera aut pigmentis orationis, ſed ſufficit tantum, nomina *Krafftii* & *Uffenbachii* indigitaſſe, a quibus commodata, & quorum munificentia luci commodisque publicis donata fuerunt. Nam quem fugit utriusque in conquirendis rarioribus Documentis labor, quis eſt adeo hoſpes in Hiſtoria literaria, ut neſciat, per omnem Germaniam, exterasque regiones, famam eorum peragraſſe, quod tam ſplendidas, tamque eximia prorſus librorum copia exornatas, Bibliothecas condiderint. Cum igitur ea fuerit *Krafftii* & *Uffenbachii*

bachii liberalitas, ut communicarent cum Cel. noſtro *Kappio* libellos manu exaratos, facile exinde Lector colligere poteſt, quæ ſit ſcriptorum conditio, quave pulchritudine ſe commendent illorum argumenta. Multitudo libellorum ad eum fere nunumerum pertingit, quo *prior* exſplenduit *Pars Spicilegii* noſtri. Nam ſcripta hic numero XCV multo ſtudio, pertinacique induſtria, collegit Cel. Autor, quorum præcipua eo perluſtrabimus ordine, quo ſe invicem excipiunt. *Num.* ſtatim 1 videmus memorabilem *Erardi de Marcka, Epiſcopi Leodienſis, Epiſtolam, ad Imperatorem Maximilianum I, & alios in Comitiis Auguſtanis A. 1518 commorantes Principes Imperii*, exaratam, in qua abuſus Eccleſiæ Pontificiæ omni ſine fuco delineat, &, ut medela iis aliquando afferatur, rogat. Ad hanc commentaturus Cel. Autor, non injuria colligit, incognitam plane fuiſſe antehac Epiſtolam *Erardi a Marcka*, quia nec *Struvius* in nova *Freberi* editione, nec *Cheapeavillius* in Tomo Autorum præcipuorum, qui de vita & rebus geſtis Pontificum Leodienſium expoſuerunt, illius mentionem injecerunt. *Num.* 3 Obſervationes ſuppeditat Cel. Autor in *Univerſitatis Witebergenſis Epiſtolam ad Illuſtriſſimum Principem pro Doctore Martino*, ubi profitetur, literas illas, multoties typis exſcriptas, S. Reverendum *Læſcherum* Actis ſuis Reformationis *pag. 503* inſeruiſſe. Propterea, cum in omnium manibus verſentur, ex re ſua tantum eſſe duxit, varias indicare lectiones. Sic pro Archimarſchallo legit *Archimarſchalco*, pro Landgravio *Lantgravio*, pro Thuringiæ *Thoringiæ*, pro noſtræ Academiæ *noſtræ Univerſitatis*. *Num.* 4 binas *Ulrici Hutteni* Epiſtolas, ad *Melanchthonem* datas, ubi autor eſt ſuaſorque *Luthero*, ut, ſi aliquo liberatore opus habeat, *Franciſcum Sickingium* in auxilium conſiliumque vocet, pro ineditis habet, quia *Jac. Burchardus*, ille eruditiſſimus vitæ *Huttenianæ* conditor, ne verbo quidem ejus meminit. *Num.* 10 reperitur *Hermanni Buſchii* notatu digniſſima ad *Ulricum Huttenum* Epiſtola, in qua minas furoreſque Pontificiorum, & inſidias *Hutteno* hactenus ſtructas, enarrat. Hic a fortuna ſibi datam occaſionem celebrandi laudes *Jac. Burchardi* non prætermittit Cel. Autor, ſed illius

Pag. 409. 420. 422. 446.

Digitized by Google

lius merita in manes *Buſchianos* ea, qua ſolet, eruditione præ-
dicat. Adjunxerat is etiam *Vallo humanitatis*, Francof. A.
1719, 8, edito, Commentarium de natalibus, ingenio, meritiſ-
que Viri illuſtris, *Hermanni Buſchii*, fortiſſimi humanitatis
Pag. 468. aſſertoris. *Num. 16* Epiſtola conſpicitur *Nicolai Hausman-*
ni, Parochi Czuiccavienſis, ad *Nicolaum Tilomannum*, Cu-
ſtodem, Canonicum, & Vicarium Cizenſem, in cauſa Evange-
lica, ubi vitæ ſuæ & muneris rationem depingit, ſperans, fore,
ut ipſemet primus in *monte nivali*, ſeu, uti præclare interpre-
tatur Cel. Autor, urbe *Schneeberga*, verbi divini præco animis
civium ſuorum doctrinam cœleſtem inculcare poſſit. *Num. 22*
longo deſcriptas ordine videmus Theſes *Henrici Zutphanien-*
ſis contra Miſſam privatam, ubi Cel. Autor *Henrici Muhlii* o-
peram cum laude memorat, quam vitæ & geſtis *Henrici Zut-*
496. *phanienſis* præclare A. 1724 impendit. *Num. 23* lepidi non mi-
nus, quam elegantes, rythmi nobiſcum communicantur, in
Jo. Cochlæum Wormatiæ affixi. Proficiſcebatur ille ſponte
ſua Wormatiam, &, nimio abreptus amore erga Pontificio-
rum ſacra, *Lutherum* in partes ſuas trahere ſtudebat, ſed ille
homuncio, ad tantos conatus plane ineptus, riſui & ſibilo ex-
ponebatur verſibus in vulgus emiſſis, quibus profecto tantum
bilis, tantum amaritudinis, ineſt, ut nullam meminerimus nos
545. acerbiorem legiſſe Satyram. *Num. 33* ſuppeditantur *Jo. Lo-*
molleri, Secretarii Rugenſis, literæ, ad *Lutherum* ſcriptæ, in
quibus ei confirmat, populares ſuos ad ſacra ipſius ample-
550. ctenda pronos eſſe. *Num. 34* evulgatur fratris *Henrici Zut-*
phanienſis Epiſtola ad *Jacobum Hyperenſem* & *Reynerum*, de
captivitate ejus pariter & vinculorum liberatione memorans.
Initium harum literarum Celeb. Autor ab ipſo *Spalatino* eſſe
concinnatum putat, reliqua autem ab amanuenſi, rerum o-
571. mnium ignaro, eſſe deſcripta. *Num. 41* quinque doctiſſimo-
rum virorum, *Lutheri* ſcilicet, *Mich. Linckenii*, *Philippi Me-*
lanchthonis, *Pomerani*, & *Amsdorfii*, judicia leguntur, an a Prin-
603. cipibus Chriſtianis bella geri poſſint. *Num. 52* Excerpta tra-
duntur ex *Eraſmi* literis de *Chriſtiano II*, Rege Daniæ, nec
minus ex *G. Farelli* literis de incrementis ſacrorum purio-
rum

rum in Gallia, & inconſtanti *Eraſmi* animo, qui non una vice verſipellis & Evangelii peſtilentiſſimus hoſtis appellatur. *Num. 66* apparent Evangeliſtarum Argentinenſium literæ ad *M. Lutherum* de *Caroloſtadii* conatu contra *Euchariſtiam* & *Baptiſmum*, miſſo in hoc, ſumtu eorum, peculiari nuntio Witebergam ex Tribotibus in Saxones A. 1524. Primum jam lucem publicam adſpexit ſcriptum illud, & referendum inprimis eſt ad *Hiſtoriam motuum*, in qua fuſe deſcribenda S. Reverendus noſter *Læſcherus* omnium optime deſudavit. *Num. 67* Epiſtola legitur *Jacobi Hyperenſis* ad virum Dei D. *Mart. Lutherum* de *Henrici Zutphanienſis* martyrio, nuper ob miniſterium Evangelii gloriæ Dei in Ditmarchia crudeliter interemti. Hoc memorabile ſcriptum propterea ineditum putat Cel. Autor, quia neque in Tomis & Epiſtolis *Lutheri*, neque in *Eberbachii* Confeſſione fidei *Henrici Zutphanienſis*, extat. *Num. 85 Friderici Aurbachii*, Ludimoderatoris Coldicenſis, literæ ad *Conradum Clugum*, Parochum Lauſicenſem, proferuntur, quæ ſcriptio ea de cauſa annotari meretur, quod ſcite & apposite docet rationem tractandi articulos fidei. *Num. 94* arridet nobis quammaxime ſolida Cel. Editoris diſquiſitio, quo tempore, & cujus inſtinctu, verba fuerint adjecta Litaniæ: Ut nos a blasphemiis, libidinibus, & homicidiis Turcarum & Papæ liberare digneris, Te rogamus, Audi nos. Autorem fuiſſe dicit *Jo. Bugenhagium*, Pomeranum, illudque probat ex Epiſtola illus ad Antiſtites ſacrorum data, (vid. *Hortlederum* in cauſis belli German. *Tom. II Cap. 22 fol. 3*,) aſt hujus additamenti anſam præbuiſſe arbitratur fœdus Schmalcaldicum, cui adhuc florenti Turcarum exercitus & Pontificiorum *liga* interitum minitabatur. Hæc igitur quamvis ita excogitata a Celeb. Auctore ſint, ut ſuis nitantur hiſtoriæ fulcris, nihilo tamen ſecius Rev. *Schamelius*, Antiſtes Sacrorum Numburgenſis, ei hac de re litem movit, quem refutare nec animus, nec operæ pretium eſt, præſertim cum Doctiſſ. *Ermelius* jam in *utiliſſima Litaniæ conſideratione pag. 257* cauſam Cel. noſtri *Kappii* maſcule defenderit, cui aſſentiendum eſſe, quilibet haud iniquus rerum arbiter videbit.

Pag. 641. 660. 704. 754.

Gründliche Grammatica der Hebräiſchen Sprache, ꝛc.

h. e.

GRAMMATICA FUNDAMENTALIS LINguæ Ebraicæ, in qua Lingua hæc ſecundum ipſius indolem, excluſis regulis inutilibus, perſpicue explicatur, & ex genuinis principiis omnia derivantur; Autore ANDREA GEORGIO WÆHNERO.

Gottingæ, apud Chriſt. Henr. Cunonem, 1736, 8. Plag. 10, & Paradigm. Tabb. 12.

Novam in tradendis Grammaticæ Ebraicæ præceptis viam ingreditur Clariſſimus Autor, atque, rejectis fere omnibus veterum & recentiorum Grammaticorum regulis, methodo philoſophica, uti ipſe in Præfatione innuit, atque ex certis quibusdam poſitionibus obſervationes ſuas deducit, multis, quæ in aliis ejusmodi libellis occurrunt, e. g. doctrina de ſchva mobili & quieſcente, ſimplici & compoſito, penitus omiſſis. Totum autem libellum in *duas* diſpertitus eſt *Sectiones*, quarum *prior* in ſe complectitur rationabiles theſes (*vernünftige Sätze*) de affectionibus ſive attributis Linguæ Ebraicæ, quorſum doctrinas de conſonantibus, ex quibus gutturales nominat ſpiritus, lenem (א), aſperum (ה), obſcurum (ו), exilem (י), neque minus vocales, notas diacriticas, & denique accentus, refert. *Poſterior* autem *Sectio* ſiſtit paradigmata linguæ Ebraicæ, videlicet Nominum, Pronominum, Particularum, & Verborum, quorum anomalias præter neceſſitatem augere multis videbitur, dum ea verba, quæ gutturalem literam, vel ab initio, vel in medio, vel in fine, habent, ſingula ſeorſim conſiderat. Ceterum illud omnino laude dignum eſt, quod paradigmata Nominum & Verborum, tam perfecti, quam imperfecti, Ebraico-Germanica adjecit. Num vero rem acu tetigerit, quando Accentibus Ebræorum officium tantummodo attribuit oratorium, ſtatuens, eos ſupra vocabulis collocatos, vocis elationem, infra eadem, ejus demiſſionem: ſi vero a ſiniſtra ad dextram monſtrarent, in pronuntiando moram, a dextra vero ad ſiniſtram, in loquendo celeritatem, indicare, aliis dijudicandum relinquimus.

AN

AN ANSWER TO A LATE BOOK INTITULED Chriſtianity as old as the creation, &c.

h. e.

RESPONSIO AD LIBRUM RECENS EDItum, cui titulus: Chriſtianiſmus æque antiquus ac mundi creatio; Autore JOANNE LELANDO.

Partes II.

Dublini, ſumtibus Abrahami Bradley, 1733, 8 maj. Alph. 2 plag. 18.

Præmiſit Autor Præfationem, in qua, quam neceſſarium ſit, ut religio revelata adverſus ejus aggreſſores defendatur, oſtendit. Scripſit *Tindalius* librum ſuum multo labore & arte, eoque modo, ut approbationem forte reperiat apud homines, non adeo exacte inſtituentes meditationes ſuas; quales plerique eſſe ſolent. Ordinem ſecutus eſt non adeo accuratum, quare etiam factum eſt, ut Cl. *Lelandus* eundem κατὰ πόδας ſequi non potuerit, ſed *duas* potius *Partes* conſtituerit, probaveritque *Parte I*, ejus ſyſtema legis naturalis cum ratione componi non poſſe, virtutique & hominum bono adverſari; *Parte II* autem oſtenderit autoritatem & utilitates revelationis, in Scriptura Vet. & Nov. Teſtamenti comprehenſæ, reſponderitque ad objectiones Autoris. Sequuntur deinde poſt Præfationem contenta *Partis I* & *II*; contenta excipit introductio. In Præfatione cauſam producit Autor, cur huic ſeſe controverſiæ immiſcuerit, quam eſſe ait cauſam Dei & religionis puriſſimæ. Speciem, profitetur, aſſumere *Tindalium*, qua, qui ſuperficiarie cogitant, facile decipiantur, re vera revelatam religionem impugnare, ipſiusque Scripturæ autoritatem; ordinem accuratum negligere, tavtologiis laborare, ut, niſi in ſocietatem confuſionis & tavtologiæ quis pertrahi velit, conquirere debeat conquirenda. Quibus præmiſſis, propius ad ipſum negotium accedit. In introductione ſatis ampla proponit Vir Clariſſimus obſervationes quaſdam de Autoris conſilio, tractandi methodo, & ſtatu controver-

troverſiæ, ad quem in præſenti quæſtione attendendum eſt. Elegit *Tindalius* modum Dialogorum, in ſe ſatis bonum & innocentem, ſed re vera minus recte & candide applicatum. Chriſtianæ religionis ſe rationem habere, teſtatur; Scripturam eſſe externam ſolam revelationem, naturalem autem ſibi nuncupari internam, easque non niſi modo communicationis differre, ſed, cum re vera Chriſtianiſmum & religionem naturalem pro ſynonymis habeat, poteſt ille amicos Deiſtas inſignire nomine Chriſtianorum, ſimulque impugnare revelationem Chriſtianam, eundemque etiam honorem tribuere *Juliano* & *Porphyrio*, infenſiſſimis Chriſtianæ religionis hoſtibus, Chriſtumque habentibus impoſtorem. Metuit ille, ſibi imputatum iri cogitandi libertatem: ſed eam ſibi quilibet homo æque vindicat, modo recte adhibeatur, id quod minus obſervant homines illi, qui appellantur *Freethinkers*, cum evidentiam facti impugnent rerum Biblicarum, quam in libris aliis valere concedunt. Carpit in eodem *Tindalio Lelandus* encomia, quæ ſibimet ipſi imponat. Inprimis, prout ſolent ejus generis homines, fraudes & artes Clericorum, quibus promoventur ea, quæ pertinent ad promovendam autoritatem revelationis, exagitat: quaſi vero ſtatus Clericorum minus eſſet neceſſarius, & eo carere poſſimus. Fieri non poſſe, contendit, ut homo careat omni inſtructione revelationis. Secuturam enim tunc univerſalem ignorantiam hominum, & ſummam eorundem perverſitatem. Non omnes certe cognitionem Matheſeos ſublimem, &, quæ cum hac connexa ſunt, fundamenta alia, ex ratione derivare poſſunt, licet Matheſis in natura rerum fundamentum habeat, & ex eadem probetur, quod eodem jure de quarumvis veritatum nexu affirmari poſſet: id quod omni experientiæ adverſatur. Quod male attulit de revelatione in genere, male ad revelationem Scripturæ accommodavit. Quæ affert de incerto verborum ſignificatu, de variis eorundem ſignificatibus, de ſuſpicione fraudis, qua commaculati Scriptores nonnullis videantur, de deficiente teſtimonii evidentia, & quæ ſunt hujus furfuris alia, aut plane falſa ſunt, aut dudum ab aliis confutata; & quæſumus, cur ejus generis homines tantopere urgent teſtimoniorum incertitudinem

in

Digitized by Google

In rebus ſacris, in rebus hiſtoricis autem aliis ne audent quidem proponere criticam ſuam, ſed aſſumunt ex monumentis antiquitatis probata? Sane non indicant niſi mentis ſuæ perverſitatem. In diverſis interpretum opinionibus, tantum abeſt, ut lucrari poſſit aliquid *Tindalius* cum ſuis, ut potius ſententiarum divortia in ipſa lege naturali, quam judicat ille certiſſimam & evidentiſſimam, deprehendantur: ergo per revelationem debet diſtinctius cognoſci lex naturæ. Male etiam ille paganis, revelatione deſtitutis, aditum ad notitiam præcludit: poterant enim legis naturalis notitia duci ad inveſtigandam revelationem. Falſo pugnam ſumit inter rationem & revelationem, nec quidquam teſtimoniis Patrum efficit. Male fidem in autoritate aliorum collocatam ſimpliciter rejicit, male Apoſtolos enthuſiaſtas habet; ſine cauſa Philoſophos in cœlum effert laudibus: cum Scriptorum revelationis noſtræ & dogmata & mores quam longiſſime ſuperent omnia illa placita, quæ in ſcriptis Philoſophorum habentur. Finita introductione, ad rem ipſam propius accedit *Lelandus*, & *Parte I Capitibus 11* operoſe examinat legem naturæ, quam ſibi ille concepit, oſtenditque, ejus ſyſtema nec cum ratione, nec inter ſe, cohærere, & conſequentiis laborare in ordine ad virtutem & bonum commune peſſimis. *Parte ſecunda* autoritas & ſumma utilitas revelationis, comprehenſæ in ſacris ſcriptis Vet. & Nov. Teſtamenti, oſtenditur, vindicaturque ab objectionibus & falſis repræſentationibus *Tindalii*; quod negotium *Capitibus ſedecim* egregie perſequitur. Concludit tandem, *Tindalium* admodum eſſe culpabilem, qui media gratiæ repudiet: ſe ſecundum vires ſibi datas pro revelationis veritate ſcripſiſſe, & objectiones refutaſſe; quocunque tandem ſucceſſu illud factum fuerit, ſibi ſufficere, intendiſſe defenſionem veræ religionis.

CHRISTIANITY DISTINCT FROM THE Religion of nature, &c.

h. e.

RELIGIONEM CHRISTIANAM A NAturali differre, tribus Partibus oſtendit PHILELEUTHERUS CHRISTIANUS.

Londini, ſumtibus Weaver Bickterton, 1732, 8 maj.
P. I plag. 8, P. II plag. 6, P. III plag. 7½.

Præfatio monet, ſi Autori Libri: *Chriſtianity as old as the creation,* (*Tindalium* putat) habenda fides eſſet, & religio Chriſtiana non eſſet niſi naturalis, ſecuturum inde, *Tindalio*, ſingulari fato, hunc honorem deſtinatum fuiſſe, ut reperiret id, ad quod nullus Scriptorum potuerat attingere; ſic Apologetas omnem in refutandis paganis, cum ex *Tindalii* ſententia inter religionem naturalem & revelatam non detur niſi differentia nominalis, luſiſſe operam. Dialogorum methodum, quam credidit & ſcopo ſuo convenientiſſimam, & veterum corroboratam autoritate, elegiſſe *Tindalium*; ſed veteres nullo partium ſtudio adductos uſos fuiſſe Dialogis; id quod fruſtra quæſiveris in *Tindalio*. Adjunxiſſe tandem ſcopum *Tindalium*, quem ſit in ſua opella ſecuturus, ſe nempe oſtenſurum, naturalem & revelatam religionem non, niſi in modo communicandi, differre; *Parte altera* ſibi eundem propoſuiſſe everſionem hypotheſeos, qua præcepta poſitiva divina ſtatuantur, quæ tamen nec ſint, nec eſſe poſſint. Re vera *Tindalium* intendiſſe everſionem religionis revelatæ, ejusdemque a naturali diſtinctionem judicaſſe inutilem & noxiam, licet expreſſe fateri illud noluerit. *Epicuri* eum veſtigiis inſiſtere, qui verbis Deum adſtruxit, re ipſa ſuſtulit. Probe itaque refutationis hujus Autor dicit: Si religio naturalis omnibus iis ſufficit perficiendis, quæ incumbunt homini, quid, quæſo, opus eſt revelata? id quod pluribus etiam in ipſa *Parte prima* perſequitur. Eleganter oſtendit, utriusque religionis eſſe unum eundemque finem; ſed inde non ſequi utriusque identitatem, religionem naturalem eſſe tam perfectam, ac principium, ex quo fluit; exiſtente itaque ratione perfecta, infert, naturalis religio fuit ſufficiens, in ſtatu corruptionis autem potuit evadere imperfecta, ergo opus habet revelatione, quæ defectus ſuppleat. De ſtatu corruptionis exiſtente cum ratione dubitare non poteſt: narrationibus quippe illis hiſtoricis fides omnino habenda erit. Nec quidquam obſtat, quod revelatio plura proferat, quam naturalis religio: differunt quip-

pe

pe utraque inter ſe, non autem pugnant, tandemque concludit: re vera *Tindalium* nihil intendere aliud niſi revelationis deſtructionem, quam nullius eſſe uſus opinetur. Ad hæc reducuntur commode ea, quæ *Parte prima* continentur.

Parte ſecunda Autor, *Thomas Broughton*, (ita enim nomen ſuum profitetur,) in legum divinarum poſitivarum exiſtentiam inquirit, quas pertinere ait ad praxin religionis inter homines conſervandam. Sic duo præcepta poſitiva, Baptiſmum & ſacram Cœnam, ad religionem Chriſtianam pertinentia, talem oſtendit præſtare uſum, quo carere nequeamus. Baptiſmo enim hominem admitti in fœdus gratiæ; ſacra Cœna revocari in memoriam beneficia, quibus Chriſtus univerſum genus humanum affecerit. Deo autem indignum eſſe, præceptis arbitrariis inſtruxiſſe genus humanum, modo recte explicetur legum poſitivarum conceptus formalis, nunquam poſſe effici, ſive oſtendi, ulla ratione probabili; illa enim præcepta, quæ poſitiva ſunt, non amplius eſſe arbitraria poſt factam eorum publicationem. Sic & dubia reliqua nullius momenti eſſe docet.

Parte tertia in objectiones inquirit, quibus finem & autoritatem divinæ revelationis infringere voluit *Tindalius*. Revelationem quidem omnem diſerte non negat ille, uti monet Autor noſter; attamen, cum omnes leges poſitivas rejiciat, iſtam re vera evertere conatur. Quæ affert dubia *Tindalius*, *non dari niſi cognitionem probabilem revelationis; primos revelationis propagatores decipi potuiſſe, aut deceptionem aliorum intendere; dubium valde eſſe, an revelatio pure ac integre ad noſtram ætatem pervenerit; plebejos homines de verſionibus recte factis non eſſe ſatis certos; multas etiam circumſtantias, quarum fuit manifeſtatio perquam neceſſaria, omiſſas*, & reliqua, non adeo magni momenti habenda eſſe, cum aut manifeſto falſa contineant, aut laborent conſequentia. Quando revelationem particularem eſſe clamitat *Tindalius*, multum fallitur. Licet etiam Evangelium non conſequatur omnes effectus, quos debebat, id ipſum tamen hominibus imputandum erit, non Evangelio. Iſraelitas carpit, arrogantes exſtirpationem Canaanæorum, gentis innocentiſſimæ, quaſi vero Deus, ſupremus omnium dominus, minus poſ-

ſit diſponere in pœnis huic iſtive genti infligendis. Jeſum dicit loqui per parabolas, ut ne ab omnibus intelligatur; at vero expoſuit illas omnibus, qui parati erant ad interpretationem auſcultandam. Denique plane fallitur, cum in Scriptura judicia de rebus naturalibus contineri opinatur, quæ a vero obhorreant, quod manifeſto falſum eſt. Annectit tandem Autor noſter defenſionem *Clarkii*, & illius merita ita celebrat, ut minui eadem his dubiis poſſe, neget.

ENCHIRIDION, SEU MANUALE, HEBRAIcum, ad uſum Regii Seminarii Matritenſis, in duas Partes diſtributum, quarum altera Grammaticam cum aliquot Diſſertationibus continet, altera utrumque Lexicum, Hebræum, & Latinum. Autore P. DIDACO DE QUADROS, Societatis Jeſu, Matritenſi, olim Philoſ. ac Theol. Profeſſore Primario, nunc in Imperiali Collegio Matritenſi SS. Bibliorum & Linguæ Hebraicæ Profeſſore.

Partes II.

Romæ, typis Antonii de Rubeis, 1733, 8.
Alph. 1 plag. 20.

Poſtquam Autor eruditiſſimus ad literas Hebraicas, quarum uſus in Academiis & Scholis publicis Hiſpanicis ex decretis ſanctiſſimis retineri debebat, publice docendas in ſcholis publicis Matritenſibus delectus fuit, Inſtitutiones has Grammaticas, tum propter diverſitatem, tum propter aliarum ipſum penuriam, conſcribere cœpit. Has *prima Libri Pars* complectitur, in quibus, amputatis iis, quæ obſcuriora & rariora ſunt, præter paradigma verbi perfecti, alia etiam omiſit, tum ut ſpectra hæc terrifica præcidantur, tum ut diſcipuli de regulis nude acceptis, ſub directione magiſtri, paradigmata defectiva & quieſcentia, ſibi elaborent, quo aptius hæreant; ſolent enim, ut ait, hac in re eſſe diſcipuli, qui potius mente, quam memoria, reguntur. Præmiſit illis *duas Diſſertationes* procemiales, alteram

Digitized by Google

teram apologeticam, contra *Maſclefum*, Canonicum Ambianenſem, & *Sectio I* exponit novam ejus methodum, legendi Hebraica ſine punctis, quam & in Epiſtola adjecta ad præfectos *Diario Trevoltiano* copioſius cenſet, & *Gilberti Genebrardi* Iſagogen ad legendum Hebraice ſine punctis ſimul proponit. *Sectione II* reſponſionem *Maſclefi* ad literas ſuas tradit ac diluit, & argumenta ejus reliqua percurrit. Altera vero Diſſertatio procemialis eſt Scholaſtico-Hebraica, de moderato uſu punctorum, ac inſtar lectionis certatoriæ, qua hujus linguæ cathedra in aliis Academiis fundata peti poſſit, prolata. Grammatica autem ipſa Hebraica *duodecim Capitibus* abſolvitur, ubi de figura, nomine, & vi literarum, de vocalibus, de ratione legendi & ſcribendi, de nomine & pronomine, de mutatione punctorum, de verbo perfecto, & imperfecto, de ſuffixis verborum & adverbiorum, ac de literis paragogicis, de inveſtigatione thematis, de ſyntaxi, de figurata conſtructione rhetorica, & Poeſi, agitur, & triplex Exercitatio adjungitur Grammaticæ, quarum *prima* docet thema cum punctis, vel ſine illis, ad leges trahere & inveſtigare, *ſecunda* homiliam quandam Hebraico-Latinam *Jacobi Mariæ Airoli*, & *tertia* textum Hebraicum alicujus partis tam Nov. quam Vet. Teſtamenti proponit. Dein duplicem aliam Diſſertationem adjecit, quarum *prima* eſt de lectione Hebraica & Rabbinica ſine punctis, ubi regulas, quæ illi poſſunt ſuffragari, compendiola Hebraica per capita literarum, Raſche Thebhoth dicta, aliaque ſpecialius ad intelligentiam & lectionem Rabbinicam obſervanda, uſum Rabbiniſmi quoad formationem & notionem nominum, & reliquas Grammaticæ Rabbinicæ anomalias, vocum breviaturas, numerandi, ac temporis computandi, rationem, exponit. *Secunda* Diſſertattio eſt Didaſcalico-Hebræa, in qua de œconomia & obſervatione textus Hebraici, de literis, quæ notabili figura ac ſitu reperiri ſolent in textu, & de Accentibus, de Hebraica elucidatione per alios libros præſtita, diſſerit, & in fine indicem librorum Rabbinicorum ex *Gilberto* & *Genebrardo* addit. *Altera Libri Parte* Lexicon Hebræo-Latinum manuale & ſimplex, & ſimile Lexicon Latino-Hebraicum,

cum, continetur, ubi, nudis ſignificatis per columellas & parallela ſubjecta, diſcipulorum commoditatem maxime Autor reſpexit, ut non ſolum uſui facillimo eſſe queant, ſed & memoriæ magis adhæreſcant, ac ut, quisquis Hebraice ſcire percupiat, hoc ſolo Volumine contentus eſſe poſſit; quæ omnia in Præfatione, huic Lexico præmiſſa, fuſius perſequitur.

L'ESPRIT DE L'EGLISE DANS LA RECITATION de cette partie de l'office, qu'on appelle Complies, &c.

h. e.

SPIRITUS ECCLESIÆ IN RECITATIOne Completorii, per modum Dialogi inter Magiſtrum & Diſcipulum.

Pariſiis, impenſis Andreæ Calliavii, 1734, 12.

Plag. 18½.

Pag. 2. Completorium vocatur pars extrema officii divini, ſeu ejus penſi, quod in templis interdiu penes Romanæ Eccleſiæ affectatores decantatur. Autor hoc Opuſculum eorum condidit in gratiam, qui horam completorii frequentant, deditque eis precum ſingularum expoſitionem, quæ officii divini illam partem ultimam conſtituunt. Carthuſiani ſoli hoc penſum in Ec-
3. cleſia non recitant, ſed quisque ſolus in oratorio ſuo preces illas ad Deum dirigit. Eadem ratione alii etiam egerunt, donec *S. Benedictus* illud per *Cap. 42 regulæ* publico uſui conſecravit. Completorium ipſum conſtat Procemio ex *1 Petr. V*, & quatuor Odarum Davidicarum, *IV*, *XXX*, *XCI*, *CXXXIII*, decantatione, Hymnis quatuor, ac formula precandi una vel altera. Hiſce ſingulis hic expoſitio deſtinata ac adjuncta fuit clara & perſpicua, ad vitam recte inſtituendam accommodata. Id unum in Autore deſideramus, quod ſæpius præceptorem ſuum cum diſcipulo colloquentem repræſentaverit concionatorem diuturnum, qua-
33 ſeq. lis a colloquiorum indole abeſſe debet. Ipſe præterea accedit ad *Auguſtini* ſententiam, qui illud cœci quondam, cui lumina a Jeſu fuerunt data, dictum *Jo. IX, 31*, de Deo, precibus peccatorum haud annuente, parvi fecit, ratus, verba hæc fuiſſe ejus, qui nondum lumina animi fuerit adeptus. Verum in loco deſignato non quivis peccator, nec is, qui peccata ſua introſpicit & dete-

Digitized by Google

deteſtatur, intelligendus eſt, ſed *ἁμαρτωλὸς*, is, qui flagitiis oblectatur, animumque virtuti præfracte opponit.

BREVE NOTIZIA DELLE ANTICHITA di Viterbo, &c.

h. e.

BREVIS NOTITIA ANTIQUITATUM Viterbii, dicti Etruria, Turrenia, & Tuſcania, ac cathedra Epiſcoporum; Autore FRANCISCO MARIANI, Beneficiario, & Scriptore Græco Vaticani, Abbate Venerabili.

Romæ, impenſis Joannis Zempelii, 1730, 4.

Plag. 9½.

Ven. Autor, qui in Opere ſuo Latino de *Etruria metropoli* e- Pag. 7.
git, hic pro certo reputat, Etruriam, ſeu Turreniam, fuiſſe
caput urbium Etruriæ ac Italiæ, ſedemque Epiſcoporum Tu-
ſcanienſium, qui iidem fuerint ac Viterbienſes. Innititur vide-
licet Inſcriptioni, quam in Opere illo Latino *pag.* 128 produxit.
In ea civitas Viterbii vocatur *Etura*, ſeu *Aturia*. Quæ quidem,
dummodo eſt genuina, confirmat Illuſtriſſimi *Scipionis Maffei*
ſententiam, qui Hetruſcorum initia ex עטרות *Num. XXXII, 34.*
deduxit. Vide *Acta* noſtra *A. 1727 Menſ. Dec. pag.* 537. Autor 8.
ulterius progreditur, ac originationem Hetruriæ ex *Aſſure*, ſeu
Ature, deducit. *Cam-eſen*, qui cum *Jano* terram Latii tenuit, 9.
habet pro *Chamo*. Suſpicamur, ſub *Cameſe* latere כמרש, vini ac
laſciviæ Deum. Gallos Autor a גלים, *fluctibus*, derivat, quo-
rum nomen a *wallen*, *vagando*, nobis videtur defluxiſſe: ori- 21.
ginationem Pelasgorum ex פלג, *diviſione*, deducit: *Janum* ex
יין, *vino*: *Saturnum* ex סתור, *abſcondito*: *Latium* ex לט, *la-
tendo*: *Peruſium* ex פרס, *ungula*, inſigni urbis Peruſii: *Farne-
ſum* ex Chaldaico פרנס, *alendo*. *Ætruria* in Inſcriptione, a *Rei-* 28.
neſio producta, legitur. *Deſiderii* decretum continet *Tirrenam
Volturnam dictam Ethruriam*. *Plinius* memorat *Tuſcanien-
ſes*. *Stephanus*, in compendium miſſus ab *Hermolao*, Gramma-
tico, diſtincte ſatis: Ἔϛι Τυῤῥηνία πόλις, ἡ λέγεται καὶ Τυῤῥή-
νη. *Marcianus*: Τυῤῥηνίαν ὁ Λυδὸς Ἄτυος ἔκτισεν Τυῤῥηνὸς ἐπ'
Ὀμβρικοὺς ἐλθὼν ποτε. *Tyrrheniam Lydus, Atyos filius, ædifi-
cavit*

Digitized by Google

cavit Turrenus, cum ad Umbros veniſſet quondam. Dionyſius
Lib. I de Pelasgis Tyrrenis: Κρώτονα πόλιν εἷλον ἐν μεσογείῳ καὶ
ἐντεῦθεν ὁρμώμενοι τὴν νῦν καλουμένην Τυῤῥηνίαν ἔκτισαν, *Cro-*
tonem urbem in continenti ceperunt, ac præcipites inde acti
condiderunt urbem, quam nunc vocant Tyrrheniam. Exſtitit
igitur omnino urbs quædam Tyrrhenia. Etruriam urbem Au-
tor ſibi inveniſſe videtur in *Livio Lib. II Cap. 28, Lib. VI Cap. 9,*
Lib. IX Cap. 25, ac tabulis Capitolinis, in quibus ad annum 472
memoratur *triumphus ex Etruſceis, ex Vulſinienſibus, & Vul-*
Pag. 33. *cientibus.* In Concilio VI Seſſ. 4 a S. *Agathone* habito occur-
rit memoria *Vitaliani*, Epiſcopi τῆς ἐκκλησίας Τούσκης. Autor
Tuſcam pro peculiari urbe reputat. Viterbii quondam fanum
37. Volturnæ fuit. Pars urbis adhuc *Vicus Vetulonius* appellatur.
Arx Vetulonia & Vetulonii quondam erant celebres. Arx *Lon-*
gula, ſeu *Terbo*, ibi pariter quondam exſtitit, nec non *Arbea*, ca-
45. ſtrum quartum. Inſignia Viterbienſia præferunt literas F. A. V.
L. hoc eſt, *Fanum, Arbanum, Vetulonia, Longula.* Hæ literæ
in numis antiquis, eorumque uno latere, occurrunt, addito no-
mine: *Vetulonia.* In altero latere *Hercules* cum leone ſolet eſ-
47. ſe conſpicuus. *Deſiderius* Rex tandem caſtella communibus
cinxit mœnibus, ſanciens, ut urbs tota Viterbum pronuntiare-
53. tur. In Bulla *Leonis IV* fit mentio *Comitatus Viterbienſis. Otto*
Imperator in Diplomate ad annum 999 commemorat obviam
in civitate Viterbienſi Eccleſiam S. Mariæ — — cellam S. Mariæ
juxta fluvium Minionem. Benedictus VIII quoque ad annum
1013 *Comitatum Viterbienſem juxta fluvium Minionem* me-
morat. Jam ad A. 883 in Annalibus Fuldenſibus *Vitto, Comes*
Tuſcianorum, occurrit, & apud *Anaſtaſium* in Vita *P. Zachariæ Ra-*
55. *mingus Caſtaldus Tuſcanienſis.* Autor Tuſcanienſem & Tuſcianum
pro Viterbienſi habet, alii pro Tuſcanellenſi. In Decreto *Deſiderii præ-*
fectus Viterbienſis omnino habetur. Id nonnulli mirabuntur, quod No-
ſter *Annii Viterbienſis* fidem propugnare, ac *Latinium* improbare, con-
66. tendat. Nos vero tam exiguo ſumus ingenio, ut ex hiſce nondum certi
ſimus de eo, quod Viterbium idem ſit ac Tyrrhenia & Thuſcia. Deſi-
deramus quoque in nobis fidem, quam alii Decreto illi *Deſiderii* ha-
bere ſolent. De cetero gratulamur Autori de labore feliciter exantlato,
rati, e re noſtra & communi fore, ſi ingenio culto & polito porro uti
velit ad inveſtigendas Italiæ antiquitates, nondum omni ex
parte claras tenebriſque ſuis liberatas.

* * *

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II Sectio VIII.

ACTA MARTYRUM, P. THEODORICI RUINART opera collecta.

Veronæ, ex typographia Tumermanniana, 1731, fol. Alph. 7 plag. 3.

Retinuerunt Veronenſes in hac editione Præfationem, quæ in Actorum horum editione ſecunda *Wetſteniana* A. 1713 acceſſerat. Recenſetur in illa vita *Ruinarti*, qui natus eſt A. 1657, denatus A. 1709, Presbyter & Monachus S. *Germani a Pratis*, adjecta etiam recenſione librorum, qui ejus ſtudio fuere in medium prolati. Sequitur dein Præfatio generalis in Acta Martyrum quadripartita, in qua agitur 1) de ipſis Actis, eorumque deſcriptionibus ac collectionibus; 2) habetur Diſſertationis XI Cyprianicæ *Henr. Dodwelli* de paucitate Martyrum confutatio, quantum ad ejus argumenta, ſive rationum pondera; 3) ejusdem confutatio, quantum ad res facti, ex recenſione ſingularum perſecutionum; 4) diſſeritur de perſecutionum cauſis & effectis, Martyrum fortitudine & honoribus, ac cautionibus, circa eosdem adhibitis. Non vult approbare *Ruinartus* hominum nonnullorum perverſum Acta Martyrum

colligendi ſtudium, colligentium, quotquot occurrunt, de Sanctis recenſiones, ſive ſpuriæ illæ fuerint, ſive veræ. Sibi itaque conſtitutum dicit, ſincera Martyrum Acta colligere, non ſolum perquirendo urbis Pariſienſis monumenta, ſed etiam alia, quæ in aliis urbibus & locis habentur. Deinde *Dodwellum* de paucitate Martyrum confutat, & de ipſis perſecutionibus erudite agit. Aſſervantur etiam Indices Actorum, paſſionum, &c. quæ in editione *Wetſteniana* habentur. Acceſſere igitur tantum in hac editione Acta S. S. *Firmi* & *Ruſtici*, quæ tria folia complent, jam demum lucem videntia. Deprehendebantur illa in Hiſtoria critica diplomatica Marchionis *Scipionis Maffæi*, ubi Italico ſermone legebantur; hic Latine reddita, cum notis iisdem. Factum eſt hoc Martyrium probabiliter A. 305, Imperatore *Maximiano* ſæviente. Referunt eadem, *Ruſticum* ſponte ad martyrium acceſſiſſe: quæ hic ſecundum circumſtantias ſingulas commemorantur.

ORBIS SACER ET PROFANUS. PARS ſecunda, Europam complectens. Volumen ſecundum, in quo Etruriæ Regalis, ſive Annonariæ, Metropoles, tum Eccleſiaſticæ, tum Civiles, earumque urbes, & loca, explicantur. Opus Eccleſiaſticæ & profanæ Hiſtoriæ ſtudioſis apprime utile; Autore P. FRANCISCO ORLENDIO, Ordinis Prædicatorum Magiſtro, & in Univerſitate Piſana Theologicorum Dogmatum publico Profeſſore.

Florentiæ, typis Bernardi Paperinii, 1732, fol. Alph. 9 plag. 6.

Opus hoc ſplendidiſſimum, cujus *Tomum III* nunc indicamus, ære perennius, lucernamque olens, immortalitati Autorem ſuum conſecrat, conſecratum quippe Regiæ Celſitudini *Caroli*, Hiſpaniarum Infantis, Parmæ & Placentiæ Ducis,

Ducis, nec non Etruriæ Magni Principis, ad Etruriæ littora ap-
pulſi. Amor patriæ dignitasque eo compulit Autorem, ut
civitatum ejus initia, incrementa, dominationum vices, ipſius
quoque regionis limites, partes, flumina, ſoli ubertatem, bo-
naque cetera, latius exponere contenderit. Etruſcæ itidem
gentis antiquitas, & ſupra hominum memoriam in eas terras
propagatio, in ſui origine perſcrutanda aliquantulum otii exe-
git. Multarum vigiliarum magnique laboris in hiſce Volu-
minibus conficiendis opus aggreſſus eſt Autor, quod ne qui-
dem invidia inficiari auſit. Voluminis hujus initia in continua-
tione *Libri tertii* verſantur, Caputque aperiunt XVII. Etru- Pag. 791.
riæ antiquitas, origo, nominisque ſignificatio, Tuſciæ & Tyr-
rhenorum nomen, Tuſcæ, per Italiam coloniæ, & civitates E-
truriæ, olim florentes, nunc exſciſæ, primas in ſeſe provoca-
runt curas. *Thomæ Dempſteri*, Scoti, Opus poſthumum de
Etruria regali, in ſeptem Libros diſtributum, laudatur, Flo- 792.
rentiæ A. 1723 ſtudio *Thomæ Coke*, Angli, formis deſcriptum.
Eandem Diſſertatione eruditiſſima illuſtravit Cl. *Philippus
Bonarota*, Patricius & Senator Florentinus. *Tages* gentem pri-
mus docuiſſe haruſpicinam fertur, teſtibus *Cicerone*, *Ovidio*,
Martiano Capella. *Voſſius* eum inſerit fictionibus. Thura in ſa-
cris adhibita ad ultimam antiquitatem haud ſunt referenda.
Quare inde haud dictæ Thuſcia & Tyrrhenia, quarum incolæ
primi ex Lydia haud ſunt repetendi, ſiquidem monumenta paſ-
ſim in Etruria effoſſa literis conſtant prorſus ſingularibus,
quibus cum Aſiaticis, Syriacis, & Palæſtinis, nulla eſt affinitas. In
12 Tuſcorum coloniis enumerandis Autores admodum diſcor-
dant. Mons Janiculus, unus e ſeptem Romæ collibus, 796.
nunc vocatur *Aureus*, a flavis arenis ita dictus. In tres partes
olim Etruria deſcripta. Antiquiorum ejus Regum quatuor
fuerunt ſtirpes. Inſignia regalia a Tuſcis ad Romanos tradu- 807.
cta. Romani ſuos nobiles adoleſcentes literis erudiendos in
Tuſciam miſere. Adduntur Vejentum & Tuſcorum in Ro-
manos bella. Secundo bello Punico Etruria in provinciam
conſularem converſa. *Ludovici Pii* donatio, Tuſciæ ſubur-

 bica-

Digitized by Google

bicariæ a *Pipino* & *Carolo* facta, vindicatur ceu confirmata
Pag. 817 ſeq. adverſus contraria *Pagii* argumenta. Credidit Autor, Comitiſſam *Mathildem* patrimonium *Petri* conceſſiſſe eccleſiæ Ro-
820. manæ. Sub Langobardis præfuerunt Tuſcis Duces, ſub Carolingis ac poſt hæc Marchiones, ac tandem Magni Duces. Pi-
821 ſeq. ſarum originibus, hiſtoriæ, fatisque, integrum inſeruit *Caput XIX*, quod eſt inſtar ſpeciminis, ſecundum quod alias hiſtorias urbium aliarum elaborare decet. Piſis eſt gratulandum de tot viris, fortitudine & eruditione præclaris, quibus inde ab ævo Carolingorum præſtitit. Hi A. 1016 Sardiniam occuparunt. Piſani primordia eccleſiæ ſuæ ac doctrinæ Chriſtia-
849. næ ad ipſos allatæ tribuunt *Petro*, Apoſtolo, atque ab eo ædem ſacram ad littus Piſanum erectam ferunt, dum ex Oriente Neapolim Campaniæ pervectus, navi Romam voluiſſet contendere. Exſtat locus, quem vocant *Sanctum Petrum ad Gradus*, in Piſano littore, ubi *Petrum* erexiſſe altare ſacrum ferunt, quod a S. *Clemente*, *Petri* diſcipulo & ſucceſſore, conſecratum fuerit. Id apparet ex Chronico apud *Ughellum Tom. III pag. 401*, & ex Scriptore Chronologo Piſano *Tom. VI Muratorii*, aliisque quamplurimis. Expeditionem eam *Petri* ad annum 44 referunt *Baronius* ac *Caccinius*. Rem ipſam quoque habet vetus Chronicon, quod *Pantheon* vocatur, & nuper in lucem prodiit *Tom. VI Muratorii pag. 165 ſeq. Innocentius II* in Epiſtola ad Conſules Piſanos, A. 1137 ſcripta, perhibet, Piſanos gloriari, ſeſe a *Petro* edoctos primordia fidei, ac ſalutaris Baptiſmatis lavacro regeneratos eſſe. *Inno-*
858 ſeq. *centius VI* ejusdem famæ in Bulla meminit. Eccleſiam D. *Petri ad Gradus* a Piſanis ædificatam S. *Clemens* Papa conſecraſſe perhibetur. Addunt, tres guttas ſanguinis e *Clementis* naribus tunc in aram delapſas. Oſtendere conatur Autor ex variis exemplis ſimiles templorum dedicationes, factas divinitus. Annales Piſani dedicationem illam *Clementinam* memorant, licet rei geſtæ ab ætate ſatis diſtent. Ara lapidea, guttis S. *Clementis* ſanguineis adſperſa, cultui divino patuit poſtmodum. Bis ea, nec ſine prodigiis, furto ſubtracta: inviſentibus eccleſiam

&

gitized by Google

& aram plures fuerunt conceſſæ indulgentiæ. *Petrus*, Piſarum Archiepiſcopus, A. 1116 decretum dedit pro debita modeſtia ac devotione, in eodem templo ſervanda. Copioſus eſt Autor in hiſce percenſendis, quæ fortius cuique extorquerent aſſenſum, ſi perſcripta fuiſſent a primis eccleſiæ ſcriptoribus, rei geſtæ propinquis & ſupparibus. *Petri* adventum *Florentinius* in annum 51 Chriſti collocarat, ut Lucenſi eccleſiæ principatum initii Chriſtianæ doctrinæ vindicaret. Verum Pag. 867
ſuſe ad ejus momenta ac argumenta reſpondit Autor, do- ſeq.
cens inprimis, Lucam olim haud fuiſſe Etruriæ metropolin, 881 ſeq.
multoque minus luce Evangelii ante reliquas Tuſciæ civitates colluſtratam, licet ita *Florentinio* fuerat viſum. Primus Piſarum Epiſcopus fuit S. *Perinus*. Qua occaſione Autor refel- 906.
lit *Dodwelli*, Angli, errorem, de pauciſſimo Martyrum numero, & monet, Calendaria eccleſiarum, quibus Martyres deſcripti fuerint, juſſu *Diocletiani* eſſe combuſta. Calendaria illa 908.
erant ſingularum eccleſiarum; martyrologia univerſæ propemodum eccleſiæ. S. *Perinus* Piſanis porro data opera vindicatur. Succedit catalogus antiſtitum Piſanorum, qui rei ſacræ præfuerunt, ab Autore ex monumentis Archiepiſcopalis tabu- 915 ſeq.
larii exornatus. Catalogus ejusmodi jam Seculo ſuperiori concinnaverant & *Dempſterus*, & *Paulus Troncius*, & tandem *Ughellus*, quem ſuppleverunt *Ughelli* Continuatores. Quartum A. 1705 contexuit *Joſephus Martinius*, Canonicus Baſilicæ Piſanæ, poſt *pag. 156* editus. Quintum, eumque ineditum, exaravit *Octavius Angelus de Abrahamo* ad annum 1716. Poſtremum adornavit Vir Clariſſimus *Guido Grandius*, in Academia Piſana Matheſeos Profeſſor, & S. *Michaelis* in Burgo Abbas Camaldulenſis, in Appendice Veterum Monumentorum, poſt Epiſtolam de Pandectis, *2 edit.* Florentinæ A. 1727, *num.* 2, in Notis, *pag. 114 ſeq.* Singulos hoſce conſuluit Noſter, & permulta ſtudioſe ſupplevit, ac pro virili emendavit. A *Gaudentio* Sec. IV certum innoteſcit exordium. Reſtant ta- 954 ſeq.
men hinc inde adhuc lacunæ. Deſcribitur hinc Baſilica Piſana, ac Capitulum Canonicorum, ei adjunctum, eccleſiæ aliæ annexæ, Cœnobia, Archiepiſcopale palatium, xenodochia, & lo-

ca alia, nec non Collegia ſacra. Canonici Piſani olim iiſ-
Pag. 975. dem in ædibus morabantur, eadem communi menſa, iisdem cibis ac veſtimentis utentes, nil proprium, ſed communia omnia, habentes. Additur donatio famoſæ Mathildis in Cano-
976 ſeq. nicos Piſanos. Mons Piſanus, vallis gratiæ, Liburni civitas, arx & portus celeberrimus, inſula Gorgonia, & alia, deſcribuntur. *Alexander III* Canonicus Piſanus extitit, nunquam Monachus. *Nicolaus V* non Piſis, ſed Sarzanæ, natus eſt.
999 ſeq. Pertexuntur viri Piſani, ſanctimonia & doctrina illuſtres. Succedit Academia Piſana, Seculo XII exorta, Jurisprudentiæ ſtudio inclyta. An *Bulgarus* fuerit civis *Piſanus*, inquiritur. *Burgundio*, civis Piſanus, omni fere diſciplinarum genere fuit excultus, plura Græcorum opera Latine reddidit, legationibusque
1007. pro patria Conſtantinopoli fuit functus. *Bandini* gloria enar-
1011. ratur, Jurisconſulti Piſani. *Bartoli & Baldi* vitæ ediſſeruntur. Sequitur Luna, vetus Etruriæ civitas, eaque maritima, Se-
1012 ſeq. culo XII a Normannis exciſa. Ei ſuccedit Luca, nec non urbs
1035 ſeq. Volaterræ, ac catalogus Epiſcoporum Volaterranorum. Diplomata *Friderici Barbaroſſæ pag. 1056 ſeq. Henrici VI pag. 1059 ſeq. & Caroli IV pag. 1062 ſeq.* ſunt memorabilia, inprimis ob ſubſignata Principum Germanicorum nomina. In Florentiæ origine, incrementis, & hiſtoria, Noſter eſt admo-
1087 ſeq. dum accuratus & copioſus. Florentiam Triumviri deduxere coloniam. A *Totila* non fuit everſa, nec a *Carolo Magno*
1102 ſeq. reædificata, uti *Borghinius* valide contra *Dempſterum* evicit.
1116 ſeq. Tuſciæ Duces, Marchiones, Comitesque, recenſentur, inter quos eximii ſunt progenitores Ducum Brunſuicenſium maſcu-
1128 ſeq. li. Deinde geſta Florentiæ ſacra exponuntur fuſe. Additur brevis Commentarius hiſtoricus & chronologicus de Medi-
1200 ſeq. ceæ gentis viris illuſtribus, Principibus, & magnis Etruriæ Du-
1246 ſeq. cibus. Templa Florentina porro percenſentur. Succedunt
1274 ſeq. Fæſulæ, Romanorum colonia & municipium. Diœceſis Fæ-
1304 ſeq. ſulana continet Mugellum, Vallem ſuperiorem Arni, & Cluſentinum. Piſtorium & Pratum hinc traxerunt Autorem ad enarrationem ſacram & profanam. Adjecta eſt Piſciæ explanatio. Ipſa habuit olim eccleſiam plebaniam, poſt collegia-
tam,

tam, tandem Epiſcopalem. Fata Aretii, oppidi vetuſtiſſimi, copioſe concinnantur, ornateque proferuntur. De Cortonæ originibus diverſæ Autorum ſententiæ expenduntur. Ipſa, plurimis bellis oppreſſa, tandem dominatum Florentinorum ſuſcepit. Montis Politiani exordia ſubjiciuntur. Ipſe a Senenſibus & Aretinis ſæpe occupatus, demum Florentinis paruit, ſede Epiſcopali ſpectabilis. Catalogus Epiſcoporum Aretinorum comparet exhibitus *pag. 1349 ſeq.* Porro gradum promovet Autor ad deſcribendas Senas & illuſtrandas. Seriem Senenſium Epiſcoporum, ab *Ughello* editam, rejicit. Exordium Epiſcopatus Senenſis, judice Noſtro, Seculum VII haud præceſſit, ſuadentibus ita & *Liutprandi* Regis Diplomate, & aliis monumentis. *Pius II* Senas conſtituit metropolin. Urbis origo eſt vetuſta, & natalem Chriſti tranſcendit. Cluſii fata, nec non Ruſſellæ, Populoniæ, Maſſæ, Suanæ, Pientiæ, Montis Ilcini, ſubjunguntur. Operi ſubjectæ ſunt tres Appendices, quibus ea, quæ ſupra fuerunt expoſita, illuſtrantur & emendantur. Ad ultimum additur *Diſſertatio hiſtorica canonica legalis* Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi D. *Franciſci Froſini*, Patricii Piſtorienſis, Piſarum Archiepiſcopi, in qua veterem Eccleſiæ ſuæ traditionem de appulſu Divi *Petri*, Apoſtolorum Principis, ad littus Piſanum, quarto circiter ab urbe lapide, eo loci, ubi antiquiſſimum templum, a priſcis Piſarum civibus ejus nomini conſecratum, hodieque cernitur, S. *Petri ad Gradum* nuncupatum, aram illam, ſacramque ædiculam, continens, in qua divinum ſacrificium Deo omnipotenti is litaſſe perhibetur, omni probationum genere luculentiſſime exponit atque illuſtrat. Concludimus cum Archiepiſcopo, adhibentes etiam illud *Chryſoſtomi: Traditio eſt, nihil quærat amplius.* Index Operi ſubjectus lucernam olet, diligentiamque ſpirat, ſua luce coruſcantem. Ecquid tandem? Gratulamur Autori de nervis, ſtudio, judicio, & patientia, nilque in votis habemus magis, quam ut Geographos tempus proferat conſimiles, qui urbium fata hiſtorica, literaria, ſacra, politica, & reliqua, ad eandem formam evolvant & exponant.

Pag. 1334 ſeq. — 1375 ſeq. — 1391. — 1395 ſeq. — 1400 ſeq. — 1435 ſeq. — 1441 ſeq. — 1472.

HISTO-

HISTOIRE ROMAINE: LES EMPEREURS. Jule Cæſar. &c.

h. e.

HISTORIA ROMANA, ET QUIDEM IMperatores, quorum nunc exhibetur e ſerie Julius Cæſar, una cum Notis Hiſtoricis, Geographicis, & Criticis, Figuris in æs inciſis, Chartis Geographicis, & pluribus Numiſmatibus genuinis, opera Rev. Patrum CATROU & ROUILLE, Societatis Jeſu. Tomus XVII, ab A. U. C. 705 usque ad Annum 710.

Pariſiis, ſumtibus Rollini, Deleſpinæ, Connardi, & Deleſpinæ filii, 1732, 4 maj.

Alph. 3 plag. 8, cum Tabb. æn. 7.

Patres admodum Reverendos *Catrou* & *Rouille Hiſtoriam Romanam Libris* ſeu *Tomis XVI* a prima origine ad ætatem imperantis *Julii Cæſaris* enarraſſe, nemini eſt obſcurum. In præſens accedit par nobiliſſimum ad exponendos *Julii Cæſaris* annos primos, exiſtimans quippe, ſtudium hiſtoricum a ſummis Monarchis ad monopolii leges haud eſſe adſtrictum, limitibusque ab Hiſtoriographorum uno & altero, qui exinde per ætatem vitæ tolerandæ conſulit, coerceri non poſſe. Adeo a Theologorum perſonis hiſtoricæ rei peritia haud abhorret. Suo exemplo, ſuaque libertate, id egregie teſtatum faciunt Duumviri religioſi. Ipſi in Præfatione lectorem docent variam reipublicæ Romanæ faciem, Opus hoc inædificant *Tomis* præcedentibus, ſignificant inſtitutum exponendi in poſterum vitas & res XII priorum *Cæſarum*, atque deinde paululum a labore reſpirandi: exhibent nunc characteres morales ac politicos, *Julio Cæſari*, *Auguſto*, reliquisque ad *Domitianum* Auguſtis proprios, pragmaticumque ſcribendi hiſtoriam modulum a ſeſe perſpe-

perſpectum eſſe, re ipſa oſtendunt. Cum Romæ vigeret respublica popularis, conſilia & conſiliorum rationes in vulgus emanabant. At *Cæſarum* deſtinationes, earumque rationes, detegere, ardui eſt laboris. Qui vitas priorum *Cæſarum* ſcripſerunt, laborant vel amore priſtinæ reipublicæ, vel cupiditate placendi Monarchis. *Dio Caſſius* Duumviris æquiparare dicitur *Titum Livium*, ideoque eum potiſſime in ſcribenda de *Cæſaribus* hiſtoria ſequentur. *Tacitum* dein collaudant & *Suetonium*. *Vellejus Tiberium*, promotorem ſuum, delineavit inſtar herois, metuens veritatis præmia viliora, & adſpirans per *Sejanum* ad ſublimiora virtutis ornamenta. Duumviri *Tacitum* inter & *Vellejum* medio ibunt tutiſſimi. *Joſephus*, in gratiam Romanorum genti ſuæ minus fidelis, illorum res geſtas per Syriam & Judæam curate delineat, & ad annos alligat. *Aurelius Victor* & *Eutropius* nonnunquam ea in compendio attingunt, quæ graviſſimorum & copioſiſſimorum Autorum effugerunt diligentiam. Quare Duumviri ne hos quidem negligent, conſultis paſſim *Macrobio*, *Athenæo*, & *Strabone*, Geographo. Initia rei Chriſtianæ non ſeponent, credentes, *Chriſtum deſtinaſſe Romam in ſedem ſuæ religionis*. Numiſmata illuſtrabunt ſeriem factorum, quæ a coævis fuerunt narrata. Tandem agunt Duumviri gratias eis, qui Opera ipſorum in Anglicam & Italicam linguam tranſtulerunt, *Bundy*, Anglo, & *Zannino Marſecco*, Italo. Italus quidam notas criticas Duumvirorum notavit obelo, non veritatem hiſtoricam, quocum de guſtu diſputare nolunt, velificaturi tamen pro virili deſideriis ejusdem. Jam ad præſens Opus properamus. *Libro primo* exponunt conatus *Pompejanorum* poſt pugnam Pharſalicam, *Ciceronis* indolem, nec non *Quinti* fratris, *Catonis* Uticenſis, *Cnei Pompeji*, junioris, & *Labieni*, expeditiones *Fuſii Caleni*, *Cæſaris* in Ægypto, *Milonis* & *Cælii* contra *Cæſarem*, adventum *Cleopatræ* in Ægyptum, & *Cæſaris* erga eam amores, Alexandriam, Pharum, Dictaturam *Cæſaris*, incendium Bibliothecæ Alexandrinæ, interitum Regis *Ptolemæi*, geſta *Cæſaris* per Syriam, Phœnicen, & Judæam, bellum *Pharnacis* adverſus *Cæſarem*, hujus acta monarchica per Aſiam

Pag. 32.

33.

minorem, pœnam in Regem *Dejotarum*, characterem hiſtoricum *T. Pomponii Attici*, moderationem *Cæſaris* in deditiios, fata *M. Antonii*, bellum *Cæſaris* Africanum, iter *Pompeji* filiorum in Hiſpaniam, reditumque *Cæſaris*, Romæ celebratum. *Libro ſecundo* recenſent prærogativas extraordinarias *Cæſari* Romæ conceſſas, clementiam *Cæſaris*, *Marcelli* fata, ſpectacula, & largitiones militares, reformationes corruptelarum publicarum & calendarii veteris, ſtudia & eruditionem *Cæſaris*, leges nuptiales licentioſas, ab eo approbatas, nativitatem *Cæſarionis*, bellum Hiſpanicum, tractum ad Mundam, tabula Geographica expreſſam, mortem *Tulliæ*, *Ciceronis* filiæ, triumphum *Cæſaris*, titulum Imperatoris, Dictaturam ejus perpetuam, rebellionem Pſeudo-*Marii*, munificentiam & magnanimitatem *Cæſaris*, depreſſionem ordinis ſenatorii, ſenatorum inſultus in contrarium, characterem *Cæſaris* hiſtoricum, vitam familiarem, nævos, ac virtutes, inprimis ſtudia & in ea amorem, acceſſionem & incrementum numeri Prætorum, Ædilium, Triumvirorum Monetalium, Quæſtorum, Quindecimvirorum, & Epulonum. Addunt inſidias, veniam *Ligario* datam, & *Ciceronis* Orationem ea ſuper re habitam, amorem *Cæſaris* erga *Serviliæ* filiam, molimina belli Parthis inferendi, modeſtiam in declinato Regis nomine conſpicuam, ambitionem in dies creſcentem, diadema regium in feſto Lupercalium ei a *M. Antonio* oblatum, conſpirationem a *Bruto* & *Caſſio* initam, necem *Cæſari* ab eis illatam, & comparationem inter *Cæſarem* ac *Alexandrum Magnum* inſtitutam. *Libro tertio* enarrant motus ſenatorios, conſilia *Ciceronis* ac aliorum pro republica in integrum reſtituenda, indolem *Lepidi*, furorem *Cinnæ*, *Antonii* cum *Lepido* concordiam, conatus *Bruti* & adverſariorum, & quidem primo Romæ ac deinde foris, conſecrationem *Cæſaris* datam manibus, diſcordias *Antonium* inter & *Ciceronem*, *Caji Octaviani* deſtinationes, genusque & indolem, ejusque conjunctionem cum *Cicerone* contra *Antonium*. *Libro*, qui ſequitur, *quarto* perſequuntur *Octavii* res geſtas urbanas, artesque, quibus in favorem populi ſeſe inſinuavit, ſimultates *Antonii* in eum ſuſceptas, *Ciceronis* ſeceſſum Athenas

thenas

thenas inſtitutum, reditum ejus & inimicitias cum *Antonio* a-
gitatas, *Antonii* inſultus in *Brutum*, Philippicarum fata, *Hirtii*
Conſulis facta, *Panſæ* conatus in reconciliandis *Antonio* ac *O-*
ctavio, confœderationem *Octaviani* cum *Antonio Lepido*que,
conſilia ſenatus, *Bruti* iter in Macedoniam ſuſceptum, ejus-
que interitum. Index, Operi ſubjectus, ſingularem accura-
tionem diligentiamque ſpirat. Nec tamen eſt, quod exiſtimes,
ſingulas enuntiationes in Opere obvias allatis veterum teſtimo-
niis, eisque diſtincte protractis, muniri ac comprobari, ſiqui-
dem Galli rariſſime ad eas ſeſe demittunt moleſtias, rati, le-
ctores haud reputandos eſſe pro imperitis & ignaris tironibus,
quibus ſingula curate demonſtranda ſunt ac ingerenda. Liceat
nunc paucula ſubdere ſpecimina, e quibus indoles Duumviro-
rum patet. *Cicero*, cum a *Pompejo* ſtaret, eique in Græcia eſ- Pag. 6.
ſet præſto, a *Cæſare* ſibi ſemper metuebat, ejusque extollebat
vires. *Cato* ſequebatur *Pompejum*, fato magis & numero no- 8.
bilium ductus, quam certo conſilio, amicus quippe reipublicæ.
Cicero, elapſus minas *Cneji Pompeji*, junioris, *Cæſaris* ad gra- 9.
tiam appellebat animum, eamque recuperabat, calami ſtudio-
ſior, quam armorum. *Cæſar* ubique moderabatur ſuam victo- 12.
riam, ac Athenienſibus ignoſcebat, felix ultra vota in *Caſſio*
captando, & ad ſuas partes flectendo. Duumviri in characteri-
bus animorum delineandis utramque complent paginam, & mi-
ro gaudent judicio. Caſium, urbs ad montem Caſium ſita, nunc 17.
eſt vetus caſtellum, & appellatur *Elquas*. Jovis Caſii effigies
exhibetur in nummo primo *Tab. I.* Peluſium nunc eſt oppidu-
lum ſeu pagus *Thiné*, 300 ſtadiis diſtans a monte Caſio. Re-
cantant Duumviri errorem ſuum, qui olim Peluſium inveniſſe
ſeſe putarant in Balbeide, tum ſecuti *Guilielmum Tyrium*. At 18.
hæc olim vocabatur *Pharboethus*. *Milo* abſentem *Cæſarem* 25.
ſeditionibus excitatis fatigare ſtuduit, vir audax & factioſus,
quem *Cæſar*, cum Romæ eſſet, ex exilio Maſſilienſi reduce-
re neglexerat. *Cleopatræ* pulchritudo tanquam in imagine re-
præſentatur a Duumviris, ita, ut poſt obitum amari poſſit. Si- 37.
tus & amplitudo Alexandriæ ediſſeritur nitide & ſuccincte. 44 ſeq.
Adjungitur deſcriptio inſulæ turrisque Phari, lacus Maræoti- 47.

Digitized by Google

dis, nunc dictæ *Buchaira*, Bibliothecæ ac Muſei Alexandrini, translationis LXX Interpretum. Recenſetur indoles & fortitudo *Mithridatis*, junioris, quem famoſus ille *Mithridates* ex
Pag. 53. concubina ſuſtulerat. Oniæ templum Heliopolitanum ſuccincte exponitur *pag. 68 ſeq. Titi Pomponii Attici* indoles &
96 ſeq. vita pragmatice exhibetur. Dolendum eſt, periiſſe *Attici* labores literarios, quibus animum appulerat ad ſcribendas origines familiarum Romanarum illuſtrium, & exponendum Græce Conſulatum *Ciceronis*. Exquiſita eſt deſcriptio belli Pontici ac reditus *Cæſaris* Romam. *M. Antonii* vitia candide e-
100 ſeq. narrantur. *Aſinius Pollio* repræſentatur vivis coloribus. Im-
230. peratoris dignitas ſtrictim declaratur. Mimorum officium inſulſum attingitur *pag. 214*. Crocodilus in numis notat Ægy-
206. ptum. Affertur eo fine in *Tab. II Fig. 3* icon numi aurei, in quo poſtica crocodilum gradientem erecta cauda exhibet, adſcriptis vocibus: AEGIPTO CAPTA. Jam *Ezech. Spanhemius*
233 ſeq. hoc ſymbolo Regem Ægypti deſignavit. *Soſigenis* merita circa rem calendariam fuere magna, digna, quæ hic copioſe pro-
234. ferrentur. *Cæſari* vindicantur Commentarii de bello Gallico. Subtexuntur deinde cetera *Cæſaris* acta & ſagata & togata. Stilus eſt terſus, nativus, ſponte profluens. Ordo naturalem & chronologicum ſervat complexum. Teſtimonia, e Scriptoribus ſingulis conquiſita, in pragmaticum hiſtoriæ corpus ſunt coagmentata, ita, ut non centones teſtimoniorum, ſed contextum haud invita Minerva decurrentem, ubique deprehendas. Qui propoſitionum ſingularum veritatem ad fontes ipſos exigere ſolent, id unum dolebunt, teſtimonia particularia haud fuiſſe producta, ac rarius fontium ſedes ſingulares apparere. Index Operi eſt ornamento ac perfectioni. Nitor ac dignitas impreſſionis ſeu typographiæ ſeſe citra elogiorum acceſſiones commendat. Icones numorum ad varias antiquitatis ſpecies illuſtrandas faciunt. *Lepidus* galea alata indutus, in *Tab. I Fig. 2* exhibitus, ſuſpicionem ſuggerit, heroas veteres geſtaſſe galeas, cornibus arietum inſtructas, ac inde Arabibus eſſe dictos *ſule karnain*. Unde fit veroſimile, *Moſen* radiaſſe ex monte Sinai redeuntem inſtar heroum, galea ahenea nova ac fulgen-

Digitized by Google

gentiſſima, arietum cornibus prædita, effulgentium. *Jupiter Caſius* repræſentatur bracteato in numo *Tab. I Fig. 2*, nec dubitandum, incolas Caſiotidis fuiſſe eos, e quibus *Moſes* uxorem duxerit, eorumque partem conſtituiſſe Midianitas. Stella fuit ſignum ἀποθεώσεως, uti pateſcit ex *Tab. IV Fig. 8, 9, 10.* Lituus auguralis figura ipſa ſua prodit, quod in baculum antiſtitum ſacrorum Chriſtianorum paſtoralem Abbatum ac Præpoſitorum abierit. Nuncupamus vota pro incolumitate Autorum admodum Reverendorum, ſperantes, fore, ut promiſſa publice data publice etiam exſolvant.

MOYEN FACILE DE CONCILIER LES Eſprits &c.

h. e.

MODUS FACILIS RECONCILIANDI Animos ſuper difficultatibus, quæ ſpectant ad Bullam Unigenitus, Autore R. P. AUBERTO ROLLANDO, Franciſcano, Capucino, emerito Profeſſore Theologiæ.

Tomus I.

Luxenburgi, typis Andreæ Cavalierii, 1732, 4.
Alph. 2 plag. 11.

Scriptum hoc irenicum Eminentiſſimo Cardinali *Lercario* eſt inſcriptum ac addicatum, magis tamen inſervit autoritati Pontificis Romani, quam eorum ſtudio, qui robur Bullæ illius pro nullo reputant. In fronte enim Præfationis confeſſim Autor Rev. præ ſeſe fert animum eis addictum, qui intra Galliam adverſus diſſidentes cauſam Bullæ illius famoſiſſimæ agunt ac tuentur. Diſſidentes illi notant Bullam duobus inprimis nominibus; ſiquidem dictitant, per eam Semipelagianiſmo, imo Pelagianiſmo, frigidam eſſe ſuffuſam, qui articulo de gratia Dei ſit noxius, & Theologiæ morali prorſus peſtifer. Priorem maculam hoc Opere a ſede Apoſtolica amoliturus fuit: poſteriorem ita abſtergere contendit, ut ſpem ſimul faciat

 ciat

ciat peculiaris eo fine refutationis a ſeſe edendæ. *Janſeniſtas* vocat *ſectam ambitioſam, obſtinatam, abutentem ferociter nomine incomparabilis Auguſtini, immiſcentem venena hæreſeos, artificioſe implicata, in dogmata pietatis Chriſtianæ.* Exprobrat eis inauditam ſententiam de libero arbitrio prorſus in ſervitutem compacto, & de omnipotentia divina ſic per gratiam operante, ut ſubſtantiæ eam recipientes per ſeſe debeant eſſe inſtar truncorum & omnino ſervorum. Statuminat proinde Noſter indifferentiam liberi arbitrii, id eſt, facultatem hominis, qua gratiam operantem recipere poteſt, ei tamen, ſi maluerit, obicem quoque ponendi ac repugnandi. Deus tamen homini, ſive *Adamo*, in peccata prolapſo, tantum delectationis ac ſuavitatis per gratiam inſinuat, ut ipſe, ei obſecundans, fomitem peccati animo ad funus inſidentem devincere & in dies enervare poſſit. Quæ ſententia imperio ac perfectionibus Dei nequaquam eſt infeſta. *Janſeniſtæ* indigne ferunt, in Bulla illa gratiam divinitus *Adamo* collatam dici conſecutionem & connexionem creationis, naturæ ſanæ ac integræ debitam: dictitant, ita imaginem Dei haud fuiſſe aliquid ſupernaturale, ſed naturale. Eadem olim controverſia de puris naturalibus donis *Adami* fuit inter Calixtinos & eorum adverſarios agitata, tandem vero per benignam interpretationem ſententiarum utriusque partis ſublata. Autor *Janſeniſtis* attribuit multas conſequentias, quas ipſe ex dogmatibus eorum elicit, easque ipſis tanquam dogmata domeſtica aſſignatas. Ita docet, *Janſeniſtas* gratiam per redemtionem Chriſti omnibus partam & oblatam, eamque a parte Dei ſeriam, & ſufficientem effectui producendo, convertere in velleitatem & voluntatem ſigni, quæ plerumque a voluntate beneplaciti, id eſt, ſeria & efficaci, diſcrepet. Imputat eis dogmata Prædeſtinatianorum. E contrario copioſe evincit, meritum Chriſti eſſe univerſale, & per illud gratiam Dei ſeſe ita exſerere, ut Deus ſerio, ſincere, & efficaciter, expetat ſalutem ſingulorum hominum citra ullam exceptionem. *Janſeniſtæ* actiones ethnicorum habent pro peccatis. Autor contendit ex oppoſito, hominem peccato originali corruptum citra gratiam in Chriſto & Spiritu Sancto

cto

Digitized by Google

cto oblatam poſſe cognoſcere complures veritates, imo, quod majus eſt, effectui dare opera moraliter bona, adde, *ſecundum naturæ ordinem*, & pietatis philoſophicæ terminos. Moralitas hæc indubie eſt civilis & philoſophica, nequaquam vero ejus indolis, ut ex genuini ſcopi debita contemplatione, per adminicula divinitus revelata, & per gratiam a Chriſto partam oblata, atque per vires Spiritus Sancti ſuſcepta, profluant. Si quid judicamus, diſſenſus hic inter *Janſeniſtas* & diſſidentes erit vel nullus, vel certe pertenuis. Fatetur enim Autor, opera ejusmodi, ſecundum naturæ ordinem ac philoſophicam moralitatem edita, inhabilia eſſe ad conſequendam gloriam vel gratiam. Id vero eſt ſingulare, quod idem addit, dari vires gratiæ primæ, quæ antecedant fidem explicitam, & quæ producant in ethnicis actiones ſupernaturaliter bonas. Sunt, qui univerſalitatem gratiæ divinæ, ejusque efficacis, haud alia ratione ſeſe propugnare poſſe putant, niſi ita ſentiant. Sed ita fides præcedit annuntiationem verbi divini, quod extrinſecus auditui ingeritur. Hoc nobis videtur repugnare perſpicuis *Pauli* verbis *Rom. X, 14–17*. Qui cum Autore faciunt, non poſſunt, quin *verbum internum*, ab externo diverſum, admittant, ac *lucem* ſtatuant, in animis jam fulgentem, antequam Evangelium a præconibus annuntiatur. Meminimus vero, conditionem animorum ante fidem ex verbo extrinſecus applicato fuiſſe tenebricoſam, Deoque rebellem. Si vero Autor in eo eſt, ut ſtatuat, Spiritum Sanctum in ethnicis per leges morales, naturaliter cognitas, convictionis munere fungi, & per legem, atque inde conceptum ſpei metusque temperamentum, ad Chriſtum expetendum, qui ex externo verbo duntaxat cognoſcitur, compellere & manu ducere; tum non invenimus, quod copioſe moneamus, rati tamen, ad bonitatem actionis ſupernaturalem requiri fidem præcedentem, fidem vero oriri ex verbo extrinſecus annuntiato *Jo. XVII, 20, XX, 31*. Autor deinde de contritione & attritione commonet haud pauca. Deinde pergit ad lectionem ſacrarum literarum, quam univerſis permittendam putat, ſi ſine ſalutari, deſiderio proficiendi, ex Spiritu, ſubmiſſionis & obſequendi interpretationibus eccleſiæ ac directoris

ctoris orthodoxi illuminatique conſiliis, ſint lecturi. Afferuntur deinde nonnulla de linguæ vernaculæ uſu in peragendis rebus ſacris. Additur tandem digreſſio, qua diſcutitur ſententia, qua quæritur, an homo ad conſervationem ſui poſſit agere contra legem, quam Deus in utilitatem hominis tulerit. *Volumen* hoc *primum* conſtat e *Diſſertationibus ſex. Prima* examinat vim omnipotentem gratiæ Dei & libertatem hominis, quam vocant indifferentiæ, quamque Autor it compro-
Pag. 11 ſeq. batum ex ſacris literis, Conciliis, Paparum decretis, Patribus Græcis & Latinis, *Auguſtino* inprimis, Doctoribus porro ſcholaſticis, ac ex ipſo rationis lumine. Refutationes, quas Autor
92. ſtruit, directæ ſunt contra Autorem libri: *Reflexions morales. Quesnellium* fuiſſe ejus Autorem, nemo ignorat. Hunc putat
100 ſeq. in eo fuiſſe totum, ut gratiam Jeſu Chriſti redderet neceſſitantem, ratus, *Quesnellium* de libertate hominis eadem ſenſiſſe ac *Janſenium*, & Conſtitutione Unigenitus ſtabiliri dogmata
136 ſeq. *Auguſtini* & *Thomæ*. *Diſſertatione ſecunda* expenditur gratia divinitus *Adamo* collata, & excutiuntur ſingula momenta
177 ſeq. doctrinæ ſtabilientis puræ naturæ ſtatum. *Tertia* agitur de afflictionibus, & nota inuritur *P. Quesnellio*, quippe contendenti, afflictionem eſſe ſemper mercedem & conſecutionem ex
222 ſeq. peccato fluentem. *Quarta* tractatur de gratia ſtatus innocentiæ contra *Quesnellium*, ſtatuentem, reportationem gloriæ cœleſtis & adminicula neceſſaria ad eo perveniendum olim deberi obligationi ſtrictæ, quæ innocentiam *Adami* reſpexerit.
240 ſeq. *Quinta* exponitur voluntas Dei ad ſalvandos omnes homines
251 ſeq. propenſa, & ea univerſalis, ſeria, & ſalvandis ſufficiens, eis quoque, qui ſalvari poterant, dummodo gratiam oblatam haud reſpuiſſent. In re luculentiſſima admodum copioſa Autor coacervat argumenta, tum ex diviniori Codice, tum ex Patribus, tum ex Conciliis, Pontificumque ſententiis & Scholaſticis,
308 ſeq. ac ipſo rationis lumine, quod docet, bonitatem Dei in uno elucere, quod ſingulis rebus creatis is tantum perfectionis dare
312 ſeq. ſerio velit, quantum eæ capere poſſunt. *Sexta* tandem *Diſſertatione* omnes intendit nervos, ut, meritum Chriſti, comprobet, ad ſingulos homines, peccato corruptos, pertinere, ideoque eſſe

Digitized by Google

eſſe univerſale: ratus, *Quesnellio* hanc ſententiam haud arriſiſſe, ſtatuentis potius, Deum ſalvare velle tantum prædeſtinatos, Chriſtumque pro ſolis mortuum fuiſſe electis. At o ter- Pag. 415 ſeq. que quaterque beatos, qui gratiam guſtant divinam, eam citra diſputationes ſequuntur, operationemque retinent, licet modum illabendi ac agendi haud intelligant. Judicent alii, an diſputantes de modo, quo gratia Dei in noſtrum agit animum, gratiam magis acquiramus, an amittamus.

R. P. PAULI A LUGDUNO, CAPUCCINI, S. Theologiæ Exlectoris, ac Provinciæ Lugdunenſis Definitoris, Moralis Theologiæ Specimen, ad uſum Theologiæ Candidatorum, Scholaſtica methodo compendioſe delineatum.

Venetiis, ex typographia Balleoniana, 1733. 4.
Alph. 1 plag. 19½.

Sectatus eſt Autor Venerandus non expolitam eloquentiam, ſed religioſam ſimplicitatem, non curioſam ſubtilitatem, ſed dilucidam perſpicuitatem, non uberem literaturam, ſed conciſam brevitatem, ſermoniſque contractionem. Alii ſunt faſtidio lectoribus copioſa & diſtenta ſcribendi ratione, mole allegationum, ac prolixitate operum. Quare Autori placuit hoſce evitare ſcopulos, ac Theologiæ duntaxat Enchiridion quaſi dare. A Morali Theologia primordia cepit, in ſcholis plerumque neglecta. Lætamur merito, divinitus alibi quoque excitari ingenia, quæ ſpeculativis poſitionibus totum vitæ tempus conſumi nolunt. Opus ipſum in *quinque Tractatus*, ſeu *Partes*, eſt diſtributum. *Tractatu primo* agitur de actibus humanis: *altero* de legibus: *tertio* de variis humanæ vitæ ſtatibus: *quarto* de virtutibus & vitiis: *quinto* de Sacramentis. Singuli Tractatus diviſi ſunt in aliquot *Diſſertationes*. *Primus* conſtat ex *quatuor*, quarum *prima* eſt inſcripta de fine actuum humanorum, videlicet beatitudine; *ſecunda* vero exponit actuum humanorum naturam, elicitorum, imperatorum, vo-

Digitized by Google

Pag. 35. luntariorum, neceſſariorum; *tertia* complectitur moralitatem eorundem, ac actus humanos, in individuo ſpectatos, negatque, dari medios & indifferentes; *quarta* de conſcientia agit, variisque ejus ſpeciebus, recta & erronea, certa & dubia,
49 ſeq. lata & ſcrupuloſa, probabili ac improbabili. *Tractatus ſecundus* conſiſtit ex *Diſſertationibus duabus*, totidemque Appendicibus. *Priori* Diſſertatione exponuntur leges generatim, earumque diviſiones, materia, norma, promulgatio, obligatio, legislator, ἐπιείκεια, diſpenſatio, privilegia, tolerantia,
111 ſeq. derogatio, abrogatio, imitatio, conſuetudo. *Poſteriori* tractationem inſtituit Autor de Legibus in ſpecie, eisque æternis & naturalibus, immutabilibus, veteri & nova, ſeu Evangelica,
124. poſitiva humana, jure civili & canonico. Appendice *priori* agitur de præcipuis ac communioribus eccleſiæ præceptis;
134. *poſteriori* de cenſuris, irregularitate, degradatione, &c. *Tra-*
146. *ctatus tertius* complectitur *Diſſertationes duas*, unam de ſtatibus Deo dicatis, clericali, beneficiato, & Simonia eis oppoſita, de ſtatu religioſo *pag. 177 ſeq.* ejusque obedientia & pauper-
195 ſeq. tate, ac Prælaturis, *pag. 194 ſeq.* *Altera* complectitur ſtatus ſeculares, politicum & ſubditorum, Ducum, militum, œconomorum, parentum, liberorum, tutorum, pupillorum, dominorum ac famulorum, magiſtrorum ac diſcipulorum, Medicorum, Chirurgorum, Pharmacopœorum, ruſticorum, arti-
208 ſeq. ficum, & operariorum. *Tractatus quartus* exhibet *Diſſertationes duas*, totidemque Appendices. *Priori Diſſertatione* exponuntur virtutes & vitia generatim; *poſteriori* particulatim *pag. 243 ſeq.* ubi de fide, infidelitate, blasphemia, ſpe, timore Domini, charitate, dilectione inimicorum, odio Dei & proximi, ſuperbia, avaritia, acedia, ira, bello, ſchiſmate, ſcandalo, religione, oratione, voto, juramento, ſuperſtitione, irreligioſitate, prudentia, juſtitia & jure, uſu, dominio, contractibus, injuria & reſtitutione, fortitudine, temperantia, gula &
359. luxuria, impudicitia, & immodeſtia, agitur. Appendix *prior* quæſtiones inveſtigat regulares *pag. 368 ſeq.* *poſterior* tractat
382 ſeq. indulgentiarum, & Jubilæorum, materiam *pag. 374 ſeq.* *Tractatus ultimus* conſtat *Diſſertatione proœmiali* de Sacramentis in

in genere, & *ſeptem Diſſertationibus*, totidem Sacramenta eccleſiæ Romanæ explanantibus. Lex naturalis non poteſt mu- Pag. 421 ſeq.
tari a poteſtate humana per derogationem vel abrogationem, ſuppleri tamen poteſt per additionem, & materiæ ſubtractionem, ut in præſcriptione. Eſt ipſa porro immunis a diſpen- 113.
ſatione, eaque divina. Subtractio materiæ non efficit diſpenſationem, ex quo fonte ſolvuntur, quæ de ſpoliis Iſraelitarum Ægyptiis afferri ſolent, de occupatione Palæſtinæ, ſcortatione *Hoſeæ*, polygamia Judæis permiſſa ſub certis modulis, ob majus malum evitandum & tolerantiam. Lex Moſaica ſolis Ju- 115. 117.
dæis data. Evangelium proprie eſſe legem novam, Autor contendit, ac præterea ubique doctrinas eccleſiæ ſuæ ſe- 120 ſeq.
quitur, adeo, ut non opus ſit, ea excerpere ac delibare, quibus cœtus alii Chriſtiani repugnant. Diſtinctiones Scholaſticæ ubique utramque faciunt paginam, & doctrina de concomitantia eucharistica copioſe aſſeritur. Adjungitur illud quoque, 455 ſeq.
animam totam eſſe in qualibet corporis parte. Diaconi 456.
poſſunt eucharistiam in neceſſitatis articulo adminiſtrare ex mandato ſacerdotis, etiam citra illud in mortis periculo, ex 457.
præſumta ſacerdotis voluntate legitima. Lutheranos Autor exiſtimat hanc poteſtatem ſingulis cum Chriſtianis communicare. Sed, id licere extra neceſſitatis caſum, negant Evangelici, imo maxima eorum pars ne hoc quidem admittit. Si ad conſuetudinem & praxin attendimus, Laicis omnino eam poteſtatem novimus eſſe denegatam. Obſervavimus adhæc, alibi quoque noſtris eccleſiis ea tribui dogmata, quæ repudiamus. Optandum ſane foret, ut ex Confeſſionibus & Agendis noſtris doctrina noſtra hauriretur. Opus ipſum Indice carere, dolemus, gratulantes Autori, quod utilia a ſpeculativis removendi periculum fecerit.

FREE - PARLIAMENTS, &c.

h. e.

DE LIBERTATE SUMMI IN MAGNA *Britannia Senatus Commentatio, edita ab Autore Britannicæ Conſtitutionis.*

Londini, apud D. Browne, 1731, 8.
Alph. 1.

Cl. Autor, cujus nomen *Rogeri Acherley* ſub finem Dedicationis extat, illud præcipue agit, ut ſummum Magnæ Britanniæ Senatum e tribus Statibus conſiſtere declaret, Rege, præcipuæ dignationis Nobilibus, quos *Lords* vocant, & communi Concilio, ſive ſelectis civibus, quos *Commons* dicunt. Atque, etſi Regis poteſtatem Oceanum referre tuetur, cujus limites nequeunt curate definiri, reliquos tamen duos Status etiam independentes eſſe propugnat. Quod quidem de poteſtate ſelectorum civium, quos *Commons* vocant, præ ceteris defendit. Cum autem exiſtimet, eorum independentiam diverſis temporibus diverſimode violatam eſſe, ex Hiſtoria Anglicana ab *Eduardi I* temporibus ad noſtram usque ætatem ea repetit, quæ hoc argumentum illuminare poſſe videbantur. Præ-
Pag. 18 ſeq. cipue autem ſingulari cum cura oblata occaſione *Marlboroughii* cauſam agit, atque, ejus ætate *Parliamenti* independentiæ vim illatam eſſe, arcte tenet. Ipſe Cl. Autor illo tempore Sereniſſimo Principi Electorali Hanoverano, qui Ducis Cantabrigienſis nomen gerebat, ſuaſor fuit, ut Londinum peteret, atque in ſummo Magnæ Britanniæ Senatu locum ſibi vindicaret, quo ejus præſentia jus ſuccedendi in regno Britannico Domui Hanoveranæ conceſſum ſtabiliretur. Operæ igitur pretium & e re ſua eſſe duxit, omnes Epiſtolas huic Commentationi inſerere, quas eo nomine ad viros illuſtres, *Bothmerum*, *Leibnitium*, alioſque, ſcripſit, vel ab iis viciſſim recepit. Ceterum voti ejus ſumma eſt, ut nemo *Parliamento* inferiori interſit, qui Regi annuos reditus acceptos refert. De ejus enim ſententia alia ratione *Parliamenti* Independentia atque populi libertas ſibi non conſtat, niſi quælibet civitas ſuis ad
247. *Parliamentum* deputatis ſtipendia ſolvat. Sub finem obſervat, ex *Cæſaris* Commentariis antiquitatem Britannicæ Conſtitutionis probari poſſe. Is enim *Lib. V Cap. 5* Parliamentum commune Concilium appellat, &, ubi de magna Britannia loquitur, *Summa*, inquit, *imperii bellique adminiſtrandi communi Concilio permiſſa eſt Caſſevilano.*

OBSER-

OBSERVATIONS IN PHYSICK, &c.

h. e.

OBSERVATIONES MEDICÆ RATIONALES & practicæ, cum Tractatu de Variolis. Autore THOMA APPERLEY, M. D. Collegii Joannitici Cantabrigienſis olim Socio.

Londini, typis W. Innys, 1731, 8.
Plag. 20.

Cl. Autor, etſi, rationalem Medicinam methodicæ & empyricæ omnino ſuperiorem eſſe, judicet, facere tamen non poteſt, quin inſignem diſſentiendi, novasque hypotheſes excogitandi, libidinem pro peſte ſalutaris artis agnoſcat, qua ſcilicet efficiatur, ne ipſorum morborum hiſtoria, curationes, & juvantium nocentiumque contemplatio, luci ſuæ propius admoveri poſſint. Vago utitur dicendi genere Autor, variasque, prout caſus tulit, materias in utramque & theoriæ & praxeos medicæ partem diſcutit, quo demonſtret, conjunctiſſimas eas eſſe debere. Diſſimulare tamen non poteſt doctiſſimus Autor, ſe cauſæ mathematicarum in Medicina demonſtrationum non admodum favere, quas verbis *Baglivii* non aliter medicæ arti utiles eſſe aſſerit, quam pictoria ars eſt Muſicæ. Prædicat inſignem verborum apparatum, quo ſcholæ Mathematicorum addicti eleganter admodum cauſarum nexus, quos optant potius, quam demonſtrant, veros eſſe, definire ſolent. Quis dubitaret, vera eſſe, inquit, quæ *Freindius* de cauſa fluxus emmeniorum periodici affert: bilis cyſtica ſtato tempore, quod ab inteſtinorum vicinorum preſſione definitur, ſubit ſanguinem, ejusdem motum inteſtinum auctiorem efficit; inde eſt arteriolarum in ſubſtantia uteri apertura & fluxus menſtruus. Hæc ingenioſa ſatis ſunt, ſed, ſi plethora & efferveſcentia hujus fluxus cauſa eſt, dubium Autori ſupereſt, quomodo dici poſſint, ſalva hac hypotheſi, opiata emmenagoga eſſe & lochiorum evacuantia, ſicut ſunt, teſte *Hippocrate* Anglico, uti eundem appellat, *Sydenhamio*, cujus oracula & nos veneramur. Parum

Pag. 7.

Digitized by Google

ſane intereſſe videtur Autori, quam ſublimis ſit theoria, dummodo indubitatas in praxi regulas in mente formare poſſit. Quis dubitat de veritate normarum, quas ſine dubio omnium primas agnoſcimus: *quo natura inclinat, eo eſt ducenda; inſiſterdum, quantum ejus fieri poteſt, naturæ tramiti; natura humores per vomitum, dejectiones, ſudores, transſpirationes voluntarias, evacuare ſuſcipiente, idem eſt tentandum.* Parum ſane intereſt, quo termino æquivalente, quove orationis genere, quis τὸ τί naturam declarare ſuſcipiat. Non ſine ratione de præſentis Medicinæ ſtatu conqueritur, quod philoſophicis, anatomicis, botanicis, chymicis, veritatibus, penitus intenti ſeculi iſtius principes Medicorum, ipſam Medicinæ ſcholam, cujus prædictæ diſciplinæ non niſi proœmium ſint, practicam ſcilicet intactam relinquant, magisque ſibi gratulaturus ſit, qui, prout quidam Germanus in Academia Montispeſſulana detexiſſe dicitur ab Autore, declaraverit, eſſe vias chyli ex ductu pequetiano immediato ad mammas, quam qui febrium cauſas detegere forte potuerit, aut indubitatum earundem remedium invenire. Parum ſtudii collocari, prout id cum laude fecerunt antiquiſſimi Medici, *Hippocrates, Cœlius, Aurelianus*, in ſignis diagnoſticis & prædictionibus ſymptomatum; Botanicum de infinitis rerum ſuarum augmentis, Chymicum de menſtruorum activitate, ſibi gratulari, neminem animam Medicinæ, hiſtorias morborum & obſervationes, attingere velle, cui malo doctiſſimus Autor pro virili parte medelam allaturus, felici ſucceſſu graviſſimorum malorum ætiologias methodumque medendi, non tamen omnino neglecta re anatomica & phyſica, eruere tentavit. Cujus induſtriæ illuſtre eſt documentum erudita *de Variolis* Commentatio, Opuſculo huic annexa, cum additis Aphoriſmis, hujusmodi curam declarantibus. Quo libello Cl. Autor in nullius verba ſe juraſſe aſſerit, nihilque obſtare, quod plures ante ipſum de variolis commentati ſint, quo minus in juniorum Practicorum commoditatem ſuas ſoli propriæ experientiæ innixas obſervationes condere aggrediatur. Ad Therapiam ſtatim ab initio ſeſe convertit, ne nimium indulſiſſe Theoriæ videretur. In variolis

lis, ait, diſtinctis *nil dandum, vel parum.* In confluentibus vero niſi quarta poſt eruptionem die nihil tentandum, niſi forte expectando Medicus Julebum quendam æquivocum innocenter præſcribere velit. Neque tamen omnino nullum levioris purgantis uſum ante eruptionem fore pollicetur; venæ ſectionem, niſi ætatis vel aliarum circumſtantiarum rationes contrarium ſtatuant, commendatiſſimam efficit, in quo quemque ingenio ſuo abundare patimur. In prognoſi cito vel tarde erumpentium variolarum contra mentem *Sydenhamii* cum *Sennerto* ſentit, melius eſſe, variolas cito, quam tarde, erumpere. Hæmorrhagiam narium pro ſalutari ſigno agnoſcit, qua haud raro viginti uncias ſanguinis evacuatas fuiſſe aſſerit cum euphoria, miraturque, quomodo tanta ſanguinis quantitas impune ſeceſſum facere poſſit, cum quis vix octo uncias venæ ſectione dimittere auderet. Vomitiones, quibus humores noxii rejiciuntur, eo usque mali ominis non ſunt, ut potius in cacochymicis permittendæ ſint ex mente *Sydenhamii*, ne fatalis plerumque dyſſenteria poſt eruptionem ſupervenire poſſit. Epidemicam hujusmodi propagationem haud obſcure, quamvis aperte fateri non audeat, acaris & inſectis reſpiratione attractis fieri poſſe, innuit, quo loco de verminatione erudite diſſerit. Salivæ in os confluxus, ejusdemque crebrior evacuatio, nono poſt invaſionem die plerumque ingruens, ejus ponderis eſt Autori, ut in ſalutis præſidium a natura emotam certo arbitretur. Urinæ vel ſuppreſſio vel cruentatio haud inſolita hujus mali ſymptomata ſunt, quibus efficacia remedia opponuntur. Alvi fluxus in declinatione morbi lethalis eſſe obſervatus eſt, inde, quamvis laxantia a *Freindio* ſalutaria eſſe judicata fuerint, abſtinendum tamen eſſe pronuntiat a ſuppoſitoriis, in caſu neceſſitatis adhibendis. Aphoriſmi ad normam *Hippocratis* facti ſciendorum agendorumque compendium exhibent.

Pag. 201.

A DISSERTATION UPON TEA, &c.

h. e.

DISSERTATIO DE THEA, EXPLICANS

ejus

ejus naturam & proprietates plurimis experimentis novis, & demonſtrans ex principiis philoſophicis varios ejus in diverſis corporum conſtitutionibus effectus; cui addita eſt naturalis hiſtoria Theæ, & detectio fraudum, quibus in præparanda eadem uti ſolent, itemque Diſſertatio de virtute ſalviæ & aquæ, & inquiſitio in cauſas, cur iidem cibi non æquales in omnibus corporum conſtitutionibus effectus edant: Epiſtola ad honeſtam Matronam MARY MALTON. Autore THOMA SHORT, Med. Doct.

Londini, impenſis Fletſher Gyles, 1730, 4.
Plag. 17.

Cl. Autor tum aliis tum hoc potiſſimum argumento inductus, quod herbæ Theæ mercatura inmenſum lucrum genti ſuæ pariat, cum plura tribus millibus thermopolia Londini exiſtant, celeberrimæ iſtius plantæ hiſtoriam phyſicam medicamque condere ſuſcipit. Thea Japanenſibus Tcha, Tchia, Tſiaa, Chinenſibus Thee, ſeu Tea, frutex eſt, cujus folia cum foliis evonymi vel ceraſi fructu cordiformi foliis conveniunt. Patria fruticis eſt Tartaria, Japania, China, cujus folia recentia diverſiſſimum ab exſiccatis effectum edunt; nam narcoticæ virtutis tremorem partibus, maxime manibus, induxiſſe dicuntur ab Autore, exuunt hanc efficaciam exſiccatione. Florem fruticis deſcribit roſaceum, ſex petalis rotundis caviſque conſtantem, calyce ſquamato, ſed incerto ſquammularum numero. Stamina floris ſunt albida, antheris ſuperexiſtentibus flavis cordiformibus, ſequente fructu tricapſulari inſtar ricini, ſingula capſula nucleum continente rubentem, amari nauſeoſique ſaporis. Diverſis anni temporibus Japanenſes hujus fruticis folia colligunt, quæ colligendi diverſitas nominis differentiam huic plantæ non levem parere ſolet. Primi, poſt vernale æquinoctium, menſis medio primam meſſem inſtituunt, caventes, ne tres dies ætate ſuperent foliola recens erumpentia, quæ adeoque & tenerrima ſunt, & ſapore plurimum diverſa

verſa. Prima iſthæc Theæ ſpecies dicitur Vovi, ſeu Bohea, alterius collectionis Thea, adultioribus jam foliis, adeoque durioribus, magisque amaricantibus, primæ propior eſt, ſed promiſcue cum eadem uſurpatur ſelectis & remotis latioribus foliis. Vulgaris Thea eſt, quæ adultis foliis menſe Junio colligitur. Imperialis Thea eo nomine differt a jam deſcriptis ſpeciebus, quod fertiliore ſolo, nempe in regione Udſi, nata, per eminentiam imperialis dicatur, quodque eadem non niſi Imperator ejusque domus utatur. Quem in finem collectores folia non niſi armata chirothecis manu carpunt, corpore etiam loto piſciumque victu abſtinentes, ne ſacratiſſimis foliis macula inuratur. Chinenſis Thea itidem bonitate & valore differt quadrifariam, prout vel juniora, vel adultiora, fruticis folia fuerint. Tootsja hunc ſuum fruticem, ex qua Thea Chinenſis, appellant incolæ. Communiſſimus eſt foliorum ad ſummam ætatem adductorum uſus pro plebe, quæ Ban Tſſao dici ſolent. Folia igne parum toſta ab artificibus palma manus convolvuntur in cylindrulos, quo tempore ſuccus quidam flavus adeo acris exſudare deprehenditur, ut manus etiam laborantium adurat. Chinenſes decoquunt folia parum pro exuenda iisdem narcotica qualitate. Aliquot poſt peractam primam toſtionem menſibus ad plenariam ſiccitatem denuo torrentur. Obſervat Cl. Autor, a Batavis altero Chinenſi itinere ſub initium commercii ſalviæ folia pro Theæ foliis permutata fuiſſe, eademque apud Chinenſes dignitate ſalviam, qua nobis Thea eſt, extitiſſe. Boheæ ſeu Vovi, variæ ſubordinatæ exiſtunt ſpecies, 1) Pekoe, cui, hilarioris coloris exiſtentibus foliis, floris etiam immixti deprehenduntur; 2) Congo, quæ latioribus foliis a priori differt; 3) Pekoe cum Congo mixta, quam omnibus modis Autor approbat. Thea viridis, a foliorum colore vel tinctura, quam decocta exhibet, ſic dicta, itidem diverſiſſima eſt, pro modo collectionis foliorum vel patriæ. Habetur enim 1) Hyſſon, 2) Thea imperialis viridis, 3) Thea viridis vulgaris, 4) ordinaria Thea viridis, 5) Dutch Bloom flores Batavi. Fraudes Chinenſium in adulteranda Thea detegit paulo poſt, modumque detegendi artificia apponit. Immiſcentur ſcilicet interdum ſimilia peregrinorum fruticum folia, quod ſi factum fuerit, decoctum ad-

alteratæ Theæ injecto vitrioli cœrulei grano in varios colores mutatur, veræ autem viridis decoctum in cœruleum colorem mutat, Bohea in nigro proximum. Singularis iſta Cl. Autoris in excutiendis hiſtoriæ hujus momentis induſtria laudem meretur prolixiſſimam, quam auctiorem efficit theoreticis ſuis practicisque de uſu Theæ Obſervationibus, quam, ab adverſariorum calumniis vindicatam, optimorum Autorum, Chinenſi itinere clariſſimorum, teſtimoniis munire contra inſultus malevolorum tentat. Cumprimis oppugnat *Kampferum* & *Pechlinum*, ſtrenuos hujus mirabilis plantæ contemtores, & betonicam, vel veronicam, indigenasque alias plantas, præferentes. Argumenta, quibus Theæ ſpecificas qualitates exponit, non prorſus contemnenda ſunt, redeuntque ad ſpecificam olei ſalisque levitatem, qualem in noſtris reperiri vix poſſe aſſerit, in cujus rei gratiam Betonicæ, Theæ, aliaque plantarum noſtratium decocta invicem comparat experimento, vitrioli ſolutione, ſpiritu Cornu Cervi, aliisque, inſtillatis, inſtituto. Quæ omnia legentibus jucundiſſima & utiliſſima fore pollicemur.

AMOENITATUM NATURÆ, oder der curiöſen und nützlichen ꝛc.

h. e.

COMMENTARIORUM HISTORICORUM atque Phyſicorum, curioſorum & utilium, de rebus naturalibus quibuscunque notatu dignis, Pars prima, uſus & oblectamenti cauſa in lucem edita, a JOANNE FRIDERICO CARTHEUSERO, Med. Doct.

Halæ, apud Joannem Andream Bauerum, 1735, 4.
Alph. 2 plag. 10.

Tria potiſſimum in hoc Opere conſcribendo Cl. Autor habuit propoſita; 1) ut varias obſervationes atque experimenta, quæ per tot Autorum libros reperiuntur diſperſa, & præcipuas Phyſicorum ſententias, ad illuſtrandam Philoſophiam naturalem maxime accommodatas, colligeret, &, habito delectu, in ordinem idoneum coagmentaret, ne adverſa-

verſaria tantum phyſica, ſine ordine & nexu, ſed Hiſtoria naturalis, ſecundum recentiorum principia, ederetur; 2) ut ipſe magis magisque in Phyſica ſcientia progreſſurus, quid jam erutum detectumque, & quid abſconditum adhuc eſſet, hac ratione intelligeret; 3) ut libellum haberet, quo in prælectionibus hiſtorico-naturalibus fundamenti loco uteretur. Tractat in hac *Parte*, quam ideo generaliorem appellat, capita Phyſices, ut itidem vocat, generaliora, de aſtris videlicet, de aere, de montibus, cavernis, fontibus, metallis, plantis, animalibus. In *Partibus* poſthæc prodituris aliam atque aliam ſpeciem, prout ſuo ordine ad octo hæc genera ſumma referuntur, perſequetur. Ne in *Partibus* his ſpecialibus unam eandemque rem ſæpe iterumque repetere neceſſe haberet, *Partem* hanc generaliorem, quæ communes ſingulorum corporum rationes jam accurate expoſitas complecteretur, præmittendam putavit. Speciminis loco ex doctrinis phyſicis ſpecialioribus caput de Sole, ad illuſtrandam doctrinam de ſtellis fixis, fuit hic inſertum. In ſingulari ſpecimine, ſeorſim edito, eadem ratione tonitru & ſuccinum pertractavit. Primum vero Commentarios de rebus naturalibus memoratu maxime dignis ad umbilicum perducet, & figuris, ubi opus erit, illuſtrabit, antequam ad explicanda artis opera procedet. Ceterum ipſa ſæpius Autorum, quibus uſus eſt, verba retinet & allegat, inprimis *Wolffii*, *Derhami*, atque *Scheuchzeri*. At, methodum quod attinet, in ſingulis capitibus primo θέσιν breviter proponit, quam deinde uberius ἐκθέσει explicat, illuſtrat, rationibus confirmat, aliorum quoque ſententias recitat, & vel refutat, vel in medio relinquit. Nos quidem non dubitamus, librum hunc a rerum naturalium cultoribus magna cum voluptate lectum iri, inprimis iis, qui varias obſervationes & opiniones Phyſicorum in unum corpus collectas cupiunt. Et, cum facile quilibet rerum intelligens videat, quid quovis Capite proponatur, ſingula momenta hic non excerpemus. Interim tamen exempli cauſa, quæ de montibus commemorat, quam breviſſime repetemus. *Sectione* ſcilicet *quarta*, quæ de terra & montibus agit, primo, quantum ad montes attinet, diſquirit de eorundem origine, an fuerint ante diluvium, an vero poſt diluvium, geniti. Proponitur

Digitized by Google

nitur hinc ſententia *Burneti*, & ſtrictim in ejus fundamenta inquiritur. Proponitur deinceps ſententia eorum, qui, montes a mundo condito pedetentim, potiſſimum ex terræ motibus, aliisque ejus disruptionibus, ortos eſſe, opinantur. Proponitur denique ſententia iſtorum, qui, montes quidem a Deo conditos in principio rerum, per aquas diluvii autem, aggeſtis terra, lapidibus, &c. auctos mole, & figura mutatos eſſe, contendunt. Ex Noſtri ſententia montes non minus, quam valles, in principio rerum a Deo ſunt conditi, adeoque jam ante diluvium extiterunt. Per hoc tamen multi montes vallesque novi geniti, quidam ex prioribus demerſi, disrupti, per aquas diſperſi, qui vero ſuperfuerunt, ratione magnitudinis & figuræ mutati fuerunt, ut adeo plurimi montes a diluvio producti, & ſuperficies terræ inſigniter alterata, videantur. Quam opinionem, a *Woodwardo* & *Scheuchzero* deſumtam, copioſius illuſtrat, multiſque rationibus confirmat. Ut vero montes eximiæ altitudinis merito omnium in ſe convertunt oculos, ita hic de variis eruditorum calculis, ad quos ſummam montium altitudinem definiverunt, itemque de ipſis, qui altiſſimi omnium putantur, montibus, agitur. In ſummis montium cacuminibus aer tenuior, levior, purior, atque magis ſalubris, frigus intenſius, plantæ exiliores, animalia magis robuſta & compacta ſunt, quam in planitie & vallibus, quarum rerum cauſæ etiam enarrantur. Poſt montes perexcelſos ignivomi commemoratu præ aliis videntur digni, quos Noſter affirmat inſtar ſpiraculorum terræ eſſe, quorum ope aer terræ internus, æſtu ſubterraneo admodum expanſus item fumus & vapor, & quæ ex materiis bituminoſis in terra accenſis abundant, educantur & exhalent, ne juſto frequentius terræ motus, aut hiatus, in ejus ſuperficie oriatur. Hinc phænomena montium ignivomorum recenſentur, &, cum alibi jam evicerit Noſter, eſſe in terra aerem incluſum, ſed eundem, calore expanſum, magnam vim elaſticam & corpora disjiciendi acquirere, ignem ſubterraneum variis argumentis confirmat, magnamque eſſe materiarum inflammabilium in terra copiam, atque ignem ſubterraneum diu, abditum, ali & ſuſtentari poſſe, aſſerit, donec variis ex cauſis veluti inſtauretur, & violentius exardeſcat. Terræ motus repetuntur ab in-

Digitized by Google

incarcerato ſubtili elaſtico, & repente accenſo vapore ſulphureo, per quem aer itidem incarceratus in cavernis telluris ſubito expanditur, ut adeo, dum ſe extendit, & cum impetu majus ſpatium exitumque affectat, tremores terræ, disruptiones ejusdem, ſimilesque effectus, prodeant. Quæ ſententia ab Ill. *Wolffio* probari oſtenditur, & variis obſervationibus corroboratur. Montes generatim conſiderati hunc uſum habent, ut terræ ornatum augeant, oculos hominum delectent, ad reparandam ſanitatem in multis magnum momentum habeant, ſeceſſum hominibus tempore perſecutionum & perfugium præbeant, hoſpitium beſtiis quibusdam commodum & ſpeluncas locent, quæ in planitie non diu admodum perdurant, multasque plantas ac vegetabilia generent. Aere etiam frigidiori temperant æſtum quorundam locorum humiliorum, intercipiunt ventos algidos & acres, ne hinc inde nimium deſæviant. Cataclyſmos & fluenta impetuoſa cohibent, multumque ad varietates tempeſtatum tribuunt, quas & ſæpius prænuntiant. Vapores aqueos, in aere collectos, ſuſtentant, nec minus etiam origini & motibus lacuum & fluviorum, item generationi metallorum & mineralium, inſerviunt. Tandem & terræ firmitatem & æquilibrium conſervant, & alia permulta emolumenta afferunt. Nec ſine uſu ſunt montes ignivomi, dum per eos ignis ſubterraneus adeo neceſſarius alitur, terræ motus, ſi non ſemper, tamen ſæpius, impediuntur, partesque ſuperfluæ igneæ, fumoſæ, & ſulphureæ, velut per ſpiracula eliminantur.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE DES SCIENCES, A. MDCCXXVIII, &c.

h. e.

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIArum A. 1728, una cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis ejusdem Anni.

Pariſiis, in Typographia regia, 1730, 4.

Alph. 3, cum Tabb. æn. 21.

In *Phyſica generali du Fay* ſelecta quædam experimenta magnetica inſtituit, quorum unicum hic narrabimus. Si acui

 magne-

magneticæ, horizontaliter poſitæ, itidem horizontaliter & ad angulos rectos offeratur virga ferrea, quæ vero nullatenus magnete imbuta ſit, nil accidet, acus ne minimum quidem movebitur, quam proxime & accedat virga; aſt, oblata virga verticaliter, ſtatim ejus punctum ſuperius boream acus & inferius elevandum ad ſufficientem ab acu diſtantiam, ejus auſtrum attrahet. Invertatur virga per hemicyclum, ſtatim punctum ejus, quod jam ſuperius boream, & id, quod jam inferius auſtrum, hocque toties, quoties repetere experimentum placuerit, attrahet. *Du Fay* hæc ac alia magnetis phænomena a *Carteſii* ramulis deducit, idque haud inepte. *De Reaumur* hiſtoriam tinearum, lanas & pelles comedentium, dedit, idque cura, qua mira horum animalium natura haud indigna videtur. In ſecunda Diſſertatione inquirit, qua ratione & lanæ & pellices contra eas defendi queant, ubi oleum terebinthinæ præ ceteris remediis omnibus commendatur. *Des Landes* literas exaravit ad *Reaumurium*, de vermibus, qui infinito numero uni duarum navium ex Indiis redeuntium caudis ſuis adhæſerant; incluſæ erant vaginæ quaſi corio in aqua macerato, e qua & levi conatu extrahi poterant, longitudo eorum duos & dimidium, ad 3 pedes usque, craſſities vero cum vagina 4, vel 5, ſine hac 2 circiter lineas. Summa pluviæ 16^{d} $1\frac{1}{2}$ lin. barometri altitudo ſumma 28^{d} 4 lin. 8 Febr. 10, 14, 15, 16 Martii 13, 14 Aug. 12 Dec. diebus omnibus, 14 Martii excepto, ſerenis & tranquillis, ima 27^{d} 0 lin. 7 Dec. S. W. cum pluvia, thermometri altitudo ſumma 17 Julii 75°, ima 31 Dec. 21°. Dantur & ejusmodi meteorologicæ Obſervationes *Weidleri*, Wittebergæ habitæ.

In *Anatomia Petit* de ruptura completa & incompleta tendinis Achillis, quam multi negarant, multa commentatus. *Chomel* hydropem peritonæi fœminæ poſt partum ſupervenientem feliciter ſanavit. *Morandus*, felem odoratam nactus, eam cultro anatomico ſubjecit, ac plurima eorum, quæ *Perrault* in hiſtoria ſua naturali obſervarat, confirmavit, diſſerens in fine tractationis de atheromatibus, & earum geneſi. *Maloet* hiſtoriam ægri, cujus pes dexter ſumme incurvatus erat, ita, ut nulla ratione eum extendere

potu-

potuerit, enarrat. In eo æger erat, Lutetias veniens, ut pes amputandus videretur, ſed balneis aromaticis feliciſſime reſtituit eum *Maloet*. *Petit*, veſtigiis *Franciſci Aquilonii* inſiſtens, uveam in homine non convexam, ſed planam, ſtatuit, ac multa, eaque curioſa, inſtituit experimenta de ponderibus humorum aquei, vitrei, & cryſtallini, nec non de variis locutus eſt methodis cognoſcendæ magnitudinis cameræ, humorem aqueum continentis, ad quam accuratius determinandam, & ophtalmometrum invenit. Tandem recenſetur *Helvetius* de aere in ſanguinem pulmonis agente, & *Morandus* de apparatu alto.

In *Chymia Geoffroy* olea plantarum eſſentialia rectificare docet, quo habeantur eadem corruptioni vel plane non, vel parum, obnoxia, & corroborat ſuperioris anni experimenta, de reali frigore oleorum eſſentialium cum ſpiritu vini mixtorum. *Geoffroy* in diverſas vitrioli ſpecies inquiſivit. Notum eſt, baſin viridis eſſe ferrum, & cœrulei cuprum, ſed album nondum producere valuit laudatus Chymicus, aluminis vero naturam ſolerter examinavit, ac eos, qui ferrum in cuprum transmutari credant, acriter refutavit. *Du Fay* nonnulla, quæ alias ut myſteria ſtudioſe celantur, de tinctura & diſſolutione variorum lapidum, de colorandis marmoribus, agathis, jaspidibus, porphyritis, &c. clare enuntiat, imo & ebur cum marmore, æqualibus ſpiritus ſalis & aceti deſtillati portionibus, arrodere, vel emollire, docet. *Lemery*, borracem limæ accuratiori ſubjiciens, variis modis nullum inde ſal volatile elicere potuit, quanquam ipſe fatetur, ſpiritum vini cum borrace, principium quaſi ſublimationis, non verum ſal volatile, oſtendiſſe. *Bourdelin*, ſalia lixivioſa examinans, novis argumentis confirmavit, ea mixtis non ineſſe, ſed produci igne. Contra *Stahlium* diſputat, ſal alcali plantarum non formari junctione ſalis eſſentialis cum ejus oleo, quod igne crematum eſt. Quodſi non adiſpicimur ſal alcali, ſi oleum omne extractum eſt, nonne hoc principium inflammabile abſolute neceſſarium eſt, ad formandum alcali? *Le Fevre* novum phoſphorum invenit, qui, aeri oblatus, inflammatur, limatura martis, ſulphur commune, aqua communis, colophonium, mixta, trita, igni mediocri expoſita, illum producunt.

In

In *Botanica du Hamel* plantam quandam, quæ Croco ſativo maxime damnoſa eſt, ſub terram naſcentem, & ipſi omne nutrimentum auferentem, tuberoidem appellavit. *De Juſſieu* valde commendavit exactiorem fungorum obſervationem, ac nondum deſcriptam eorum ſpeciem, boleto-lichen vulgaris nominavit. Idem *de Juſſieu* alia in Diſſertatione de neceſſitate novæ conſtituendæ claſſis pro fungis, ad quam referendum agaricum, lichen, diſſerit, ac diſtinguit & fungos & lichenes in grana tantum, & flores cum granisferentes, nec non fungum minorem, allii odore in ſcenam producit. *Du Hamel* de cauſis multiplicationis ſpecierum in fructibus tractat, ac multa a ſe inſtituta enarrat experimenta, circa implantationem diverſorum ramorum, in unius arboris truncum, ac de ſucco e. g. laurei, cui implantatus ceraſi ramus, has diverſas arbores nutriente, eleganter ſcribit.

In *Arithmetica* omnis numerus multiplus numeri novenarii, ſi ejus characteres addantur, 9, vel ejus multiplum, producit. *De Cury*, Lector Mathematum nobiliorum Cameraci, generaliter & analytice demonſtravit, ſequens theorema, quod hic ſimpliciter enuntiare ſufficiat. Numeri ſimplicis multiplum, compoſitum quocunque cyphrarum numero, dividatur in duas quaſcunque partes, ratione characterum. Sumatur prior pars, multiplicetur per differentiam numeri ſimplicis a denario, quæ elevetur ad potentiam, cujus exponens ſit numerus cyphrarum alterius partis, & poſt hoc productum ponantur hujus alterius partis characteres ordine, novus numerus multiplus ejusdem ſimplicis exorietur. Si in manu teneatur numerus numinorum, ac quæratur, numerusne ſit par an impar, cum certe tot ſint numeri pares, quam impares, putares, idem eſſe, ſive parem eſſe, ſive imparem, harioleris. Aſt ponamus caſum, teneat manus imparem numerum, e. g. 3, 5, 7, &c. nummos, tunc 2, 3, 5, impares contra unum, duos, & tres pares, adeoque ratio aderit, citius pro impari, quam pro pari, decidendi, ſit numerus par 2, 4, 6, tunc exacte tot pares, quot impares, dabuntur, adeoque aliquantulum probabilius erit pro impari, quam pro pari, contendentem vincere.

In

Digitized by Google

In *Geometria Maupertuis* novum quid induxit. Curva quævis conſiderari poteſt formata quaſi per evolutionem alterius curvæ, & radius evolutæ exprimit longitudinem curvæ, cujus evolutio genuit evolutam. Huc usque Geometræ penetrarunt. *Maupertuis* ultra progreditur. Sicut prima curva ſupponitur formata per evolutionem ſecundæ, ita hæc ſecunda per tertiæ, hæc tertia per quartæ, & ita porro, evolutionem nata conſiderari poteſt. Has novas ſubevolutas dicit, & formulas dat generales omnium arcuum ſubevolutorum, & pro geometricis & pro mechanicis curvis, ut nil his formulis immiſceatur, præter coordinatas primæ curvæ, & harum differentias. Inter alia, in ſpirali logarithmica, applicando huic curvæ formulas radiorum ſubevolutorum, invenit, radios iſtos eſſe progreſſionis geometricæ infinitæ, creſcentis, vel decreſcentis, prout trianguli parvorum laterum illud, quod eſt differentia ordinatæ, maximum eſt, vel minimum. *Pitot* de ratione ſuperficierum in magnis & parvis corporibus differit. Solida ſimilia ſunt ut cubi laterum homologorum, ſuperficies vero ut horum quadrata, dividatur corpus, quo plus ſuperficies adaugeatur, conſequenter, quo minora ſunt corpora, hoc plus eis eſt ſuperficiei, ratione ſoliditatis. Demonſtrat autem *Pitot*, in parallelepipedo, ſphæra, cylindro, & cono, eſſe quantitatem ſuperficierum duorum ſolidorum ſimilium in ratione reciproca laterum homologorum. Applicat hæc *Pitot* ad nonnulla ſpecialiora exempla hominis, muſcæ, marmoris, pollicis cubici aquæ, &c.

In *Aſtronomia Caſſini* de motibus Saturni eruditiſſime commentatus, obſervationes antiquiſſimas cum *Tychonicis*, *Heveliapis*, *Flamſteedianis*, ac Pariſienſibus, comparando, tandem reiterato calculo motum annuum medium Saturni determinat 12° $13'$ $35''$ $32'''$, & revolutionem ejus mediam 29 annorum 162^{d} 2^{h} $54'$.

In *Mechanica de Mairan* æſtimationem & menſuram virium motricium phyſicam & mechanicam elegantiſſime univit; concludit vero tandem, eſſe vim ordinarie ut celeritatem, & nunquam ut quadrata velocitatum, quodſi aliquando ut hæc appareant, non aliunde id pendere, quam quia vis ſemper agens in ratione celeritatis, ex legibus motus generalibus, adhibeat eo plus temporis, quo eſt

Digitized by Google

major, ex legibus motuum retardatorum. De motu accelerato per elaterem, & de vi corpori moto inſidenti, *de Camus* concludit, eſſe eam aliquando ut celeritatem, aliquando ut hujus quadratum. Abbas *de Melieres Carteſii* vortices ab omnibus vindicare laborat objectionibus. Præfert certe illos attractionibus, ſpatiumque explodit vacuum. *Couplet* tertiam exhibet partem Diſſertationis ſuæ de impulſu terræ & reſiſtentia munitionum. In his trium annorum Diſſertationibus de impulſu terræ adverſus muros, & horum ratione, altitudine, craſſitie in baſi, in ſummitate, ac reſiſtentia, elegantiſſima continentur theoremata mechanica.

Additur elogium *Caroli Reyneau*, nati Briſſaci A. 1656. Publicavit A. 1708 Analyſin demonſtratam, librum, qui in Galliis omnium primus pro diſcenda matheſi habetur, & A. 1714 Scientiam calculi. A. 1716 factus eſt Socius liber Academiæ Regiæ, mortuus d. 24 Febr. A. 1728. Subſequitur elogium *Tallardi*, Mareſchalli, nati d. 14 Febr. A. 1652. A. 1668 primum bello litavit, factus A. 1712 dux, A. 1715 inter Pares Franciæ, A. 1726 inter Miniſtros Status, receptus, & mortuus d. 29 Martii A. 1728.

D. GABRIELIS CLAUDERI, ARCHIATRI quondam Electoralis & Ducalis Saxonici, nec non Academiæ Naturæ Curioſorum Cæſareæ Adjuncti celeberrimi, Schediaſma de Tinctura univerſali, vulgo Lapis Philoſophorum dicta, &c. reviſum, & hinc inde auctum, præmiſſo ſimul beati CLAUDERI vitæ curriculo, ſiſtit D. GABRIEL FRID. CLAUDERUS, nepos, Phyſicus Gunzenhuſenſis.

Norimbergæ, apud Wolfg. Maur. Endteri filiam, Mayriam, ejusque filium, 1736. 4.
Alph. 2 plag. 12.

Dignam judicavit hanc avi ſui de Tinctura univerſali tractationem Cl. *Clauderus*, quam denuo excuſam in manus doctorum hominum traderet. Ne vero ſola in lucem publicam prodiret, comites ipſi fuerunt adjuncti 1) *Petri Joannis Fabri*,

bri, Medici Regii Gallici quondam celeberrimi, MStus liber, qui res Alchymicorum obſcuras ſingulari perſpicuitate explanare dicitur; 2) D. *Adami Gottlob Berlichii* Diſſertatio de Medicina univerſali; 3) D. *Emanuelis Kœnigii*, Prof. & Medici Baſileenſis Celeberrimi, Epiſtola de Elixirio Sophorum, itemque Obſervationes de modo exaltationis & vitrificatione metallorum. Ne vero nihil plane egiſſe videretur Editor, vitam Autoris præmiſit, atque aliquot Capitibus Tractatus primi obſervationes nonnullas, maxime Chymicas, & proceſſus, ut vocant, quorundam remediorum complexas, quas cum ex MStis avi ſui codicibus, tum recentioribus quibusdam Chymicis, mutuatus eſt, ſubjunxit. Plura de his referre, inſtituti noſtri rationibus repugnat.

DIFESA DI TRE DOCUMENTI ANTICHI, &c.
h. e.
VINDICIÆ TRIUM DOCUMENTORUM ANTIquorum tabularii regalis Cœnobii S. Juliæ intra Breſciam, falſitatis accuſatorum ab Anonymo Mediolanenſi in Diſſertatione Chorographica de Italia medii ævi, inſerta Tomo X rerum Italicarum; expoſitæ ab Editore brevis Commentarii de obſidione Breſciana A. 1438, EVANGELISTA MANELMO, Vicentino.

Breſciæ, typis Jo. Mariæ Rizzardi ſeu Ricciardi, 1728, 4.
Plag. 3.

Amicos nonnunquam haud idem ſentire, hæc docet diſceptatio. Nam Anonymus Mediolanenſis ac Cel. *Manelmus* intima conjuncti ſunt amicitia. Verum veritas ejusque ſtudium excellit vinculum amicitiæ, nec tamen id diſſolvit, ſed potius penes æquos rerum arbitros conglutinat. Controverſiæ cardo in eo vertitur, an duo Diplomata *Lotharii I*, Imperatoris, & unum *Adalgiſi*, ex *Deſiderio*, ultimo Longobardorum Rege, nati, ſint genuina, nec ne. *Manelmus* ad præſcriptionem illicò provocat, ratus, hæc Diplomata huc usque ſemper pro genuinis fuiſſe reputata. Ex *Margarinii* editione de avtographorum

 fide

fide & momentis eſſe judicandum, negat, ſiquidem diverſitas adeſt inter edita & avtographa haud mediocris. *Mabillonius* enim caute pronuntiat: *Unus aut alter defectus, modo eſſen-*
Pag. 7. *tialis non ſit, legitimis avtographis obeſſe non debet.* Examinanda enim ſunt varia, membrana videlicet, literæ, ſigilla, ſumma & argumentum, dictio, ſtilus, & affines cauſæ. Æram Chriſtianam a *Carolo Craſſo* demum Diplomatibus fuiſſe ſubnotatam vel adhibitam, uti *Antonius Pagi* in *Hiſt. Crit. ad A.* *881 pag. 730* putat, Noſtro videtur improbabile. *Georgius Hichеſius*, Anglus, apud *Bartholomæum Germonium* in Diſcept.
8. adverſus R. P. *Theodoricum Ruinartum Cap. I pag. 19 edit. Pariſ. A. 1707* accurate exiſtimat, *Hiſtoricos & titulos publicos fere ſemper in Diplomatum præjudicium citari ſolere a Criticis.* De *Adalgiſi* Diplomate *Anonymus* ita pronuntiarat: *Claudicat hac Charta data Brixiæ dicto anno 11 Novembris, dum, capto jam Deſiderio, menſe Maji, Adalgiſus, filius Deſiderii, ſtatim fugiens, navim intravit, & per mare Conſtantinopolim usque pervenit, ut ſcribit ſub hoc anno Annaliſta Metenſis.* Illud *ſtatim* abeſt ab Annalibus Metenſibus. *Deſiderii* uxor A. 760 fundarat Cœnobium S. *Juliæ* Breſcienſe, maritus adjecerat
9. A. 772 curtem Milliarinæ in territorio Regiano. Donationem renovaſſe ac confirmaſſe *Adalgiſum*, Autor perhibet. Res eo redit, ut chronologicum epochæ *Adalgiſi* initium eruatur. Nam Diplomati, quod *Adalgiſo* Breſcienſes adſcribunt, hæc ſunt ſubnotata: *Acto civitate in Brixia undecima die menſis Novem-*
10. *bris Anno feliciſſimi Regni noſtri in Dei nomine* quarto decimo *per* indictionem duodecimam. Autori perſuaſum eſt, *Adalgiſum* a patre A. 759, inter 25 Julii ac 20 Auguſti, in ſocietatem regni fuiſſe aſſumtum. Præierat jam *Sigonius Lib. III* de *Regno Italiæ pag. 81, 84.* Hac ratione documentum *Adalgiſi* ſcriptum fuit exeunte anno 773. At anno demum 774 *Deſiderius* manus dedit victas *Carolo Magno.* Diploma *Lotharii* datum dicitur anno 18 regiminis ſeu regni ipſius indictione 14, in palatio regio Maringo, id eſt, anno 834, ſi epocha ducitur a tempore, quo in ſocietatem patrii imperii fuit ſuſceptus. Simul tamen additum eſt *ſignum Hludovici glo-*
13. *rioſiſſimi Auguſti.* Sigilli in perigraphe legitur: XPE ADIUVA

VA HLOTHARIUM AUG. Subſcripſit *Druttemirus*, Nota-
rius, ad vicem Cancellarii *Agilmari*. In avtographio legitur
Indictio I. Lotharius autem a Patre *Ludovico Pio* A. 820 re- Pag. 14.
nuntiatus Rex Italiæ ante diem menſis Maji ultimam. Quo
poſito, prodit annus 837, quem Diploma ſignificat. Voces *re-* 15.
gnum & *imperium*, *regnare* & *imperare*, tunc ſumebantur
promiſcue. Notatur *Mabillonius*, qui epocham ab A. 820 de-
ducendam, de qua modo diximus, haud admiſit, ac præterea
ſtatuit, privatas chartas, olim a Notario conditas, ante Seculum
undecimum in uſu haud fuiſſe, cum tamen jam inde ex octa-
vo Seculo exempla produci queant. *Ludovicus II, Lotharii* fi-
lius, mature ab avo & patre in ſocietatem imperii regnique
evectus, in Diplomate controverſo indubie eſt intelligendus;
nam hic A. 837 declaratus fuit Auguſtus, qui alias more
Græcorum quoque vocabatur *Romanorum Rex*. Ad annum
certe 840 obvium eſt Diploma penes *Campium*, cujus tale eſt
exordium: *In nomine — — Hludovicus, gratia Dei Imperator
Auguſtus, invictiſſimi Domini Imperatoris Hlotharii filius.*
Datum id fuit Octobri, anno 23 *Lotharii*, & tertio *Ludovici*.
Anno 837 *Ludovicus II* habuit jam annos quatuordecim. Un- 20.
ctus quidem fuit is anno demum 844 a Pontifice Romano in
Regem Longobardiæ, ac anno 850 in Imperatorem, a Pontifice
Romano. At declaratio illa Papalis exordium appellationibus
honorificis haud dedit, uti eis facile innoteſcit, qui rem tra-
ctant diplomaticam. Diploma tertium controverſum ad eos-
dem ſpectat Auguſtos, ad idem S. *Juliæ* Cœnobium. Scriptum
eſt illud Septembri Ind. XV, non IV, anno imperii *Lotharii*
XXXII, & regni Franciæ XII, qui reſpondet anno 851. *Mar-* 24.
garinius haud accurate hæc deſcripſerat Diplomata, ſuoque er-
rore Anonymum ad avia deduxerat. Quodſi duo *Lotharii* Di-
plomata illa ſunt genuina, id quoque largiendum eſt Genealo-
giſtis, *Lothario*, Imperatori, filiam fuiſſe tertiam, nomine *Giſe-
lam*, S. *Juliæ* Cœnobio a patre dicatam.

Joh. Erhard Kappens, PROF. LIPS. kleine Nachleſe, ꝛc.
h. e.

 30.

JO. ERHARDI KAPPII, ELOQUENTIÆ PROfeſſoris in Academia Lipſienſi, Spicilegium quorundam, maximam partem ineditorum, & Hiſtoriam Reformationis illuſtrantium, Documentorum.

Pars III & IV.

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Braunii hæredes, 1730 & 1733, 8.
Alph. 2 plag. $2\frac{1}{2}$.

Quam cara nobis & accepta eſſe debet rerum hiſtoricarum ſolida inveſtigatio, tam antiqua profecto & dulcis veritatis cultoribus eorum opera eſt, qui Documenta publica ex ſcriniis Principum, aut aliis tabulariorum receſſibus, velut largiſſimi promi condi evulgant, &, diſcuſſa ubivis caligine, lucem aurò contra cariorem reddere annituntur. Hoc videlicet tanquam proprium ætati noſtræ decus eſſe videtur, quod unusquisque, alterius narratione non contentus, ſemper adyta rerum luſtret, rimeturque cauſas, nec tam diu illa marceſcet gloria, quam diu erunt politiſſima ingenia, & literarum vindices, quibus earundem vigor perſtat. Non enim Hiſtoria tantum civilis gloriari poteſt, ſe indubitata Diplomatum fide niti, ſed ſacra etiam Hiſtoria caput effert, nec ulli Hiſtoriarum parti in poſterum luce ſua cedet, cum eruditi, Bibliothecas ſtudioſe perquirentes, jam ſcripta nunquam ſorte exitura prelo ſubjiciant. Hos inter jure meritoque numerandus eſt Celeb. noſter *Kappius*, qui, præter elegantem ingenii fœtum de Solœciſmis curiæ Romanæ, collectione variorum Documentorum, Hiſtoriam ſacrorum illuſtrantium, orbem ſibi literatum dudum devinxit. Vidimus jam in horum *Actorum Supplem. Tom. II Sect. VII pag. 316 ſeq.* quam ſolers Noſter in perveſtigandis Scriptorum cimeliis, quam acutus in conjectando, quam denique cordatus in confutandis aliorum erroribus, fuerit. Has virtutes, quæ, communi omnium conſenſu, Hiſtoricum velut comites indivulſi ſequi debent, denuo junctim in optimo noſtro *Kappio* exſplendeſcere, nemo niſi iniquus rerum arbiter, & invidus eruditionis alienæ ſpectator, in dubium vocabit. Ne vero nos temere quid-

quidquam aſſeruiſſe videamur, producemus *Partem tertiam* & *quartam* Spicilegii ipſius, tantis tamque egregiis refertam eruditionis ſpeciminibus, ut Lectores neſcio qua ſuavitate detineat, detentosque paulisper doctrinæ dapibus bene paſtos onuſtosque a ſe dimittat. In *Parte III num. 1* nobis exhibet *Jo. Draendorffii*, ſeu *Jo. de Sliben*, ſuſpecti de hæreſi, Examinationem, factam Heidelbergæ A. 1425, quo teſte veritatis *Matthiæ Flacii* Catalogum auxit Cel. Autor, & *Jac. Thomaſium*, aliosque, computando ſupplicii ejus anno errantes, emendavit. Nam unusquisque preſſo tantum pede ſequebatur *Flacium*, ſubleſtæ hac in re fidei teſtem, de ipſa rei veritate parum ſolicitus. Hinc Celeb. *Kappius* de vita *Draendorfii* & rebus geſtis commentari eo certius potuit, quo luculentiora tutioraque ad manus habuit Documenta, quibus profecto nihil præſtantius, nihilque pulchrius, cenſemus. Vitalem igitur auram adſpexiſſe eum dicit A. 1490, & adultiorem factum Aquisgrani tirocinium depoſuiſſe ſcholaſticum, deinceps Dresdam delatum, ſub *Friderico* & *Petro Dresdenſi*, haud pœnitendis magiſtris, elegantioribus Muſis ſe conſecraſſe, ipſum etiam tam alacriter in ſtadio literarum decurriſſe, ut, brevi temporis ſpatio interjecto, ad munus Presbyteri, ſeu Theologiæ Prædicatoris, adſpiraret. Hoc vix ac ne vix quidem ſuſcepto, ſtrenue communionem ſub utraque urſit, &, ut mentem ſuam dilucidius exponeret, varias Epiſtolas ad Conſules de *Winsberg* exaravit, quæ *pag. 48 ſeq.* publicantur. Adjecit Cel. Autor ubivis doctiſſimas, more ſolito, annotationes, ex quibus *pag. 59* apparet, *Petrum Dresdenſem* non A. 1440, quod *Jac. Thomaſius* in Diſputatione, de eo habita, aſſerere ſtuduit, ſed ante 1425, mortuum eſſe. *Num. 3* memorabiles ſunt literæ indulgentiales *Martini de Fregeno*, quas ſub auſpiciis *Calixti III* d. 18 Febr. A. 1458 *Annæ de Czorbæ* vendidit, de cujus vita & fatis ne hoc loco Cel. Autor fuſius commemoraret, otium ipſi fecerat Diſſertatio de nonnullis indulgentiarum quæſtoribus Sec. XV & XVI, A. 1720 Lipſiæ ab ipſo habita, ad quam remiſſos cupit Lectores. *Num. 7* fuſa nobiſcum ſcriptio communicatur, quæ cum argumenti ſe gravitate

vitate commendet, & lites tum temporis de eſculentorum uſu inter ipſos Pontificios agitatas mirum quantum illuſtret, totum hic transſcribemus titulum, aſſervato tamen dicendi genere & literarum ſcriptura non per omnia eleganti: *Conſilium Jo. de Breitenbach, utriusque Juris Doctoris, in florentiſſimo ſtudio Liptzenſi, Merſeburgenſis Diœceſis, Jura Canonica ordinarie legentis, an contribuentes juxta tenorem literarum Apoſtolicarum per Dominum Papam Innocentium octavum & modernum conceſſarum, pro reparatione & reſtauratione Ecclesie Collegiate beatiſſime virginis oppidi Freibergenſis, Miſnenſis Diæceſis, quadrageſimalibus & aliis diebus, quibus eſus butyri & lacticiniorum prohibitus eſt, ſine conſcientie ſcrupulo butyro & aliis lacticiniis veſci poſſint. In quo quædam pulcherrima verba de poteſtate Domini Papæ, & an ipſe Dominus Papa in eo facto deteſtabili Regis Francie, nunc occurrente, diſpenſare poſſit, ac qualiter prelati locorum ſe circa mandata & literas Apoſtolicas habere debeant, continentur, in 4. Num. 10 – 14* excipiunt ſe invicem non exigui momenti, nec minoris commodi, ſcripta, utpote quæ ad hiſtoriam indulgentiarum, ob lacticinia conceſſarum, multum faciunt. Evulgantur enim e MSto tum literæ Ducum Saxoniæ *Georgii* & *Alberti* de eodem argumento ad Pontificem *M. Alexandrum VI* datæ, tum ipſius Pontificis reſponſiones, in quibus utrique parti perſuadet, ſe fore litis arbitrum, tum denique *Bulla Julii II Apoſtolica, & nova conceſſio lacticiniorum in annos viginti, Anno Domini XVC duodecimo impetrata. Num. 15* ex Bibliotheca Senatoria Lipſienſi in ſcenam producit Cel. Autor prorſus ignota *Arcimboldi* aviſamenta, quorum juvat integrum appoſuiſſe titulum: *Aviſamenta, Inſtructiones, & ſtatuta Reverendi patris, Domini Jo. Angeli Arcimboldi, Juris utriusque doctoris &c. Nuntii & Commiſſarii ad publicandum & exequendum indulgentias & facultates pro fabrica baſilice principis Apoſtolorum de urbe, que prefatus dominus Commiſſarius mandat inviolabiliter obſervari. Sub penis in Bulla Apoſtolica indulgentiarum hujusmodi contentis, & a ſanctiſſimo domino noſtro Papa decre-*

tis

Digitized by Google

tis & fulminatis ab infra ſcriptis ſubcommiſſariis & ſubdeputatis ſuis: nec non ab univerſis & ſingulis predicatoribus & presbyteris pro confeſſionibus audiendis in negotio ſacrarum indulgentiarum ante dictarum deputatis & deputandis. In introductione ad hoc documentum Cel. Autor fata *Jo. Ang. Arcimboldi* brevi oratione deſcribit, monetque, *Ferdinando Ughello*, in Italiæ ſacræ *Tomo IV* fata *Arcimboldi* commemoranti, exiguam eſſe habendam fidem, ſed potius *Odoricum Raynaldum* in Annalibus Eccleſiaſticis evolvendum eſſe, qui incorruptius paulo de noſtro memoriæ prodidit. *Num. 17 & ſeq.* occurrunt literæ, motus illos *Tetzelianos*, de venia criminum impetranda exortos, graphice delineantes. *Num. 25* leguntur gravamina Sacri Romani Imperii, in Comitiis A. 1521 Wormatiæ habitis adverſus Pontificem & ejus ſacrificulos publice propoſita, quæ cum *Sleidanus*, *Seckendorſius*, & *Hortlederus*, oppido ignoraverint, nec a *Jac. Frid. Georgi* in *Collectione Gravaminum Nationis Germanicæ* allata in medium fuerint, inſerenda hic curavit Celeb. *Kappius*. *Num. 26* extat *Martini Lutheri* ſcriptum de gradibus matrimonii prohibitis, A. 1522 exaratum. *Num. 27* extat ordinum Helveticorum, Lucernæ congregatorum, Epiſtola ad Epiſcopum Conſtantienſem, ut Colloquio Badenſi intereſſe velit, d. 23 Mart. A. 1526 data. *Num. 28* annotari meretur *Jo. Agricolæ* Epiſtola, ad *Lutherum* perſcripta, in qua rerum faciem in Comitiis Auguſtanis deſcribit, profiteturque, Pontificios nihil inveniſſe in Auguſtana Confeſſione, ſeu Apologia fidei noſtræ, quod cum ullo fidei articulo pugnet, deinceps ait, expectaſſe eos reſponſum Romani Pontificis ſuper articulis Auguſtanæ Confeſſionis, denique diſſerit de artibus *Capitonis*, additque, *Brentium* paſſum eſſe, ſe ad colloquium novum adduci. *Num. 30* evulgavit Cel. Autor D. *Cornelii Beckeri* Epiſtolam de quibusdam editionibus Auguſtanæ Confeſſionis. *Num. 32* ſe nobis ſiſtit Reſponſio Ducis Saxoniæ, *Jo. Friderici*, Electoris, ad mandata Sereniſſimi Regis Angliæ, expoſita per venerabilem & doctiſſimum virum, Doctorem *Antonium Barnes*, utrum *Philippus Melanchthon* in terras Britannicas abire, & Rex ipſe fœderi Schmalcaldico nomen dare poſſit, an ſecus.

Num. 33 – 35 Edicta conſpiciuntur Academiæ Witebergenſis, terna vice repetita, quibus *Simon Lemnius*, in quibusdam Epigrammatibus Profeſſorum, imo Principum, mores ludibrio exponens, velut putridum membrum a conſociatione reliquorum civium reſecatur. Mentionem illius facinoris injecit *Seckendorfius* in Hiſtoria Lutheraniſmi *Lib. III Sect. 17 fol. 197*, ſed, quia deſtitutus fuit documentis, rem enucleatius tradere non potuit. Hinc ſperamus, Lectores ex collectione horum ſcriptorum tantum delectationis capturos eſſe, quantum inde ad nos redundaſſe commodi ingenue profitemur.

Nunc vero a nobis exigit ordo, ut pedem ulterius promoveamus, &, hunc amœnitatum omnium pleniſſimum campum relicturi, ad alia properemus vireta, ubi florentiſſimus monumentorum apparatus, velut diſcolor graminum forma, oculos noſtros paſcet. Quapropter non abs re erit, illos ex larga penu profectos paulo propius intueri theſauros, nec, quam lucem ii, quodve augmentum, adepti fuerint a Cel. Autore, ex *Parte IV* repetiiſſe pœnitebit. *Num. 2* conſpicimus *Raymundi Payraudi* Mandata & declarationes in favorem pauperum, aliorumque Chriſti fidelium, ſacratiſſimum Jubilæum promereri volentium Erfurti A. 1502; de quo legato tum Cel. *Kappius* in eruditiſſima de indulgentiarum quæſtoribus Sec. XV & XVI Diſſertatione, tum *Dominicus Antonius Gandolfius* in Diſſertatione hiſtorica de ducentis celeberrimis Auguſtinianis ſcriptoribus, diſputavit, nec non plura commentatus eſt Monachus Pirnenſis, quæ in *Menckenii Tomo II* Scriptorum German. *pag. 1525* reperies. Memoratu etiam digniſſimæ ſunt *pag. 399* publicatæ Inſtructiones *Alexandri VI*, quibus legum vinculis circumſcribebat legatum, ne vel ſuo indulgeret genio, vel pollicitationibus & illecebris exterorum in transverſum ſe agitari pateretur, vel denique conſilia curiæ Romanæ inimica exequeretur. *Num. 3* publici juris facit Cel. Autor Excerpta ex *Jo. Paltzii* Cœliſodina, in quibus cerimoniæ circa inthroniſationem, quam barbare vocant, indulgentiarum deſcribuntur. Ante vero, quam ad hoc acceptum nobis pergratumque ſe accingat opus, vitam *Jo. Paltzii* præeunte *Joach. Jo. Madero* in *Centuria ſcriptorum inſignium*, adumbrat, & *pag.*

pag. 432 de variis hujus libri editionibus, de exemplo Germanico Cœlifodinæ, & utraque editione Latina, ſtudioſe diſſerit. Germanico ſcilicet ſermone conſcriptam Cœlifodinam ait in vulgus exiiſſe A. 1490, 4, nec alia utramque Latinam forma typis exſcriptam fuiſſe dicit, quam quadripartita, quæ in limine ſtatim ſequentia exhibeat verba:

Cœliſodina.

Ad Lectorem.

Æthereas edes tibi cure eſt, optime lector,
Scandere: nos emito: namque damus ſemitam.

Inprimis vero ex *pag.* 451 operæ pretium eſt annotaſſe, *Jo. Paltzium* Bullam *Clementis VI*, qua angelis paradiſi mandavit, ut animas poſt mortem ſtatim in cœlum deportarent, pro vera & ſacroſancta habuiſſe. *Num.* 4 exſtat Obſervatio Cel. Autoris de anno, quo *Jo. Proles*, Vicarius Aug. Ord. obiit. Patet enim ex *Jo. Paltzii* Cœlifodina, ipſum feria tertia Pentecoſtes A. 1503 Culmbaci mortuum eſſe. Hac in re cum multos diſſentientes, non æque tutis literarum monumentis nixos, invenerit, exploſit eorum ſententiam, & inprimis *Matth. Flacii*, *Jo. Wolfii*, *Wilh. Ern. Tentzelii*, *Melchioris Adami*, errores detexit, qui omnes ex Culmbaco Ciclenbachium effinxerunt. Refutavit inſuper, quod ad annum mortis ſpectat, Magnif. *Val. Ern. Læſcherum*, & *Vitum Lud. Seckendorfium*, *Hechtium*, *Funckium*, aliosque, qui omnes in partes ſciſſi tot ſententiarum divortiis inclaruerunt, ut nemo inveniret, ubi pedem figere poſſet. *Pag.* 467 etiam alii commemorantur Vicarii Ordinis Auguſtini in Germania, *Henricus Pſalterius*, *M. Simon Lindnerus*, & *Jo. Staupitius*, quem poſteriorem ad tam ſplendidi muneris dignitatem perveniſſe indicat A. 1503, non vero A. 1508, uti *Georg. Henr. Gœtzius* in peculiari de eo habita Diſſertatione arbitratus eſt. *Num.* 5 Articuli in Concilio Turonenſi adverſus *Julium II* A. 1510 concepti, auctiores iis, qui apud *Jo. Harduinum*, *Nicolaum Gilleſium* in Annalibus Francicis, obveniunt ex MStis, exhibentur. *Num.* 5 *Gerardi Liſtrii*, artium bonarum & Medicinæ Doctoris, Epiſtola Theologica adverſus *Woldricomium* legitur. Memoratu digna fuit hæc Epiſtola, quia novimus, *Liſtrium* fuiſſe unum ex inſtauratoribus rei ſcholaſticæ,

 fami-

ſamiliariter cum *Thoma Moro* vixiſſe, & elegantiſſime in *Eraſmi* Encomium moriæ commentatum eſſe, quem etiam *Eraſmus* honoris cauſa multoties nominat, inprimis in Appendice Epiſt. MCCXXIII *pag.* 1554 mirificis ornat laudibus. Qui de ſcriptis ejus fuſius egerit, ſolicite nos docet Celeb. Editor *pag.* 519, ablegans Muſæ *Liſtrianæ* cultores ad *Bunemanni* Catalogum MStorum membranaceorum & chartaceorum, item librorum ab inventa typographia usque ad annum MD. *Num.* 8 — 11 Supplementa dedit Cel. Autor ad *Caſp. Burmanni Hadrianum VI*, quorum inſcriptiones tantum lectoribus obtuliſſe ſufficiet. Prima ſcriptio continet literas *Caroli V*, Imperatoris, ad Reverendiſſimos Cardinales, in quibus gratias ipſis agit decentiſſimas, quod *Hadrianum* ſuis renuntiare ſuffragiis Pontificem voluerint. Reliquæ Epiſtolæ ab ipſo *Hadriano* ſunt exaratæ, in quibus Patribus gratias pro electione decernit, &, ut ipſi interea rerum ſacrarum curam in ſe ſuſcipiant, humaniſſime rogat. *Num.* 12 deſcriptionem belli ruſtici copioſam videmus, præcipue etiam delineationem eorum, quæ Rotenburgi ad Tauberam acta fuerunt. *Num.* 13 Examen *Petri Gengenbachii*, Mercatoris Lipſienſis, conſpicitur, qui ob ſacræ cœnæ ſub utraque uſum vertere ſolum cogebatur, ad Illuſtr. *Seckendorfii* Lutheraniſmum *Lib. II Sect. VII pag.* 56. *Num.* 14 Cel. Editoris Obſervatio de *Petri Anſpachii* Antitheſi Auguſtanæ Confeſſionis extat, eam ob cauſam ab ipſo diligenter excuſſa, ut S. Rev. *Cypriani* Hiſtoria Auguſtanæ Confeſſionis aliquod complementum pulchritudinis ſuæ nanciſcatur. *Num.* 15 typis exſcripta eſt Chriſtiana inſtitutio de coronatione *Chriſtiani III*, Regis Daniæ, ex MStis. *Num.* 16 excitat Cel. Editor pulchra ſane & lectu jucundiſſima ex *Simonis Lemnii* rariſſimis, & Vitembergæ A. 1538 editis, Epigrammatibus, cum in *priore Parte* de pœna ipſi ab Academiæ Rectore irrogata diſſeruiſſet, quæ ſatis ſuperque innuunt, *Lemnium* non ut *Ennii* Muſam vino tantum inflatam proſiluiſſe ad arma, ſed naturali eum ſpiritu excanduiſſe, & velut per ignes inceſſiſſe ſuppoſitos cineri doloſo. Tam virulenta enim ſunt carmina ipſius in B. *Lutherum* noſtrum exarata, tam acri ſale perfricare ſolet *Juſtum Jonam*,

ut

ut neminem Satyrici partes eo melius impleviſſe meminerimus. Ita enim aliquando neſarie invectus eſt in noſtrum *Lutherum*:

Cæſare damnatus, toto damnatus ab orbe,
Scilicet Aonias damnat & iſte Deas.
Ut tu meque meaſque neci das, improbe, Muſas,
Sic Dis cæleſtes damnat & ipſe Deos.

Num. 17 ſequuntur Articuli a Quatuorviris ſacris emendandis, *Juſto Jona, Georgio Spalatino, Melchiore de Creutzen,* & *Joanne de Pack,* Paſtori Gnandſteinenſi A. 1539 exhibiti, quos comperimus ſpectaviſſe præſertim mores Clericorum, & vitæ rationem dehinc inſtituendam. *Num.* 18 & 19 Acta viſitationis ejusdem in medium afferuntur, ex quibus apparet, quanta cura cerimonias ſacras a majorum inſtitutis pauliſper remotas emendaverint, & quam ſeveris pœnis leges antea perlatas armaverint, ut eo facilius ferociam impiorum hominum laſcivientem compeſcerent. *Num.* 20 & 21 comparent binæ *Martini Lutheri* Epiſtolæ, ad *Martinum Lodingerum* datæ, quarum altera de Sacræ Cœnæ uſu ſub utraque agit, altera *Lodingerum* hortatur, ut omni, qua poſſet, animi conſtantia cœleſtem doctrinam profiteatur, huicque, ſi forte Deus ita evenire juberet, immori non dedignetur. *Num* 22 lectoribus propinantur Acta litis inter ſeptem pagos Helveticos, Lucernenſem, Uranienſem, Suitienſem, Unterwaldenſem, Tugienſem, Friburgenſem, Solodorenſem, & inter quatuor alios, Tigurinum nempe, Bernenſem, Baſileenſem, Scaphutienſem, agitatæ, in quibus conſultationes Sacerdotum Tigurinorum, M. *Henrici Bullingeri, H. Rudolphi Walchartii, Ottonis Werdmülleri, Conradi Pellicani,* & *Theodori Buchmanni*, contra Concilii Tridentini decreta publicæ luci expoſitæ eminent,, palmamque reliquis ſcriptiunculis præripiunt. *Num.* 25 offert ſe nobis Cel. Editoris Cenſura de quibusdam portentoſis *Obſervationum Halenſium* ſententiis, quas Ill. *Jo. Petr. de Ludewig*, decus alioquin Academiæ Fridericianæ, exponere non dubitavit. Oſtenditur ibi evidentiſſimis argumentis, *Lutherum* non unum & idem de communione ſub utraque ſenſiſſe, quod tamen Obſervator Halenſis in *A.* 1733

num. V pag. 67 inficias ivit. Porro *pag. 732* evincit Cel. *Kappius*, *Staupitii* nomen oblivioni non traditum fuiſſe, multo minus *Staupitio* initium Reformationis Evangelicæ adſcribendum eſſe. De cetero *pag. 733* ait, nihil novi ab Ill. *Ludewigio* allatum eſſe de *Maximiliano I*, quod Pontificatum affectaverit, ſed jam multa occurrere in *Bælii* libro, qui inſcribitur: *Reponſe aux queſtions d'un Provincial, Tom. II.* Inprimis ſuum innovandi ſtudium teſtatus eſt Ill. *Ludewigius*, quod afferere annifus eſt, Cardinalem *Matthaum Langium* fuiſſe promotorem Evangelii & virum pium. His igitur monſtroſis opinionibus maſcule ſe oppoſuit Cel. Editor, &, quemadmodum, Hiſtoriarum præſidiis & omni elegantiori literatura inſtructum eſſe Noſtrum, probe novimus, ſic perſuaſiſſimi ſumus, Cel. noſtrum *Kappium* veritati propius illo acceſſiſſe. Nihil magis ergo in votis habemus, quam ut Cel. Autor primo quoque tempore plura adhuc inedita monumenta prelo ſubjiciat, &, quas avide expectamus, *mutuas Eraſmi & Ducis Saxoniæ Georgii Epiſtolas* typis propediem exſcribendas curet. Veneramur enim, quicquid a magno *Eraſmo* profectum fuit, quia nil niſi excellens, magnificum, nitidumque, in ejus ſcribendi genere deprehendimus. Magni æſtimamus omnia ejus de rebus ad eruditionem ſpectantibus lata judicia, quoniam tum temporis velut communis Germaniæ doctor omnibus par, nemini ſecundus, videbatur.

TUSCULANE DE CICERON SUR LE MEpris de la Mort, &c.

h. e.

TUSCULANA CICERONIS DE CONTEMtu mortis, translata in ſermonem Gallicum, opera Abbatis DE OLIVET, Academici Francici, cum Notis Præſidis Academici BUHIERI ad verba CICERONIS. Junctum ei eſt Somnium Scipionis.

Pariſiis, apud Ganduinum, 1732, 8.

Plag. 18.

Autor

Autor Ven. eleganter antehac tranſtulit *Ciceronis* Libros tres de Natura Deorum. Expetierunt ab eodem nonnulli, ut eandem accurationem diligentiamque transferret ad primam ejusdem Diſputationem Tuſculanam, in qua animæ natura ad eundem modulum ſenſumque eſt expoſita. Licet vero prima poſſit ſeparari a reliquis, voluit tamen ſociata opera omnes dare Gallice verſas. At duo ſocii ſunt interea defuncti, nempe Academicus *Franciſcus de la Monnoie*, qui in ſeſe ſecundam ſuſceperat Gallice reddendam, mortuus A. 1728. Cl. *d'Oby*, Advocatus generalis magni Conſilii, ad quintam ſeſe accingens, a morte interceptus eſt anno ſequenti. Reliqui haud ſatisfecerunt ſibi ipſi, ſiquidem Opera dantur ita alligata ad ſuam linguam ſeculique genium, ut obſcura appareant in ſermone alieno. Prima Diſputatio hac difficultate minus laborat, compoſita quippe ad ſenſum communem. *Bubieri* Notæ ſunt criticæ, doctæque, & ob Autorem commentabiles. Error eſt, in hiſce Diſputationibus dogmata Chriſtianis congruentia venari. Nam de anima ita ſentit *Cicero* ſecundum *Platonem*, ut affirmet, eas, ſi ſint felices, vinculo corporum exſolutas rurſus jungi cum anima univerſali, cujus domicilium putabatur æther, quemadmodum gutta aquæ commiſcetur cum complexu Oceani. Ita anima haud aliter erit incorrupta, ac quodvis corporis flamen. Nec tamen iſthæc dogmata pro periculoſiſſimis ſunt habenda. Subjecta huic admonitioni, quæ Præfationis vicem tuetur, *Eraſmi Roterodami* Præfatio in Tuſculanas, qui adeo in laudes *Ciceronis* effunditur, ut eum crediderit propitia frui beatitudine inter cœlites. Quæ ſententia omnino *Ciceroni* eſt amicior, quam Theologi largientur. *Scholam* vocabant Romani collationem magiſtri ad quæſtionem diſcipuli minus prævíſam. Quare Autor eam vocem tranſtulit per *conférence*. Verſus pleroſque Latinos fecit Gallicos Cl. *Ruſſau*. Animas ex nihilo creari, docet Autor *pag. 63*. Translationi Gallicæ, admodum puræ ac eleganti, ſuccedit contextus Latinus ipſe, *Bubieri* ſubjectis Notis ornatus, quarum pleræque ad lectiones variantes, veraſque inde eruendas, ſpectant. Unde apparet, Criticam verbalem a Gallorum ne primoribus quidem ſemper faſtidiri.

FRAN-

FRANCISCI TÆGII, PHYSICI ET EQUITIS, de Obſidione urbis Ticinenſis ſeu Papienſis, & captivitate Franciſci I, Regis Galliæ, Liber, primum typis Papienſibus A. 1525 d. 13 Aprilis excuſus, nunc vero ob ejus raritatem & pretium denuo e Bibliotheca Mellicenſi publici juris factus, notisque illuſtratus, cura & ſtudio A. R. D. P. BERNARDI PEZII, Benedictini Mellicenſis.

Norimbergæ, apud Joannem Adamum Schmidium, 1736, 4.
Plag. 9.

Tægius latuit notitiam *Sagittarii* & *Menckenii*, τῶν πάνυ, quorum prior eum in *Introductione ad Scriptores Germaniæ*, poſterior in *Diſſertatione de Caroli V nævis politicis*, haud attigit. *Tægii* ſupremum hoc eſt Opus, quod Cl. *Bernardus Pezius Schmidii* prelo ſubjiciendum curavit. Quod ipſum *Schmidius* in formula Dedicationis, ad Reverendiſſimum ac Illuſtriſſimum Dominum *Dominicum Paſſioneum*, Archiepiſcopum Epheſinum, directa, curate edocet. *Tægius* libellum ſuum illuſtri ſtrenuoque Cæſareo Duci, *Antonio de Lyeva*, inſcripſit, ac inſtar ephemeridis adornavit.
Pag. 5. 62.
Exorditur vero ab anni 1524 menſe Septembri ac in anni 1525 d. 33 Februarii ſubſiſtit, quo obſidione liberatum fuit Ticinum, quæ cœpit A. 1524 d. 21 Octobris.
7.
Dolemus, voces varias nunc quoque perperam fuiſſe editas, e. g. *objicibus*, *vias amphractuoſas*, *vellites Gallorum*, &c. At ſcripturam priorem, opinamur, Editor immutare ſibi religioni duxit, qui in notulis paſſim ſubjectis lucem obſcurioribus vocibus ac perſonarum nominibus affudit. Plerique in ea verſantur opinione, Comitem Hohenzolleranum *Eitel Fridericum V* Ticini anno ineunte 1525 ſublatum fuiſſe veneno. Sed ii ex *Tægii* teſtimonio facile refelluntur, qui eum tradit poſt longas vigilias & aſſiduos labores in proceſſu obſidionis Ticinenſis, ad 16 Cal. Febr. ex tabida febri obiiſſe. Qui ea, quæ Cl. P. *Daniel Tomo VII Hiſt. Franc.* de obſidione & prælio Ticinenſi pertexuit, cum *Tægii* diurnis expoſitionibus contulerit, hinc inde inſignes animadvertet differentias, ſiquidem Gallicus ſcriptor partibus *Franciſci I* maxime fuit addictus.

* * *

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II Sectio IX.

THE ANTIQUITIES OF WARWICKSHIRE illuſtrated, &c.

h. e.

ANTIQUITATES COMITATUS WARWICenſis, illuſtratæ ex Annalibus, MStis, Chartis, Inſtrumentis, Teſtimoniis, Tumulis, & Armis gentilitiis, exornatæque Mappis Topographicis, plagarum iconibus, ſexcentisque imaginibus aliis; Autore GUILIELMO DUGDALE. Editio altera, duobus Voluminibus diſtincta, reviſa & aucta per GUILIELMUM THOMAS, Theol. Doct. Rectorem quondam Exhallenſem.

Tomi II.

Londini, apud Robertum Gosling & Guilielmum Ratten, 1730, fol.

Alph. 13 plag. 2, cum variis Mappis Geographicis, & Figuris æneis.

Pridem ea laude inter cultiores Europæ gentes reliquas floruerunt Angli, quod nobiliſſimi quique literatiſſimique

 ipſo-

ipſorum cives, ſingulari in patriam pietate ducti, quæ ad ipſius notitiam penitiorem, hiſtoriam, antiquitates, pertinent, improbo labore ex reconditis maxime priſci ævi monumentis eruere, ſcriptisque memoriæ poſteritatis tradere, fategerint. Non poſtremum in his locum ſuperiori Seculo obtinuit *Dugdalii*, Equitis, virtus; qui, de patrio ſolo, quam optime poſſet, meriturus, bonam vitæ ſuæ partem indagandis declarandisque Comitatus Warwicenſis, quo natus fuerat quippe, antiquitatibus impendit. Regio iſta, veluti inter ampliſſimas opulentiſſimasque totius Britanniæ habita eſt dudum, ita mirandum non eſt, haud defuiſſe ſcripturo vaſti operis materiem. Excrevit hæc fere in dies, quod non ipſe ſolum *Dugdalius* exquiſitiſſimo inquirendi congerendique ſtudio uteretur, ſed prona etiam civium in communicando rariſſima præſtantiſſimaque documenta voluntas tum locupletaret inſigniter apparatum, tum ſuppetiis ultro latis mirifice ſublevaret conditoris induſtriam. Non caruerunt *Antiquitates* hæ *Warwicenſes*, ſimul ac prodiiſſent, quem merebantur, applauſu; at vero, quinquaginta, & quod excedit, annis interim delapſis, ita fere in doctiſſimorum hominum Bibliothecis libri hujus diſparuerunt exempla, uti vix centeſimus ſatis noſſet, nedum legiſſet, vel proprium poſſideret. Movit hæc res Reverendum Virum, *Guilielmum Thomas*, patriarum antiquitatum non minus ſtudioſum, quam egregie peritum, ut jam A. 1719 publico Programmate emiſſo ſignificaret, novam ſe *Dugdaliani* Codicis editionem, ad ipſum Autoris αὐτόγραφον infinitis locis correctam, acceſſionibusque plurimis inſtructam, meditari. At vero protractum eſt diutius, quam ipſe voluerat, aut præceperat mente, laudatiſſimum inſtitutum, & poſt integrum demum decennium ad colophonem perductum; tum quod Bibliopola, qui ſumtus excudendo ferret non exiguos, deeſſet, tum quod aliam a *Dugdalio* fortunam experiretur, neque adeo faciles inveniret inter cives ſuos, qui, reſeratis templorum, locorum, familiarum, ſcriniis, promoverent abs ſe deſtinata exornarentque. Pervicit tamen vel tandem Cl. *Thomæ* induſtria ac patientia, & novo habitu *Dugdalium* gentilium ſuorum uſui repræſentavit. Dabunt illi dignam

Ccc

gnam laudis ac gratiarum mercedem; exteri autem, & Germani præſertim noſtri, quod optamus, illuſtre iſtud de patria bene promerendi exemplum pro ſua quisque facultate imitabuntur, &, quod laudabiliter huc usque jam fecerunt uno plures, ſingularium tractuum ac provinciarum deſcriptione luculentiori integrorum regnorum Hiſtoriis perfectius aliquando atque uberius tradendis facem præferent.

COMMENTARJ DE' FATTI CIVILI OCCORſi dentro la città di Firenze dall' anno MCCXV al MDXXXVII, &c.

h. e.

COMMENTARII RERUM CIVILIUM, A FLOrentinis ab anno MCCXV usque ad MDXXXVII geſtarum, Autore PHILIPPO NERLIO, Nobili & Senatore Florentino.

Auguſtæ Vindelicorum, apud Dav. Raimundum Mertz & Jo. Jac. Maierum, 1728, fol.
Alph. 4 plag. $4\frac{1}{2}$.

Philippus Nerlius, Florentinus, familia nobili & Conſulari natus, cum ampliſſimis in Republica patria muneribus functus eſſet, ad componendos Hiſtoriarum Commentarios, multorum civium ſuorum exemplo, ſe convertit, quos ejus familia ſuis uſibus ſervaverat, donec Autoris nepos, cui avus eos commendavit, *Franciſco II*, Magno Hetruriæ Duci, A. 1574 Codicem MStum afferret. Iverunt poſtea in manus doctorum hominum non adeo multorum, &, ut fit, deſcribendo pluribus mendis inquinati ſunt, unde permotus Editor librum, ad Hiſtorias Florentinorum cognoſcendas utiliſſimum, nunc emendatiorem, & ad avtographorum *Nerlinorum*, Florentiæ ſuperſtitum, fragmenta correctum, publici juris facere ſategit. In Operis veſtibulo *Philippi Nerlii* vita paucis pagellis comprehenſa exponitur, cui teſtimonia doctorum hominum de Commentariis *Nerlianis* inſerta ſunt. Abſolvuntur illi vero *duodecim Libris*, quorum priores *tres* rebus antiquis breviter delineandis deſtinati ſunt, cum ceteri ab A. 1494 ad 1537 de-

currant, & ea, quæ ipſius *Nerlii* ætate acciderunt, copioſa narratione complectantur. Quamvis enim primo, quod Autor animo conceperat, inſtituto ſolam quinquaginta recentiſſimorum annorum hiſtoriam perſequi conſtituiſſet; cum tamen poſtea intelligeret, ſine Guelficæ ac Gibellinæ factionum motibus, ex quibus ceteræ in Hetruria turbæ fluxerunt, ne illas quidem, quibus potiſſimum operam mancipaverat, hiſtorias ſatis cognoſci poſſe, dedit hoc Lectoris commodo, & antiquiora, temporibus ſuis lucem allatura, ex optimis Florentinorum Autoribus in compendium contraxit. Ceterum hoc illi peculiare eſt, quod unice civitatis ſuæ res geſtas, nullis vicinorum ac exterorum hiſtoriis admixtis, tradiderit, quod ut ſua laude, repetitionum evitandarum cauſa, non caret, ita, ſi quis Lectorum ignoratione rerum peregrinarum hæreat, præſto ſunt *Machiavellus*, *Guicciardinus*, *Segnius*, & alii plures, Noſtri defectum narrationibus ſuis facile ſuppleturi. Atque, ut minutiis, quas ſæpenumero admiſcuit, facile carere Lectores exteri poſſunt, ita domeſticis nunquam ingratum eſt, etiam in tenuitatem Hiſtoriæ patriæ deſcendiſſe. Genus dicendi ſectatur ſimplex, & Hiſtorico decorum, cetera perſpicuum, & ab Editore, notata in margine rerum ſumma, magis adhuc diſtinctum. Neque illaudatam præterire oportet operam, quæ in Indice ſatis locuplete collocata eſt.

Johann Lorenz Moßheims Sitten-Lehre der Heiligen Schrifft.

h. e.

JO. LAUR. MOSHEMII MORUM DOctrina Sacræ Scripturæ.

Helmſtadii, apud Chriſt. Frid. Weygand, 1735, 4. Alph. 3 plag. 8.

Is in rebus, quæ in orbe literato geruntur, totus eſt alienus, qui ignorat, ſcripta, quibus Ven. *Moshemius* rem adhuc ſacram & eruditam juvit, omne tuliſſe punctum. Atque iisdem fauſtis ac fortunatis auſpiciis hæc ipſa in lucem exiit Commentatio,

tio, cujus nunc indicem enuntiavimus. Expoſuit is morum doctrinam, a Servatore & ejus legatis præſcriptam, ſacrarum literarum cultoribus, qui in Academia Julia ab ipſius pendent ore. Singularis quædam offerebatur occaſio, qua cogitata ſua plenius elaborata publicis commodis conſecrare jubebatur. Vix inaudiverant hac de re Viri eruditi, cum uno omnes ore in votis habuerunt, ut ſuæ expectationi fieret ſatis. Horum ergo deſideriis ne diutius deeſſet Cel. Theologus, inſignem hic portionem iis tradidit, majorem adhuc reliquam, quam primum fieri poterit, traditurus. Tota morum doctrina, quam Chriſtiani profitentur, *binas* complectitur *Partes*, quarum *priore* interiorem animi ſanctitatem, *poſterior* vero externam exponit juſtitiam, morumque ac totius vitæ rationis innocentiam. Ex hac brevi perſpicuum eſt tabula, quid hac ipſa elaborata ſcriptione, in qua Operis ponuntur initia, contineatur, cujus hic compendiaria nobis danda erit enarratio. Internam nimirum animi ſanctitatem enucleare incipit, quam Servator ſuis inculcavit amicis, quamque per ſuam ipſe gratiam in iis effecturus eſt. Hæc vero pertractatio antequam ſuſcipitur, copioſa præmittitur *præparatio*, qua in hanc Chriſtianam mo- Pag. 1–70.
rum delineationem velut introducuntur lectores. Initium conſtituit *definitio*, quam ipſa res flagitavit, his concepta verbis:
Morum doctrina Sacræ Scripturæ eſt Scripturæ non minus, §. 1.
quam rationi, conſentanea collectio earum præceptionum ac veritatum, ſacris literis contentarum, quæ erudiunt hominem, quemadmodum ex ſtatu peccati ac naturalis injuſtitiæ in ſtatum gratiæ ac pacis cum Deo pervenire queat, tumque fidem interiorem & renovationem per externa bona opera demonſtrare ac declarare debeat. Hac explanata, oſtenditur, eam 2.
commodius ſolam, atque a dogmatum Theologia ſeparatam & ſecretam, tractari. Fundamentum Theologiæ Moralis cum
Scriptura ſit; ſequitur, ut morum doctorem in hac in primis 3.
exercitatum eſſe oporteat. Tum vero requiritur cujusvis veri- 4.
tatis moralis clara explicatio & ſolida demonſtratio. Nemo 5.
in hac re aptius verſabitur, quam vir per Dei gratiam ipſe
emendatus. Occurrunt hoc loco duo quaſi flexus cum cura 6.

Digitized by Google

§. 7. evitandi. Sunt, qui internam ſanctitatem ab externa, vel hanc
ab illa, ſeparare conantur. Alii aut ſevere nimis, aut nimis
8. molliter, in ea verſari ſolent. Diſcrimen intercedit aliquod
9. inter ſacram & philoſophicam morum doctrinam. Illa enim
Pag. 58 ſeq. ex *lege* Dei *ſcripta*, hæc vero ex *naturali*, ducitur. In illa
59. multarum rerum illuc pertinentium *demonſtrationes* clariori
ſplendent luce, quam in hac ſolent ſplendere. Extant in illa
officia quædam, &, quæ movent, *argumenta* eminentiora.
60. Accedit, ut illa etiam *media* commendet naturam ſuperantia,
62. & *fine* ac *propoſito*, quo valet, ſublimiori Philoſophiam vincat
§. 10. moralem, & longo poſt ſe intervallo relinquat. Finis ac ſco-
pus Chriſtianæ morum doctrinæ eſt purgatio primum interna
animi, tum vero & corporis externa, quæ ex illa proficiſci
11. debet. Quare in *duas primarias Partes* dividenda erit, quas
jam ſignificavimus. Methodus, ſeu ratio tractandi, qua uſus
eſt Cel. Autor, cum in præparatione, tum in pertra-
ctatione ipſa, una eſt & eadem. Argumenta rerum in certas
Paragraphos incluſa exhibet, tum vero horum ubique ſubjici-
tur *explicatio*. Liberior quidem iſta methodus, quæ nonnul-
lis hodie placuit, eſſe videtur, ſed eſt tamen etiam ejusmodi, ut
nativam veritatum colligationem oculis clariſſime ſubjiciat, o-
mnesque complicatas notiones debita explicet accuratione.
Teſtamur inprimis hanc eruditiſſimam ſcriptionem, noſtrum
Pag. 71 ſeq. hocce judicium extra omnem dubitationem collocaturi. His
recenſitis, ipſa nos *prior Pars* ad ſe vocat, indice, *de interna
ſanctitate animi, quam Scriptura poſcit*, inſignita. Hæc
vero in *tres* abit *Sectiones*, in ſingula iterum *Capita* diviſas.
73 ſeq. Sectio I, quæ ſola hic exhibetur, *de ſtatu naturæ, aut corru-
ptione hominis*, inſcripta eſt, hujusque *Cap. I de naturali ho-
74. minis depravatione* agit. Iſta elucet in *intellectu* ac *ratione*,
149. nec non in *voluntate*, cujus præcipue *libertas* quammaxime
156. corrupta eſt. *Libertas*, generatim ac univerſe ſpectata, eſt fa-
cultas voluntatis, iſtud ſemper perficiendi, quod intellectus il-
luminatus ac ſanus, poſt inſtitutam ſapientem & diſtinctam
deliberationem, bonum, ſalutare, ac utile, reperit. Hæc vero
ſicut in rebus ad *terrena* ſpectantibus, ita præſertim in *ſpiri-
tualibus*,

ſualibus, dici non poteſt, quantum infirmata ac enervata ſit. Pag. 174
Ineſt porro maxima in *cupiditatibus*, quæ ſedem habent in 179.
voluntate, corruptio, ſigillatim in vehementioribus animi con- 227.
citationibus, quæ *affectus* nominantur. Quid? quod ipſa quo- 304.
que *corporis conſtitutio* animo ſervit miſere depravato. *Cap.* 332.
II de cauſis, quibus homo in ſtatu corruptionis conſervatur, exponit. Atque hæ cum *intra*, tum *extra hominem*, quæruntur. Ad *illas* referri videmus 1) *craſſam ignorantiam* cum 337.
veritatum, quibus tota fundatur religio, tum *rerum*, ad ipſam religionem pertinentium; 2) *falſas & temere ſumtas opinio-* 364.
nes in *rebus fidei & vitæ*; 3) ipſum *vitæ genus*, *divitum* non 383.
minus, quam *pauperum*. Cauſæ poſterioris generis iterum ſunt partim *communes*, partim *ſpeciales* & *ſingulares*. *Communes* ſunt 1) *calliditas cacodæmonis*, qua imperium ſuum ſtudet 405.
amplificare; 2) *mala & inepta educatio*; 3) *prava exempla*; 439.
4) *exilis inſtitutio*, cum *tenerioris ætatis* in *exercitiis Cathe-* 461.
cheticis, tum *adultiorum* in *ſacris orationibus*; 5) *malæ con-* 470. 484.
ſuetudines, quæ irrepſerunt in *publicum Eccleſiæ Doctorum officium*, & rationem tum ipſos *conſtituendi*, tum *nutriendi*;
6) *nimia librorum impiorum & noxiorum copia*; 7) *contem-* 498. 508.
tus ac *contumelia ſanctitatem cum cura & ſingulari ſtudio* 515.
colentium. Ad *ſpeciales* quod attinet cauſas, non minus eo- 530.
rum, qui *mentis acie ceteros vincunt & autoritate*, quam *tenuiorum* ac viliorum, habenda erit ratio. Illis verba dant 1) 535.
irriſores ac *ſine omni religione ac fide homines*, qui magno inveniuntur numero; iisdem 2) obſunt *libri*, in quibus vera in 539.
Deum pietas ſuavi, jucunda, perſpicuaque proponitur ratione. Quin etiam his nocent 3) *impiæ controverſiæ*, *peſſimique mo-* 540.
res hominum, qui in Eccleſia docendi funguntur munere. His vero obeſt 1) *ipſum iſtud jugum ac onus*, quod ſic portare co- 543.
guntur, vix ut ullus ſpiritui ac menti locus relinquatur altius ſe efferendi; 2) *neglecta fere cura & providentia* miſeris ac 547.
egenis ſuccurrendi. Atque hic terminatur *Partis I Sectio I*, quam nunc elaboratam cum ſacra & erudita communicare civitate potuit Rev. *Moshemius*, per ſuum vitæ genus nimis varium, negotioſum, & conturbatum. Fatendum ſane eſt, & præ nobis

nobis ferendum, omnia hæc, quæ indicavimus, argumenta ſolide, pie, ac prudenter, nec non perſpicua & eleganti dictione vernacula, erectiorique orationis genere, pertractata eſſe. Non vulgaria & in medio poſita, nec aliorum dicta ſexcenties jam repetita, ſed ex interiori eruditione petita & lectiſſima, ipſamque propriam meditationem ſpirantia, hic inveniuntur. Unum, quod pulchrum in hac morum doctrina præcipuo quodam jure vocandum, hoc eſſe putamus, quod Cel. ejusdem Autor locos ſacros claſſicos, quos rerum teſtes citavit, nova ſæpius arte enodare molitus eſt, quam interior naturæ humanæ, phyſicæ ac moralis, contemplatio & exploratio ipſi ſuppeditavit. Ut adeo Vir Cel. eximio ſuo nos erudiat exemplo, quantum a Philoſophia, quæ in natura hominum contemplanda verſatur, eruditum ſanctiores tabulas explanandi ſtudium juvetur. Accedunt tres Indices: *primus* Autorum excitatorum perbrevis; *alter* locorum Sacræ Scripturæ longior; denique *tertius* rerum pertractatarum copioſiſſimus.

Quo cupidi harum rerum Lectores præſciant, quid in reliquo adhuc Opere expectandum ſit; ſumma cum iis capita, ex Præfatione excerpta, communicabimus. *Sectio II* de *mediis* exponet, quorum ope ex ſtatu naturæ homo liberatur. *Sectio III* de *ſtatu gratiæ* inſcribetur. Non eſt hic ordo longe arceſſitus & anxie quæſitus, ſed ex ipſa rerum natura ſuapte ſponte natus. Nec vero aliter ille ſe habebit ordo, qui in *Parte II* obſervabitur, uſu nimirum jamjam receptus. *Officia*, & *univerſa* & *ſingularia*, ſeparatim exponentur. *Priora* ad Deum, ad homines, quibuscum verſamur, atque ad noſmet ipſos, pertinent. *Poſteriora* vero ex diverſis ordinibus & vitæ generibus, in quibus hæc mortalis vita tranſigitur, unice ducentur. Initium hujus *ſecundæ Partis binæ* facient *contemplationes*, quarum tam late patebit utilitas, ut toti de externis operibus & hominum officiis doctrinæ lucem haud ſpernendam ſint accenſuræ. In *una* de legibus divinis, in *altera* de actionibus agetur hominum, quatenus ad illas referuntur. Qua oblata occaſione, multæ nobiles attingentur quæſtiones, de quibus morum adhuc doctores inter ſe diſſenſerunt. Hæc quidem

dem taciti præterire noluimus, Viris hac ratione doctis, qui veritatibus moralibus id, quod merentur, pretium ſtatuere didicerunt, ad bene ſperandum ſignum quaſi aliquod ſublaturi. Jubeat immortalis Deus Cel. Virum ſecunda uti valetudine, tantumque ei largiatur otii, ut fidem publice datam liberare, remque propoſitam, ſacræ Servatoris civitati utiliſſimam, perficere, valeat.

JUS NATURÆ ET GENTIUM, IN DUOS diviſum Tractatus, quorum primus continet Jus publicum univerſale, alter HUGONIS GROTII Jus belli & pacis explicatum, ſub Auguſtiſſimis auſpiciis Sacræ Cæſareæ & Regiæ Catholicæ Majeſtatis &c. in ejusdem perantiqua Univerſitate Friburgenſi Brisgoica, una cum Parergis ex Jure publico Imperii Romano-Germanici publicæ diſputationi ſubjectum a FERDINANDO SEBASTIANO L. B. DE SICKINGEN HOHENBURG, Autore & Præſide JOANNE SIGISMUNDO STAPFF, U. J. D. SS. Can. Jur. Nat. & Gent. ac Publici Profeſſore, nec non præfatæ Univerſitatis Seniore.

Moguntiæ, ex typographia Electorali Aulico-Academica Mayeriana, 1735, 4.

Alph. 2 plag. 13.

De Jure Naturæ & Gentium a *Grotii* ætate inde usque multi multa ſcripſere, pauci ea, quæ cum ipſis rectæ rationis principiis, & communibus gentium placitis, ubivis conſiſtere queant. Felicioribus inter hos Scriptores annumeramus Virum graviſſimum, *Joannem Sigismundum Stapff*, in Academia Friburgenſi Brisgoica doctorem publicum, ejusdemque Seniorem. Sive enim ordinem in ſcribendo, ſive variarum quæſtionum Juris publici explicationem, ſpectes, lecturo tibi librum, pauciſſima ſi exceperis,

Digitized by Google

ris, abunde ſatisfiet. Agedum, periculum faciamus, an de hoc judicio noſtro Lectorem ex ipſius Operis inſpectione convincere queamus. *Tractatus primus* libri continet Jus publicum univerſale, dividiturque in *Partes quatuor*. *Prima Pars duobus Capitibus* abſolvitur, quorum uno generalia quædam de hoc Jure, altero quædam de civitatibus, traduntur. Jus pro lege ſumtum eſt ab Autore. Legem vero ex mente ejus non recte definivit *Grotius*, quod ſit regula actuum moralium, obligans ad id, quod rectum eſt. Putat quippe, definitionem latiorem eſſe ſuo definito, quia complectatur ſimul præceptum, cum tamen differentia ſit inter legem & præceptum. Expeditiorem ergo arbitratur ſuam definitionem, quod *lex ſit ordinatio rationis in bonum commune, publica autoritate conſtituta, vel approbata, & promulgata.* Quoniam hac definitione generali niti debet diviſio hujus juris, pro lege ſumti, in naturale & poſitivum, iſta non ſatis adæquata nobis
Pag. 8. videbatur. Ipſo enim Autore judice, Jus Naturæ ex ipſa natura rationali, tanquam intrinſeca proprietas, profluit, & nobis congenita eſt. Quæ ſi recte ſeſe habent, Jus Naturæ maneat neceſſe eſt jus & lex, ſi vel maxime publica autoritate nec ap-
17. probetur, nec promulgetur. Improprie enim admodum dicitur Jus Naturæ promulgari per dictamen rectæ rationis. Sed meminimus probe, initio *Tractatus ſecundi* ita ſe excuſare Autorem, eſſe hunc morem JCtis, ut tam latam acceptionem vocabuli *legis* reſpuant, & hoc nomine illam tantummodo ordinationem appellent, quæ procedit a poteſtate publica ſeu jurisdictione, & bonum communitatis pro fine habet. Ac-
4. quieſcimus ergo, & ulterius progredimur. *Jus publicum univerſale* deſcribit eſſe illud, *quod ad ſtatus gubernationem, & conſervationem omnium, vel plurium ſaltem, civitatum, per ſe ac directe pertinet.* Conſtare enim iſtud partim ex præceptis naturalibus, quæ ad omnes, partim ex placitis gentium, quæ
5. ad plures, pertinent civitates. *Cauſam* ejus *efficientem* partim Deum eſſe, tanquam autorem naturæ, partim gentes; *ſubjectum* eſſe imperantes in ordine ad ſubditos, ſubditos in ordine ad imperantes & ſuam rempublicam, denique civitates vel omnes

mnes, vel plures inter ſe; *objectum* eſſe actiones publicas o- Pag. 6.
mnes & pacis & belli tempore. Quandoquidem hoc jure, quatenus ex præceptis naturalibus conſtat, populi omnes obſtringuntur, in §. 2 de Jure Naturæ agitur, cujus regulam non 7.
eſſe ait *ſocialitatem Puſendorfii*, quia non univerſale eſſet hoc 14.
principium; neque *Decalogum*, ſed hanc regulam: *Illud omne,* 15.
ſpectato Jure Naturæ, eſt licitum, præceptum, vel prohibitum, 16.
quod ſimpliciter & neceſſario expedit eſſe licitum, præceptum, vel prohibitum, ad felicem ſtatum naturæ humanæ; & quidem illud graviter eſt prohibitum, quod ſimpliciter & neceſſario expedit graviter eſſe prohibitum; illud vero leviter eſt prohibitum, quod ſimpliciter & neceſſario expedit leviter eſſe prohibitum. Optaremus, ut brevior paulo, ſaltem magis perſpicua, ſit regula. Neque pateſcit diſtinctio prohibitionum naturalium, quod vel graviter vel leviter aliquid prohibeatur, quamvis doctiſſimus Autor addat, ideo non omnia hac Juris naturæ regula prohiberi graviter, quia alias natura rationalis, ceſpitans ſæpe, non poſſit moraliter felicitatem conſequi, *ſepties* enim *in die etiam juſtum cadere.* Quid ſit illud, quod ſimpliciter expediat eſſe licitum, præceptum, aut prohibitum, noſcere cupis? Autor docet, eſſe hoc, in cujus licentiam homi- 18.
nes in ſtatu poſſibilitatis conſtituti, & de futura conditione ſua ac caſibus fortuitis adhuc incerti, conſenſiſſent, ſi ab autore naturæ fuiſſent conſulti, ut de licentia, præcepto, vel prohibitione, actionis ferrent ſuffragium. Regulæ adduntur tres de 20.
actionibus, quæ contra legis prohibitionem tentatæ ſunt, non tantum illicitis, ſed etiam aliquando invalidis. In ſequentibus proprietates Juris naturalis, rectitudo intrinſeca, normalitas, 21.
univerſalitas, uniformitas, τὸ non ignotum eſſe, & immutabilitas, recenſentur. De *Jure Gentium* exponit §. 3, eſſe *Con-* 30.
ventionem, qua gentes qua tales in ordine ad ea obligatione mutua conſociantur, quæ ad communem ipſarum felicitatem pertinent; non autem ſpeciem eſſe Juris Naturæ, nec virtutem legalem & obligativam a Deo habere, nec procedere ab omnibus gentibus collectim ſumtis; dividi vero in affirmativum & negativum univerſale & particulare, externum & internum, ſcriptum & non-ſcriptum. Ad non-ſcriptum pertinere ju- 37.

ra belli, repreſſalias, &c. Jus gentium eſſe mutabile, ab una tamen gente ſola mutari non poſſe. Circa Jus publicum univerſale ſuppoſitum fuit, genus humanum in diverſas coaluiſſe
Pag. 38. civitates; quare *Cap. II de civitate* agitur, & §. quidem *1* hæc definitur *cœtus hominum perfectus, ob civilem beatitudinem conſociatus, ſummoque armatus imperio.* Dividitur in ſimplicem & mixtam; ſimplex in Monarchicam & Polyarchicam, eaque rurſus in Ariſtocraticam & Democraticam. Dividitur ulterius in regularem & irregularem. Adduntur nonnulla de neceſ-
43. ſitate, origine, cauſis, fine, forma, & proprietatibus, quæ ſunt perfectio, libertas ab externo imperio, porro quod unius perſonæ moraliter a ſingulis diverſæ vicem ſuſtineat, item perpetuitas,
54. & quod ſocietas inæqualis ſit. *Civitates mixtas* dari poſſe,
63. modique, quibus mixtura contingat, oſtenduntur *§. 2;* in *3* vero agitur de *civitatibus irregularibus*, quæ a communi indole civitatum degenerant, vel ex defectu vinculi, ſi non omnia ejusdem civitatis membra inter ſe connexa ſint vi imperii, ſed quædam majeſtatis jura Regi & concilio optimatum, aut Regi
66. & populo, communia ſint; vel ex defectu ſimplicis regiminis, ſi non omnia ad gubernationem civitatis ab una poteſtate indiviſa proficiſcantur; vel ex defectu finis, ſi ſummi imperantes ſuum commodum primario, populi vero utilitatem per ac-
69. cidens tantum, & quidem non injuſte, intendant. Differunt ab irregularibus *civitates morboſæ*, quas explicat §. 4, docetque, oriri morbos civitatis vel ex malitia hominum in Monarchico, Ariſtocratico, Democratico, & mixto ſtatu, vel ex prava diſpoſitione ipſius civitatis, ſi leges non ſint genio populi accommo-
72. datæ. Ultimus §. exponit *Syſtema civitatis*, hoc eſt, corpus morale plurium civitatum, vinculo tam arcto inter ſe connexarum, ut, licet ſingulæ ſummum imperium retineant, figuram
77. tamen & ſpeciem unius civitatis præ ſe ferant. In *Parte ſecunda* de ſummo imperio, tanquam cauſa formali civitatis, diſſerit Autor, adeoque *§. 1* majeſtatis vocem explicat, diviſionesque addit in abſolutam & limitatam, patrimonialem & non patrimonialem, civilem & herilem, minus recte tamen a quibusdam, ait, dividi in realem & perſonalem;

§. 2

Digitized by Google

§. 2 de origine majeſtatis, ſive ſummæ poteſtatis; §. 3 de modis, quibus ſummum imperium in alios transfertur; §. 4 de ſucceſſione in regnis ab inteſtato; §. 5 de translatione ſummæ poteſtatis per occupationem bellicam, differit; in cujus Paragraphi ultima ſectione affirmatur, Jure gentium externo bellum publicum, etiam ex injuſta cauſa ſuſceptum, pro juſto haberi. In §. 6 diſquiritur, utrum etiam præſcriptio modus ſit acquirendi ſummam poteſtatem. Denegatur vero hæc ſubditis præſcriptio, ut incognita Juri naturæ & gentium, conceditur tamen iis circa jura majeſtatis extrinſeca, quorum uſum Imperator cum aliis communicare ſolet. *Paragr.* 7 de ſubjecto & objecto ſummæ poteſtatis civilis, §. 8 de forma, §. 9 de effectu & proprietatibus, §. 10 de contrariis ſummæ poteſtatis, agit, nempe abdicatione, alienatione, derelictione, & hac quidem tum facto quodam declarata, tum præſumta. *Pars tertia* jura ſummæ poteſtatis in ſpecie exponit, & tribus Capitibus abſolvitur, quorum 1) illa jura poteſtatis civilis nominat, quæ immediate perſonas reſpiciunt, videlicet jus ferendi leges, puniendi transgreſſores legum, jus conſtituendi magiſtratus, poteſtatem jus dicendi; 2) ea jura recenſet, quæ immediate res privatorum reſpiciunt, jus nempe imponendi tributa, imponendi vectigalia, alti & eminentis dominii; 3) jura ſummæ poteſtatis civilis in ipſum territorium memorat. *Pars quarta*, de juribus libertatis majeſtati connexis, in *quatuor Capita* diſpeſcitur, quorum 1) de jure belli, nomen, definitionem ac diviſionem belli, cauſas juſtas & injuſtas, cauſam efficientem, objectum & formam, effectusque belli publici, pertractat, & de arbitris compromiſſariis, ſorte, & ſingulari certamine, induciis atque commeatu, & repreſſaliis, agit; 2) de jure pacis, pacem in ſe ſpectatam, amneſtiam, obſides, pignora & aſſecurationes pacis, neutralitatem denique, explicat; 3) de jure fœderum, fœdera & ſponſiones diſtinguit; 4) de jure Legatorum, tum de Legatis ipſis, eorum miſſione, & officiis, exponit, tum immunitatem & inviolabilitatem illorum tuetur. *Pars quinta*, de ſubditis, diviſa eſt in *duo Capita*, quorum 1), de ſubditorum informans juribus, varios ſubditorum ſtatus, &

Pag. 84. 90. 101. 126. 134. 146. 155. 165. 177. 183. 237. 258. 261. 355. 397. 415. 438.

Pag. 453. jura illorum adverſus ſummos imperantes, commemorat, 2) obligationes ad obedientiam, patientiam, & fidelitatem, iisdem inculcat. Nimis longum foret, ſi *Tractatum ſecundum*, in libros *Grotii* de Jure belli ac pacis, a capite ad calcem pertentare vellemus. Ut tamen aliquo modo poſſit judicari, quid in eo præſtitum ſit, ſpeciminis loco quædam hinc inde collecta apponimus.
7. Ad *Lib. I Cap. 3*, in quo bellum dividitur in publicum & privatum, repetitur ex *Grotio*, non omne bellum privatum illicitum eſſe, ſive de ſtatu naturali, ſive de civili, ſit ſermo. Neque hoc jure divino novo prohibitum eſſe, declarat Autor. Apoſtolos quippe ait ad ultimum usque tempus Chriſto ſciente iter feciſſe armatos gladio, teſte *Luc. XXII, 36*, ubi inquiunt: Domine, ecce, duo gladii hic. Ergo, Apoſtolis, colligit, licitum fuiſſe adverſus latrones & alios injuſtos aggreſſores ſe defendere. Loca vero Biblica ex *Matth. V, 39*, *Rom. XII, 19*, *Matth. XXVI, 52*, quæ in ſpeciem adverſari videntur illi ſententiæ, de vindicta & ultione privata extra de-
9. fenſionis neceſſitatem dicit explicanda eſſe. Solent nonnulli adhuc dubium movere circa hanc veritatem de ſalute æterna proximi, præferenda ſaluti temporali vitæ propriæ. At ſcrupulum eximit Autor, oſtendendo, ſalutem æternam proximi tum demum præferendam eſſe ſaluti temporali vitæ propriæ, ſi jactura vitæ meæ temporalis proximo meo neceſſaria ſit ad conſequendam ſalutem æternam. Atqui falſum eſſe poſterius reſpectu injuſti aggreſſoris, qui, ſi ab injuſta aggreſſione deſiſtat, non tantum vitam temporalem conſervare, ſed &, ſi velit, ſa-
137. lutem æternam conſequi poſſit. Ergo nec prius ſtare poſſe. In *Lib. II Cap. 13*, de jurejurando, male contradicitur *Grotio*, & ſtatuitur, illum non jurare, qui animo deliberato quidem, ſimulato tamen, proferat verba jurantia, licet contra veritatem peccet. Quamvis enim verba jurantia animo deliberato fuerint prolata, non tamen fuiſſe prolata animo jurandi, & Deum in teſtem invocandi, ſed animo alterum decipiendi. Ergo, qui profert ejusmodi jusjurandum, illum non poſſe ex vi juramenti eſſe obligatum, cum eſſentia juramenti in invocatione divini
147. nominis conſiſtat, quæ tamen in propoſito deficiat. Ejusdem ge-

generis ſunt, quæ *Cap. XIV §.* 4 afferuntur, quando disquiritur, utrum ſummis imperantibus aliquid in promiſſiones ſuas juratas liceat. Reſpondetur enim, ſi Deo vel extero promiſerint, nihil ipſis in ejusmodi juratas promiſſiones licere, ſed, ſi juſtam relaxandi cauſam ſubeſſe putent, *eum adeundum eſſe, qui poteſtatem ſpiritualem habet.* Sin vero ſubdito aliquid jurato promiſerint, eos per indirectum ex iisdem cauſis juramenta ſua relaxare poſſe, ex quibus relaxare poſſunt juramenta ſuorum ſubditorum. Atque ex his nunc demum intelligimus, quare in approbatione Theologica, Operi præmiſſa, & a membro ſocietatis Jeſu confecta, tanto applauſu exceptus ſit liber, tanquam Opus numeris omnibus abſolutiſſimum, quod orthodoxus jam dudum expectaverit orbis, ne juventutem catholicam *hæreticis* & Apoſtolicæ ſedi parum honorificis principiis poſthac imbui contingeret. Gloriam haud vulgaris cognitionis legum & Juris publici neutiquam denegamus Viro, quod nec veritatis amor permitteret; ſed dolemus, ineſſe ſimul ejus Tractatibus, quibus placere magis ſtuduerit nonnullis, uti vidimus, quam veritatis cognitæ perſequi veſtigia. Nihil fortaſſe in hoc Opere deſiderandum foret, ſi abeſſent ea, quorum intuitu jam ab aliis hac laude inſignitum eſt. *Parerga* Pag. 209. ex Jure publico imperii Romano-Germanici, quæ in titulo Operis promittuntur, diu fruſtra quæſivimus, donec in ultima calce totius libri inveniremus dimidiam plagellam, inſcriptis triginta theſibus, quas L. B. *de Sickingen Hohenburg* in Academia Friburgenſi Briſgoica, Præſide *Stapffio*, publice ventilavit.

DAV. GEORG. STRUBENI COMMENTAtio de Jure Villicorum, vulgo von Meyerrecht, in qua origo & indoles contractus villicalis ex genuinis fontitibus antiquitatis, legum, ac morum, eruitur, & multæ quæſtiones juris colonarii, in foro obvenientes, enodantur, atque reſponſis & rebus judicatis illuſtrantur. Editio ſecunda, longe auctior. Adjecta eſt Obſervationum Juris & Hiſtoriæ Germanicæ Decas.

Hil-

Hildeſiæ, ſumtu & typis Juſti Henningi Matthæi, 1735, 4. Alph. 1 plag. 15.

Autor Conſultiſſimus, qui & dignitate, & eruditione multijuga, & lectionis aſſiduitate, eminet, Conſiliarius quippe aulicus Electoris Colonienſis ac Epiſcopi Hildeſienſis, Syndicus provincialis, ac Dicaſterii eccleſiaſtici Auguſtanæ Confeſſionis per Epiſcopatum Hildeſienſem Aſſeſſor & Conſiliarius, imo Judex, ante annos jam quindecim hoc Opus in lucem emiſerat, quod jam longe auctius prodit. Acceſſiones vero in eo conſiſtunt, quod doctrinas quasdam in dubium vocatas novis argumentis firmavit: quod, ubi ſibi lapſus videbatur, id ingenue agnovit, & errores emendavit, vel clarius mentem ſuam declaravit, quo ipſo viri probi menſuram implevit: quod largiorem ſegetem Conſtitutionum provincialium, quæ villicorum jura definiunt, & quidem ipſa Legislatorum verba, addidit, ut lector illico dijudicare poſſit, an dextre Autor ea ſit interpretatus: quod inſignem concluſionum practicarum numerum ſiſtit, quibus caruit editio prima: quod in adjecta Decade de nonnullis Juris & Hiſtoriæ Germanicæ capitibus diſſeruit ita, uti facile ex ungue leonem noſſe detur. Multa hic occurrunt in lucem demum protracta Diplomata & monumenta, ut Hiſtoricum Jurisprudentia ſolidiori imbutum haud facile deprehendas parem. Ubi diſſenſit ab aliis, modeſte & ſolide diſſenſit, ratus, id genus hominum, quod contumeliis in diſſentientes inſurgit, ad feces vulgi eſſe relegandum. Quod ipſum noſtro approbamus calculo, qui ad eruditionem ſolidam & ingenia primæ magnitudinis immunitatem a contemtu aliorum & mordaci ſcriptione requirimus. Quis enim eruditorum ex compromiſſo vel jurisdictione in alios eruditos tribunitiam autoritatem exercere poteſt? Decas adjecta complectitur obſervationes 1) de origine & progreſſu ordinis Equeſtris in Germania, juriumque ejus circa munera tam eccleſiaſtica, quam civilia & militaria; 2) de Miniſterialium dignatione; 3) de Collectarum & ærariorum provincialium origine, præſertim in terris Brunſuigo-Luneburgicis & Epiſcopatu Hildeſienſi; 4) de Statuum provincialium ſuperiorum Dicaſteriorum aſſeſſore

ſoribus; 6) de poteſtate judicum eccleſiaſticorum in cauſis civilibus; 7) de jure dirimendi lites de bonis eccleſiaſticis obortas; 8) de mortuario reali onere; 9) de ſignificatione vocum *Ambt* & *Voigtey* in literis feudalibus; 10) de Prædiis, quæ dicuntur *Sattelfreye Güter*. Ad Miniſteriales illuſtrandos afferuntur haud tralatitia. Delibabimus potiora. Docet & largitur Ill. Autor, nexum eorum adſtrictiorem fuiſſe eo, quo tenentur officiales & milites hodierni: non quibusvis liberis hominibus poſtponi Miniſteriales, ſed tantum liberis Dominis, qui primariæ nobilitati annumerabantur. Laudat tamen ipſe Diploma, in quo cives Hallenſes Miniſterialibus leguntur præpoſiti. Quod argumentum ut elidat, credit, ſcribas non ſemper ordinis ſollicitam habuiſſe rationem. Quod ſi verum eſt, illud utique erit lubricum argumentum, quod a poſtpoſitione diplomamaria deſumebatur. Per *liberos* haud intelligit eos, qui extra nexum feudalem fuere poſiti, ſed Miniſteriales. Addit, ſervitia & circumſcriptam libertatem haud arguere vilitatem Miniſterialium. *Vilitas* certe eſt *idea relativa* vocabulum, ideoque variam fundere definitionem aptum. In Hiſtoria Burggraviatus Noribergici occurrit quidam *de Seckendorf* dictus, qui vocatur *des Borggraven egben Man*. Negat Autor, Patricios Miniſterialibus fuiſſe melioris & honoratioris conditionis. Negat, Miniſteriales eccleſiarum honoratiores fuiſſe Miniſterialibus Principum. Negat, eos ex libertis fuiſſe ortos. Si quid ex veterum ſcriptis judicare licet, Miniſteriales nexu arctiſſimo fuiſſe credimus conſtrictos ob fidelitatem in conſiliis, muniis bellicis, jure ſtatutario præſtandam, genere frilingico vel nobili inviolato. Sed nolumus aliis ſententiam noſtram obtrudere. Illud unicum addere liceat, ſingulas Autoris doctrinas ita fuiſſe traditas, & argumentis inſtructas, ut non niſi milites, haud gregarii certe, ſed primi ordinis, in ipſum, ſi quid emendare velint, inſurgere poſſint. Noſtrum eſt, Viro tot negotiis circumſepto publicas agere gratias, quod rempublicam eruditorum ſcriptis limatiſſimis condecorare fuerit dignatus, honorificum id bonis literis interpretati, ſi viros muneribus honoratiſſimis ſpectabiles habuerimus ſocios & fautores.

Pag. 58. 57. 64.

Digitized by Google

ACTORUM MEDICORUM EDINBURGENſium Specimina duo, de Medicamento alterante ex Mercurio, & de Aurigine. Ex Anglico ſermone Latine reddidit PAULUS GOTTLIEB WERLHOF, *Doct. M. Brit. Regis Medicus Aulicus. Accedit Epiſtola ad Virum Illuſtrem* JOANNEM SAMUELEM *Nob. Dom.* DE BERGER, *Conſiliarium Cæſareum, & M. Brit. Regis Archiatrum, de iisdem argumentis, & Camerariano Auriginis remedio; ubi ſimul Diſputationi de laude febris poſtremum Corollarium additur.*

Hannoveræ, ſumtibus Nicolai Færſteri & Filii, 1735, 4.
Plag. 6½.

Vel ſolum Celeberrimi Interpretis nomen, a quo nil niſi cultum, niſi limatum, niſi politum, expectare licet, ſatis indicat, non e trivio petitum, aut jejune tractatum, eſſe utriusque Speciminis argumentum. Placuerant eidem adeo Medicorum Edinburgenſium Acta, ut, particulis his Latine, in publicos uſus, converſis, Germanis ſuis præſtantiam libri, qui paucis forſan adhuc viſus fuit, commendare, & aliquod in his evolvendi ejus deſiderium excitare, decreverit. Neque nos, quæ *Werlhoffio* placuerunt, omnibus aliis meliorum partium Medicis probatum iri, ullo modo dubitamus. Prius, quod Latine verſum prodiit, Specimen debetur *Plummero*, Socio Collegii Medicorum, & Profeſſori Medicinæ in Academia Edinburgenſi, ac de medicamento alterante ex Mercurio agit. Scilicet conſtat hoc ex æqualibus partibus Mercurii dulcis, ſexies ſublimati, & ſulphuris aurati Antimonii, more Angeli Salæ præparati, probe inter ſe mixtis. Immune id non ſolum ab aſperioribus Chemicarum Mercurii & Antimonii præparationum effectibus, ſed efficax etiam eſſe, contendit Autor, ad tollendas obſtructiones, in remotiſſimis quibusvis anguſtiſſimisque corporis canalibus ortas, idque per diaphoreſin inſenſibilem aut ſudorem. Sigillatim quoque ejus uſum prædicat in morbis cum defœdationibus cutaneis conjunctis, itemque in avertendo, poſt curatum morbum venereum,

reum, contagioſæ luis, facile recrudeſcentis, recurſu, & fecibus ejus everrendis, ubi forſan haud penitus per præcedentem medicationem exſtirpata fuit. In altero Specimine Autor Anonymus probatum it, Icteri cauſam immediatam & proximam nondum eſſe ſatis erutam, falſoque ab hepatis obſtructione, bilisque ſecretione impedita, repeti, ſed obſtructioni ſeu retentioni bilis jam ſecretæ, in ductu communi choledocho, aut in cyſtico, aut in hepatico forſan communi, eidemque utplurimum ob calculos cyſtidis felleæ prognatæ, deberi. In Diſſertatione Epiſtolari adjecta ad Illuſtrem Cellenſium Medicum, *de Berger*, Conſiliarium Cæſareum, & Magnæ Britanniæ Regis Archiatrum, primo Acta Medicorum Edinburgenſium extollit literatiſſimus *Werlhoffius*; poſthæc memorat, ſe, & *Bergerum*, & *Hugonem*, Archiatrum apud Hannoveranos Britannicum, pulvere alterante cum ſucceſſu uſos eſſe, *Glauberianam* tamen ſulphuris aurati præparationem præferendam eſſe alteri, quam Sala commendavit, quod hujus ſulphur nimis ſimile ſulphuri communi videatur. Dehinc diſputat contra *Pechlinum*, qui in Obſervationibus ſuis tradidit, Icterum a veſica fellea rariſſimum eſſe, & fallere nos obſervationum indices, quando eum nunc ab obſtructione veſiculæ felleæ, nunc etiam a calculo, deducant, & vero eſſe ſimilius, in ipſa maſſa ſanguinis latere fermentum, archeumve operantem, qui ſecretionem ſolidi texturæ debitam in fluido peragat, & τὸ χολῶδες centrale occultumque in ſuperficiem evocet. Neque vero unice a calculis ſelleis repetendam eſſe Icteri cauſam immediatam, idem *Werlhoffius* docet. Remedium, a *Camerario* contra Icterum propoſitum, Corticem ſcilicet Peruvianum, comprobat, & collaudat, & denique epicriſin Cl. *Gælickii*, haud ita pridem in ſe editam, quæ controverſiæ de Corticis Peruviani uſu, vel ex his noſtris Annalibus notæ, debetur, modeſte retundit.

BIBLIOTHECA CHEMICA ROTH-SCHOLTZIANA, darinne man alle diejenigen Autores findet, ꝛc.

h. e.

COLLECTIO AUTORUM FERE OMNIUM, qui de Naturæ arcanis, re metallica & minerali, item

 de

de melioratione corporum artificiali, &c. hermetice ſcripſerunt. Recenſentur etiam diverſæ librorum editiones, aliaque hujus generis Manuſcripta, hactenus inedita. Autore FRIDERICO ROTHSCHOLTZIO, *Herrenſtadio-Sileſio.*

Faſciculi V.

Norimbergæ & Altorfii, apud Hæredes Jo. Dan. Tauberi, 1725 – 1729, 8.

Alph. 1.

Aliquot abhinc annis Bibliothecam hanc Chemicam per partes edere inſtituit Cl. Autor, ſuperiore anno defunctus, eo ſcilicet conſilio, ut ad literarum ordinem ex Bibliothecæ ſuæ penu nomina Autorum, qui de lapide Philoſophorum, transmutatione Metallorum, gemmis, metallifodinis, mineralibus, herbis, animalibus, fontibus medicatis, acidulis, thermis, aliisque balneis, arte œconomica, & reliquis, quæ ad tria naturæ regna pertinent, quidquam literarum monumentis prodiderunt, ipſorumque opera ipſa, ratione inſcriptionis, variæ editionis, voluminis, ſive formæ, loci, & anni, quoad ſcilicet hæc comperire licuit, exhibita etiam in fronte cujuslibet Faſciculi, Chemici cujusdam illuſtrioris effigie, recenſeret, illisque ſimul vitas celebriorum Philoſophorum, ſive Chemicorum, neque minus Epiſtolas, de rebus Chemicis, aliisque, quæ eo ſpectare videntur, admiſceret. Quando autem Faſciculus primus jam denuo ad prelum revocandus fuit, mutata ſententia alium ordinem ingreditur, in Faſciculis tum recudendis in poſterum, tum recens publicandis, ſibi conſtitutum, ſecundum quem vitas Chemicorum atque Epiſtolas jam memoratas prorſus omittet, easdem ſupplementorum inſtar ſingulari in Collectione, cujus inſcriptionem jam exhibet, emiſſurus. Quoniam vero *Petri Borelli* Bibliotheca Chemica jam inter rariores libros numeratur, in poſterum paucos illos Autores, *Borello* quidem, ſed ſibi antea non, memoratos, in unum quaſi cum ſuis Faſciculum conjecturus, quemlibet iſtorum ſibi novorum hominum in locum ſuum, quem ipſi prima nominis litera aſſignat, immittere decrevit, ne habeant harum rerum curioſi, quod deſiderare hic queant. Ut-

que

que integer in horum manus veniat *Borellanus* liber, repetuntur nunc etiam in Faſciculo primo 1) titulus libri duplex, tum ex Pariſienſi, tum ex Heidelbergenſi, exemplo deſcriptus, 2) *Petri Borelli* Epiſtola dedicatoria, 3) ejusdem Præfatio, 4) ejusdem Epiſtola Chemica, D. *Thomæ de Riolet Xantoni*, Med. Doct. inſcripta, 5) ænigmatis *Mayeriani* in Themideaurea reſeratio. Ut itaque liber hic Bibliotheca Chemica *Borello-Rothſcholtziana* dici omnino mereatur. Exterorum cauſa in futurum quælibet verba Germanica Latinis typis exſcribentur.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE DES Sciences, A. MDCCXXIX, &c.

h. e.

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM A. 1729, una cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis ejusdem Anni.

Pariſiis, in Typographia regia, 1731, 4.
Alph. 3, Tabb. æn. 23.

In *Phyſica* aurora borea ſplendidiſſime apparebat d. 16 Nov. a 6 h. veſp. usque ad ſequentem 5 matutinam, in qua hæc in primis notanda, eandem natam eſſe quidem circa cœli borealiores regiones, aſt multo in meridionales partes profundius perveniſſe, quam hactenus obſervatarum ullam, ita, ut & arcus luminoſus 15 circiter minutis poſt mediam noctem, intra boream & ortum, exortus, per ipſum verticale punctum, usque ad oppoſitum horizontis intra auſtrum & occidentem, pertigerit. Latitudo inæqualis erat a 6 ad 12 usque gradus, & perpetuo radii luminoſi ex eo oriebantur, ceteris omnibus multo ſplendidiores Pluviæ ſumma 17^d 0 $\frac{5}{8}$ lin. thermometri ima altitudo d. 19 Jan. $9\frac{3}{4}°$, vento debili boreali, ſumma 21, 22 Junii, $78°$, barometri ſumma 28^d $4\frac{1}{2}$ lin. 6 Febr. 9 Mart. vento borrhapeliote, ima 22 Febr. 27^d $\frac{1}{2}$ lin. vento notolibyco cœlo obducto.

In *Anatomia* Salamandra ſpoliata tot mirabilibus attributis, ex aliis ac veritati melius conſonis capitibus non ceſſat miranda manere. *Du Fay* quasdam per ſex menſes ſine alimento conſervavit, aliquando muſcam ſemi-

mortuam, ova ranarum, aut portiunculam lenticulæ aquaticæ, comedebant, aſt ſine aviditate. Tantum abeſt, ut in igne degant, ut in aqua congelata potius congelentur & ipſæ, ſalva manente vita. In vere & æſtate ſingulis 5 aut 6 diebus, in hyemali tempore circiter ſingulis 16, cutem, adjuvante ore & pedibus, exuunt, aliquando ejusmodi cutes ſumme tenues & leviſſimæ in aqua natant, nonnunquam in extremo pedis remanet nonnihil veteris cutis, quod ſeparare haud valuerunt. Hæc particula fit ſphaceloſa, inficit pedem, hic putrefactus cadit, & Salamandra nil inde incommodi habet. Nonnullæ excernebant per inferius guttur corpus æqualis fere cum Salamandra longitudinis; videtur eſſe membrana quædam inferior, quam deponunt. Vita earum quantumvis dura ſit, tamen vix reſiſtere valet 3 minutis ſali pulveriſato, quod illis inſperſum mortale venenum eſt. *Du Fay* nunquam coitum earum obſervavit, nunquam ovula, quanquam liquoribus diverſorum caloris graduum injecta, pepererunt. *Maupertuis* contra in una Salamandra 54 parvulos omnes viventes detexit. *Winslow* more ſuo elegantiſſime de rotatione, pronatione, & ſupinatione, ſcripſit. *Senac* de diaphragmate, ejus ſtructura, uſu, diverſis, quas recipit in motu, formis, quidve conferat ad inſpirationem, diſſerit. *Hunauld*, de ſtructura & actione nonnullorum muſculorum cutis meditatus, ſublimem, profundum, & extenſorem inprimis, examinavit. *Lamorier*, Socius Academiæ Montiſpeſſulani, de nova methodo, fiſtulæ lacrymalis operandæ, exhibuit diſſertationem, ubi loco cauterii actualis inſtrumentum adhibet, quo os unguis frangitur, introducitur cereus, aliquando longius menſe adhibendus; & aſſerit, ſua methodo & magnas caries, os maxillare & ethmoideum jamjam lædentes, feliciter exſtirpatas.

In *Chymia Geoffroy* junior, de aceto vini frigore concentrato *Stahlium* imitatus, 18 partes aceti, frigore ad ſex, & alias 8 menſuras, frigore anno antecedente concentratas, ad duas & dimidiam redegit, quæ dein frigore non amplius congelabantur. In fine diſſertationis repetit, quid acetum frigore concentratum porrexerit, nempe acetum forte, dein per deſtillationem,

zed by Google

nem, absque ulla additione, ſpiritum vini, qui nulli ex optimis aquis vitæ extracto cedebat, acetum primum, fortius, quam ullum, ordinario proceſſu adeptus erat, ſecundum, primo multo fortius. A terra foliata, ultimum ſpiritum ſumme activum, ſpiritum volatilem urinoſum, ſal volatile in forma ſicca, oleum fœtidum, & tandem ſal alkali. *Petit*, Medicus, obſervavit, ſalis marini in aqua communi calidiori non plus diſſolvi, quam in eadem frigida, determinat dein, quantam partem ſalis nitri ſolvat aqua & in hyeme, & in æſtate, ac tandem hinc concludit, qua ratione ſal marinum in producendo nitro præcipitetur. *Boulduc* accuratiſſime ratiocinatus eſt de aquis mineralibus calidis *de Bourbon l'Archambaud* dictis. Invenit in illis ſal marinum, *Glauberi*, alkali, bitumen, ſeleniten, terram valide abſorbentem, & ferrum. *Lemeri* meditationes de borrace continuavit, &, quanquam ſal volatile ex ea elicere nec huc uſque valuerit, borrax tamen volatilis fit, ſi miſceatur cum acidis vitriolicis, imo facilitat horum acidorum elevationem, oleum inprimis vitrioli, aluminis, & ſulphuris ſola, multo fortiori indigent igne, quam ſi borrax iis admiſceatur. *Reaumur* acriter vaſis murrhinis inſidiatur. Medium hæc tenent locum inter vaſa fictilia, & vitrum; hinc ad ea perficienda opus eſt tantum ſemivitrificatione. Semivitrificatio hæc duplici via procedit; quædam enim materiæ vitrificari poſſunt, hæ igitur primo fictile, dein ſemivitrificatum quid, tandem vitrum, evadunt. Juſto tempore inter prius, & ultimum fornaci exemtæ vaſa murrhina erunt. Alia datur via, ſi miſceantur materiæ, facile in vitrum tranſeuntes, cum tali, quæ perdifficulter vitrificatur, ſubdatur ignis, tunc maſſæ pars vitrificata cum non vitrificata conſtituet quæſitam maſſam, ſi neceſſariæ ſit albedinis. Idem *Reaumur* in *Botanica* ſcriptum exhibuit, cur lapides, & cœmenta novarum ædium tam cito albedine perdita, quaſi fumo obducta appareant. Totam rem lichenibus, minimis plantis, tribuit, ac microſcopio maculas iſtas nigras examinans, infinitum lichenum deprehendit numerum. *De Juſſieu* novum ſpecificum contra dyſſenteriam, ubi Ipecacuanha nil valebat, itidem ex America allatum, nomine Simarouba, commendat. Cortex

tex eſt arboris, cujus *Dioſcorides*, *Plinius*, *Galenus*, & *Averroes*, meminiſſe videntur; bibitur fere ut decocta theiformia. *Du Hamel* vidit, & cum eo omnis mundus ſæpius, plantas, tempore ſumme calido & ſicco, pendentes & debiles, pluvia vel alia aqua affuſa brevi priſtinum acquirere vigorem, in quo nihil ſingulare. Sed *du Hamel*, & idem plantis accidere aquaticis, & iis ipſis, quæ perpetuo totæ ſub aqua latent, deprehendit, imo minæ tantum, ut loquitur *Fontenellius*, pluviæ ſufficiunt, i. e. cœlum tectum & tempeſtuoſum, ad reſtituendam plantæ vitam. Cum *Malpighio* tribuuntur plantis vaſa, quaſi tracheæ; aer nimis calidus has aperturas in eodem perpetuo conſervat ſtatu, hinc circulatio humorum lenta, gravis, ſtagnans; quid mirum plantam ſumme debilitatam apparere? Accedat pluvia, alteratur aer, liberior patet aeri epurato introitus & tranſitus in & per vaſa, humor vivide admodum circulat, hinc inſtauratur planta. Sed & absque pluvia aerem alterari, ac ſic plantam revireſcere poſſe, palam eſt. Senſitiva, ut notum eſt, die virideſcit, nocte contrahitur, idem vero fit, ſi ſenſitiva loco valde obſcuro includatur. Sentit ergo ſenſitiva diem & lucem, quanquam non videat.

In *Geometria* de *Lagny* inſiſtit calculo ſuo trigonometrico absque tabulis ſinuum, ac maximum & minimum hujus calculi adipiſci docet. *Nicole* in lineas tertii, vel curvas ſecundi inquiſivit ordinis. *Newtonus* in ſuo de iis Tractatu 72 ſpecies enuntiavit, quibus *Stirling* A. 1718, addidit quatuor, quarum *Newtonus* non meminerat, 31 dat *Nicole* æquationes, quas tamen ad 7 ſimpliciores reducit, ſed & hæ 7 in quatuor, quas vides, tranſeunt

$$xyy - ey = ax^3 + bxx + cx + f.$$
$$xy = ax^3 + bxx + cx + f.$$
$$yy = ax^3 + bxx + cx + f.$$
$$y = ax^3 + bxx + cx + f.$$

De Lagny uſum polygonorum rectilineorum arithmetice regularium ad menſurandas curvas edocet. Hæc polygona arithmetice regularia ea ſunt, quorum latera omnia commenſurabilia, quæque circumſcripta vel inſcripta curvæ, aut lineæ uni, e. g. radio,

Digitized by Google

radio, aut tot rectis, quot ad determinandam curvam requiruntur, commenſurabilia ſunt. Applicat theoriam ſuam *De Lagny* trigonometriæ, & 70 propoſitionum dimidium unum trigonometriæ planæ, alterum ſphæricæ, tribuit. In quovis triangulo conſiderantur 7 magnitudines, 3 latera, 3 anguli & ratio areæ triangulorum ſphæricorum ad hemiſphærium, quod eſt horum triangulorum maximum excluſivum. *Maupertuis* novam exhibet curvarum quarundam proprietatem. Curva quædam concava axem verſus, fit convexa verſus eundem. Punctum, ubi mutatur ſitus, dicitur punctum reflexionis, vel flexus contrarii. Fieri poteſt, ut curva in ſpatio tantum infinite parvo converſa verſus axem ſit, ac infinite parvo ſecundo, ſtatim iterum concava evadat. Punctum, ubi iterum mutatur, punctum ſerpentis *de Lagny* dicitur. Fieri itidem poteſt poſt punctum regreſſus, ut haud multum regrediatur curva, ſequenti ſtatim infinite parvo primam directionem reſumens, ita, ut interruptio curvæ non appareat; punctum, ubi hæ mutationes factæ, *de Lagny* punctum duplicis puncti dicitur.

In *Aſtronomia de Mairan* de motu diurno terræ, & rotatione circa axem, ratiocinatus, hæc per *Carteſii* vortices quam facillima explicatu credit, quod in *Newtoniano* ſyſtemate, ex ejus ſententia, ſi non plane impoſſibile, certe quam difficillimum. Supponit, corpora, ubicunque demum in vortice ſolari poſita, gravitare centrum, vel ſolem verſus, in ratione inverſa quadrati diſtantiarum ab hoc centro. Supponit porro, corporis in vortice revolventis partem graviorem ſemper obverti termino, unde veniat fluidum, & leviorem termino, in quem tendit fluidum. Propoſitio fundamentalis, quam præmittit, hæc eſt: Vim relativam fluidi contra hemiſphærium globi ſuperius majorem eſſe vi relativa contra inferius. Tandem concludit, ceteris paribus, eſſe celeritatem rotationis planetarum, in ratione compoſita, e directa diametri, & inverſa diſtantiæ. Applicat hæc Saturno, Jovi, Marti, Telluri, & Veneri. Sed Venus e *Blanchini* obſervationibus recentiſſimis ſpernit hanc theoriam. *De Molieres* problema proponit, cujus ſolutio inſerviat ad reſpondendum objectioni

vorticibus a *Newtonianis* factæ; ideo & *Carteſii* globulos perfecte duros cum *Malebranchio* in parvos vortices transmutat. *Maraldus* de ſecundo Jovis ſatellite, & inclinatione orbitæ, elegantiſſimas publicat meditationes. Primi nunquam immerſio & emerſio ſimul obſervatur, ſecundi aliquando, ſed rariſſime, utrumque contingit animadvertere momentum. Huc usque nodi 4 ſatellitum nondum promoti; aſt inclinatio orbitarum valde variata videtur. Hinc duratio eclipſium alia ac præcedente Seculo, aliaque immerſionum & emerſionum tempora. Omnes huc usque inſtitutæ obſervationes nondum ſufficiunt ad exacte determinandas has variationes, teſtantur tamen, inclinationem creviſſe ab Anno 1668 ad 1692, diminutam A. 1715 usque ad 1727. *Caſſinus* in cometam, circa finem Julii A. 1729 apparentem, meditationes legit, putatque illum nobis Jove propinquiorem, ac circa ſolem una cum reliquis planetis, ab occidente orientem verſus promotum, inclinationem autem orbitæ ejus vix determinabilem fuiſſe, cum toto apparitionis tempore non niſi 6 gradus cum dimidio percurrerit. Exhibentur eclipſeos Lunæ totalis 13 Febr. obſervationes, habitæ Pariſiis a *Maraldo, Caſſino, & Godino*, item Carræ prope Aurelianum a *Louvillio*, nec non eclipſis lunæ alterius d. 8 Aug. obſervationes *Caſſini & Godini* habentur. *Caſſini* obſervationes multas Aſtronomicas, in America inſtitutas, cum iis, quæ Pariſiis factæ, comparat.

In *Mechanica Coupletus*, poſt exhauſtas munitiones, ad concamerationes, fornices, ac teſtudines, procedit. Profundiſſima Geometria, & Analyſis, hic Architecturæ difficillimis applicatur operibus; dignum Opuſculum, quod ab harum rerum gnaris perlegatur. *De Louville* theoriam motuum variatorum exhibet, i. e. continue acceleratorum, vel retardatorum, cum æſtimatione virium corporis moti. In hac diſſertatione *Leibnitius* contradictionis accuſatur, ac *Bernoullius* Capite 7 Diſcurſus propoſiti, occaſione præmii Academici, refutatur. Videtur tamen æſtimatio virium non in omnibus caſibus eſſe eadem. Uterque, & *Louvillius*, & *Bernoullius*, ſub certis conditionibus verum defendunt. *Pitot* nonnulla proponit de aſſerculis molarum, torrente fluvii motarum, ac eorum latitudine

dine

dine & numero. Jungit ſecundam diſſertationem pro comparandis effectibus machinarum, ubi arbor, quæ aſſercula fert (*les ailes, ou aubes,*) perpendicularis eſt ad directionem fluvii, cum effectibus earum, ubi arbor parallela, ad fluminis directionem. Annectit tabulam impulſionis obliquæ aquæ, vel venti, in ſuperficiem unius pedis quadrati, ad omnes inclinationis angulos, 30 minutis creſcentibus, & unum pedem velocitatis ſingulo ſecundo, poſita vi totali perpendiculari 20000 partium.

Adduntur Elogia *Jo. Trucheti, Franc. Bianchini*, & *Jac. Phil. Maraldi. Truchetus*, natus Lugduni A. 1657, Geometriæ & Mechanicæ ſe dicarat. Et Dux Lotharingiæ, & *Petrus I*, eum viſitarunt. Stupendæ ſunt Machinæ, quas exhibuit, innumerarum figurarum compoſitiones, unico tantum principio moventes. Honorarius Academiæ ſocius A. 1690 factus, deceſſit d. 5 Febr. A. 1729.

Bianchinus natus eſt Veronæ d. 13 Dec. A. 1662. Quantus vir fuerit in Hiſtoria, antiqua præſertim, omnis generis antiquitatibus, Chronologia, Aſtronomia, notius eſt, quam ut multa de eo verba facere opus videatur. In Opere ſuo ultimo, Heſperi & Phoſphori Phænomena nova inſcripto, & Regi Portugalliæ dedicato, Veneris globum mira dexteritate, cura, felicitate, examinavit, mortuus d. 2 Mart. A. 1729. In Academiam receptus eſt A. 1705.

Maraldus natus eſt A. 1665 Perinaldi, Comitatus Nizzæ, magni *Caſſini* in patria. Romæ A. 1700 & 1701 adhibitus eſt in re Calendariographica. Catalogus ejus fixarum non niſi MStus extat. Mortuus eſt Cal. Dec. A. 1729.

B. GOTTLIEB WERNSDORFII, S. THEOL. Doct. & Prof. Publ. Prim. Conſiſt. Aſſeſſ. Templ. Paroch. Paſt. Prim. Superint. Gen. & Conſil. Eccleſ. Saxo-Querfurth. Diſputationes Academicæ, Dogmatici, Exegetici, Polemici, & Hiſtorici argumenti, cum Præfatione, Obſervationibus, B. Autoris vita, & Indicibus neceſſariis, tribus Voluminibus comprehenſæ, labore & ſtudio CHRISTOPH. HENRICI ZEI-

BICHII, S. Theol. Doct. & Prof. Publ. ad OO. SS. *Præpoſ. & Conſiſt. Vitemb. Aſſeſſ.*

Volumen I.

Vitembergæ, ſumtibus Jo. Joach. Ahlfeldii, 1736, 4. Alph. 4 plag. 16.

Clariſſimum eſt atque ſacrum Theologis nomen B. *Wernsdorfii*, Viri incomparabilis, & purioris doctrinæ vindicis acerrimi, cujus vita cum *Volumini tertio* deſtinata ſit a Venerando *Zeibichio*, Diſputationum collectore, ſpes eſt, viſuros nos ibi omnia, quæ ad laudem tanti Viri pertinere poterant; ut adeo ulteriori elogio nos ſuperſedere hic poſſe credamus. Roborat ſpem noſtram argumentum, in Præfatione a Reverendo Viro pertractatum. In hac enim per quinque plagellas curam, vigilantiam, ardoremque animi, Theologis ſuadet, & juſtum elenchi uſum adverſus diſſentientes defendit, facta deinde applicatione ad *Wernsdorfium*, qui medius inter mundi odia fidum ſe geſſerit Servatoris athletam. Ingenui candoris hoc quoque ſignum eſt, quod ingentem adverſariorum catervam, illorumque iniqua de B. Viro judicia, fido deſcripſit calamo, nec minori tamen jure encomia, ex præſtantiſſimorum hominum, etiam diſſentientium, ſcriptis collecta, adjecit. Exempla deinde voluminum, Diſputationes Theologicas complexorum, affert, & *Wernsdorfianas*, multo ſtudio ab aliquo inde tempore a multis quæſitas, eadem cura dignas eſſe, optime judicat. Ipſa harum argumenta pro diſcrimine partium Theologiæ, indicat, in hac Collectione ordinata eſſe, & loca Biblica integritati ſuæ reddita. Quo in poſtremo labore, locorum ſcilicet inſpectione & collatione, uſus eſt opera *M. Jo. Chriſtiani Sinteris*, συνέργυ in tantum laudandi, in quantum laudari debent, qui tædia tam injucundi ſterilisque laboris devorare didicerunt. Debet vero & hoc gratum acceptumque nobis in hac Collectione eſſe, quod nonnulla, B. Autoris manu in proprio ejus exemplari notata ad marginem, textui nunc in notis ſubjecta conſpiciuntur. Ipſa

Digitized by Google

pſa themata *priori* hoc *Volumine*, cui præmiſſa eſt B. Viri ima-
go elogiumque, a ſummo *Læſchero* ſcriptum, ſequentem in mo-
dum per Diſputationes 21 diſpoſita videmus. Primum inter
ceteras locum obtinet Diſputatio de Perpetuitate eccleſiæ E-
vangelicæ, habita Vitembergæ A. 1708. Sequitur deinde 2) Pag. 34.
de Verbo Dei ſcripto, ſive Scriptura ſacra, habita ibid. A. 1708;
3) de Gratia Spiritus S. docente, hab. A. 1709; 4) continet aſ- 68.
ſertionem ſanæ doctrinæ de gratia Spiritus S. docente, hab. 100.
A. 1710; 5) ſiſtit aſſertionem ſanæ doctrinæ ulteriorem de 120.
gratia Spiritus S. docente, hab. A. 1710; 6) exhibet nonnulla 146.
de Circumciſione ſegmenta, hab. A. 1711; 7) de Reliquiis ima- 172.
ginis divinæ, hab. A. 1710; 8) de Simplicitate in Chriſto, ex 196.
2 *Cor. XI, 3*, hab. A. 1711; 9) de poteſtate Principis circa Sym- 227.
bola civium in religione ab ipſo diſſentientium, hab. A. 1711;
10) de Arndtianis de vero Chriſtianiſmo libris, hab. A. 1714; 246.
11) Summam tradit ſanæ doctrinæ de Polygamia, hab. A. 1716. 294.
In hac Diſputatione *pag. 313 lin. 19* & *20* inſignis deprehendi-
tur error typographicus, lectori moram faciens, ita tamen
corrigendus, ut principium lineæ poſterioris, exhibens ſylla-
bas *lccunque*, fiat caput lineæ prioris, nihilo deinde amplius
mutato. 12) agit de Επιεικείᾳ Evangelica, hoc eſt, admirando
juſtitiæ gratiæque divinæ temperamento, ſpeciatim in Articulo 351.
Renovationis, hab. A. 1720; 13) de Cauſis turbarum in eccle- 447.
ſia, hab. A. 1721; 14) de Prudentia in cantionibus eccleſiaſti- 471.
cis adhibenda, hab. A. 1723; 15) de Animarum ſeparatarum 527.
ſtatu, earundemque cum vivis commercio, hab. A. 1725; 16)
de Termino vitæ non fatali, hab. A. 1703; 17) An peccata ſe- 578. 607.
mel remiſſa homini relapſo denuo imputentur? hab. A. 1708;
18) de Communione fidelium cum Deo & inter ſeſe, hab. A. 638.
1709; 19) de Commercio Dei & hominum, hab. A. 1712; 20) 662.
de Divinis revelationibus, earundemque varietate, hab. A. 1713; 687.
21) de Abſolutiſmo morali, eoque Theologico, hab. A. 1715. 700.
Addita ſingulis ſunt nomina eorum, qui Reſpondentium vices
ſuſtinuerunt, in quibus ſunt nonnulli magnis in Eccleſia
Dei muneribus admoti. Qui de ſolida *Wernsdorfii* doctrina,
& ſingulari, ſcriptis non minus, quam ore, docendi dexteri-

 tate,

Digitized by Google

tate, vel fando audivit, non poterit caram ſibi non reputare Collectionem hanc, qua tam egregii Viri labores Academicos poſteritati conſervatos videt. Neque pœnitebit quemquam hujus opinionis, ſi argumentorum varietatem atque præſtantiam ſecum ponderaverit. In votis potius habebit nobiſcum unusquisque, cui optima legere volupe eſt, ut; quæ promiſſa ſunt, reliqua *duo Volumina* cum Indicibus & vita B. Autoris brevi nobis exhibeantur.

INSTRUCTIO PRACTICA THEOLOGIÆ Myſticæ, facilem & practicum modum exercitia ſpiritualia S. P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi, item triduanam recollectionem fructuoſe inſtituendi, complectens. Sacerdotibus præcipue, aut de ſacerdotali ſtatu ſuſcipiendo deliberantibus, accommodata. Autore R. P. TOBIA LOHNER, *Societ. Jeſu Presbytero.*

Venetiis, typis Jo. Baptiſtæ Albrizzi, Hier. fil. 1736, 8. Alph. 1 plag. 18.

Mos invaluit dudum, ut per Theologiam Myſticam deſignetur habitus, animique promta facultas, in ſublimi ac ecſtatica rerum cœleſtium contemplatione conſiſtens. *Maximilianus Sandæus*, aliique, eam definierunt per *notitiam contemplativam Dei ſapidam.* Ad Mæandros hujus diſciplinæ in formam artis redactæ referunt ſeceſſum, intuitionem, ſilentium, ſuſpenſionem, quietem, ebrietatem, ructum, unionem, mortem, liquefactionem, fervorem, languorem, oſculum, illapſum, tactum, amplexum, locutionem, auditionem, ecſtaſin, raptum, & apparitionem myſticam. De hiſce monet Autor in Præfatione: *Hæc non niſi iis ordinarie communicantur, qui, in ſublimi perfectionis gradu conſtituti, per intimam cum Deo familiaritatem ſe ad ejusmodi donum & favorem extraordinarium percipiendum diſpoſuerunt, & ipſa divino potius, quam humano, magiſterio addiſcitur.* Ipſe vero per Theo-

Digitized by Google

Theologiam myſticam intelligit eam Theologiæ partem, *quæ in myſteriorum divinorum affectuoſa meditatione occupatur, ita, ut ex conſideratione myſteriorum non ſpiritualis duntaxat ſenſus & doctrinas, ad illuſtrandum intellectum pertinentes, eruat, ſed variis etiam motivis ad easdem doctrinas in praxin redigendas voluntatem impellat.* Eundem vocis ſignificatum jam adhibuit *Philippus Alegambe*, qui in *Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu*, inter alios titulos, in Indice materiarum poſitos, hunc etiam poſuit: *Theologia myſtica, ſeu meditationes & preces.* Autor addit, *Ignatium Loyolam* ex ſingulari divini ſpiritus inſtinctu exercitia ſpiritualia, in ſeceſſu peragenda, excogitaſſe. Addimus & ipſi, quod variis in locis congregationes ſacerdotum inter Pontificios erectæ ſint, quibus ſacerdotes ſunt adſcripti, qui ſingulis annis per octo dies jubentur exercitiis ſpiritualibus vacare. Quibus cum non ſemper director ac præfectus ſit ad manum, Autor operæ pretium ſeſe facturum exiſtimavit, ſi brevem hanc eis subminiſtraret inſtructionem, complura in poſterum daturus, ſi ſuperiores annuerint. Exſtant jam pridem Inſtitutiones hujus farinæ. In eo tamen triumphat hæc Inſtructio, quod ad indolem recentiſſimam, certosque ſimul hominum ſtatus ſpeciesque, ſit accommodata. Liber ipſe bipartitus eſt. *Pars prior* complectitur principia generalia, quæ ad cognoſcendam exercitiorum ſpiritualium formam, dignamque eorum æſtimationem animo concipiendam, pertinent; *poſterior* oſtendit, quo pacto principia illa ſpeciatim ad varios hominum ordines attemperari poſſint. Id eo conſilio fecit Autor, ut *Pars prior* apta ſit ab inſerviendum ſecularibus, *poſterior* religioſis. *Prior* diſpecitur in *Capita tria*, quorum *primum* ediſſerit naturam exercitiorum ſpiritualium, *ſecundum* continet eorundem præſtantiam, *tertium* vero adminicula, quæ ad exercitia illa fructuoſe expromenda faciunt. Si quis magis particularia ſcire aveat, ei indicamus, tribus hiſce *Capitibus* agi de ordine in exercitiis illis obſervando, de meditatione, de conſideratione, de vocali oratione, de lectione ſpirituali, de examine generali & particulari, de confeſſione generali, de collatione ſpirituali, de ele-

electione, de directione exercitii, miniſtro, collocutoribus, & loco. Adjunguntur hiſce neceſſitas & utilitas exercitiorum hujusmodi, temporis fructuoſa collocatio, peccatorum converſio, confeſſionis integritas, pœnæ temporalis remiſſio, virtutum ſtudium & augmentum, meritorum incrementum, præparatio ad officia rite obeunda, zelus animarum, perfectionis impetratio, diſpoſitio optima ad mortem pie & feliciter obeundam, eccleſiæ & familiarum religioſarum incrementum,
Pag. 72 ſeq. majus divinæ gloriæ incrementum. Adduntur jucunditas & præſtantia exercitiorum, teſtimonia varia de eorum utilitate & fructu, & quæ hiſce ſunt affinia. Variæ paſſim inſperguntur formulæ adorationis, ad Sanctos ſeu Divos directæ, *pag. 110, 116 ſeq.* &c. Curriculum humanarum actionum confertur cum
101 ſeq. horologio ſatis venuſte. Dicta vero, e ſacris literis decerpta, hinc inde ad aſcemata hæcce vel comprobanda vel illuſtranda transferuntur, quibus nihil de illis continetur; quales accommodationes liberiores ſcriptores aſcetici ſibi plerumque indulgent. *Pars ſecunda Capite primo* exercitia octiduana complectitur, *ſecundo* triduanam recollectionem, a ſacerdotibus Clericisque inſtituendam, differit. Perplacent ea, quæ de probatione ſpirituum, eorumque diſcretione, fuerunt allata *pag. 455 ſeq.* nec non de linguæ cuſtodia, ſacerdoti neceſſaria, *pag. 269 ſeq.* Autor conditionem animæ, Deo gratioſæ, conſolationis ſuavitatem divinam haud perſentientis, vocat *deſolationem.*
495. Ipſe interrogat, quid ſit ſpiritualiter mori & crucifigi cum Chriſto? reſpondet, illam ἄσκησιν in eo collocans, *ut omni affectu inordinato erga creaturas exutus, per tres clavos, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, te affigas cruci, id eſt, mandatorum & regularum aut conſtitutionum tuarum obſer-*
441 ſeq. *vationi.* De purgatorio affert meditationem, quam parabolæ de villico injuſto ſuperſtruit. Cultum ſanctorum Patronorum inædificat idem parabolæ de grano ſinapis, a *Matthæo Cap. XIII* expoſitæ, *conſidera*, inquiens, *quam convenienter huic ſinapi*
508. *regnum cœlorum, volucribus vero in arbore hac habitantibus Beati comparentur, utpote de quibus S. David Pſ. LXXXIII dixit:* Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in ſecula ſeculo-

Digitized by Google

culorum laudabunt te. Sacerdotibus ſuadet, ut eligant ſibi unum aut alterum patronum, ſpiritu eccleſiaſtico & clericali præ ceteris imbutum, & Sacerdotum bonorum efficiendorum, dum adhuc viveret, præcipue ſtudioſum, ac quotidiano obſequio aut oratiuncula vel litania venerentur, e. g. S. *Chryſoſtomum*, S. *Carolum Borromæum*, S. *Franciſcum Saleſium*, S. *Ignatium Lojolam*, *Philippum Nerium*, & ſimiles. Peccatum, a *Petro* admiſſum, fuiſſe graviſſimum, haud inficiatur Autor, addens, Jeſum reſpexiſſe *Jo. XXI* ad ternæ abnegationis delictum, quo *Petrus* ſeſe alligaverat. Credimus, fore, ut Lector ex hac promulſide, hinc inde conquiſita, de libro ipſo ferre queat ſuffragium.

Pag. 626 ſeq.

559 ſeq.

TRACTATUS THEOLOGICI MORALES de Conſcientia, & de Peccatis, methodo Scholaſtica diſpoſiti a R. P. CAJETANO CORAZZA, Romano, Cler. Reg. Minor. S. Theol. in Collegio de propaganda Fide Lectore, Supremæ Inquiſitionis Qualificatore, & Cleri Urbis Examinatore.

Venetiis, apud Laur. Baſilium, 1735, 4.
Alph. 2 plag. 18.

Rev. P. *Corazza* in hiſce Tractatibus ſententiam cœtus ſui candide ſatis profeſſus eſt. *Tractatus primus* conſtat tam tribus Diſſertationibus generalibus, de conſcientia in communi, de conſcientia in particulari, ſive de ejus ſpeciebus, deque opinione probabili, quam una Diſſertatione ſpeciali, an ſit licitum, ſequi opinionem alienam minus probabilem, relicta opinione propria probabiliori, in quæſtionibus, verſantibus circa honeſtatem actus vel objecti cujusdam. Circa hanc nobilem quæſtionem ventilandam quatuor ſententiarum divortia recenſentur, a nobis pariter recenſenda, deinceps vero ab Autore in quartam harum ſententiarum pronuntiatur, quam benignam dicit, ita nimirum: Eſt licitum, ſequi opinionem minus probabilem, etiam alienam, relicta opinione propria, etiam probabiliori, dummodo operans cognoſcat eviden-

Pag. 1. 9. 32. 59.

Digitized by Google

tia reflexa probabilitatem opinionis, quam eligit, & formet judicium practicum certum, quod licitum ſibi ſit, in praxi eam ſequi. Hæc ſententia oppoſita eſt plerisque S. J. ſodalibus, quorum Probabiliſmus vulgo notus, & ab *Innocentio XI* damnatus eſt, & illis, quos Autor appellat *Rigoriſtas*, v. c. *Janſeniſtas*, qui in omnibus actionibus ſententias requirunt omnino certas & evidentes, rejectis probabilibus, denique illis etiam, quos vocat Probabilioriſtas minus rigidos, qui pronuntiant, non eſſe licitum, ſequi opinionem alienam minus probabilem, relicta opinione propria probabiliori. *Tractatus alter*, de Peccatis, conſtat ſeptem Diſputationibus, quarum 1) agit de
Pag. 106. peccato actuali in communi, 2) de peccato actuali in parti-
119. 175. culari, 3) de diſtinctione peccatorum, 4) de comparatione
189. 204. peccatorum inter ſe, 5) de cauſis influentibus in peccatum, & ab illo excuſantibus, ubi de ignorantia, de paſſione, de mali-
227. 261. tia, diſſeritur, 6) de aliis cauſis, excuſantibus a peccato, v. c.
290. impotentia, violentia, metu, 7) de peccatis capitalibus in ſpecie, in quibus numerat ſuperbiam, avaritiam, luxuriam, qua ipſa quælibet peccata contra ſextum præceptum comprehendit, gulam, ebrietatem, iram, & acediam, de quibus copioſiſſime omnium diſſerit. De ſingulis argumentis Dubia ſive Caſus conſcientiæ enodare ſtudet, & ſat ſubtiliter nonnunquam ſpeculatur. Utrique horum Tractatuum ſui ſingulares additi ſunt Indices.

Gründlicher Bericht von der Privat-Beichte und Abſolution, &c.

h. e.

SOLIDA INFORMATIO DE CONFESSIONE & Abſolutione privata in Eccleſia primæva & Evangelico-Lutherana, a præclari nominis Theologo literis conſignata, atque cum Præfatione in publicam lucem emiſſa ab ERDMANNO NEUMEISTERO, Paſtore ad D. Jacobi apud Hamburgenſes.

Lipſiæ, apud Jo. Adam. Melchiorem, Bibliopolam Jenenſem, 1735, 8.

Plag. 13.

Gründ-

Digitized by Google

Gründliche Betrachtung der Evangeliſch-lutheriſchen Lehre von der Beichte, ꝛc.

h. e.

SOLIDA CONSIDERATIO DOCTRINÆ Evangelico-Lutheranæ de Confeſſione, in qua huc facientes divinæ veritates ad Sacræ Scripturæ normam, & rationem docendi primitivæ Eccleſiæ Patrum, exiguntur: cui Appendicis loco ſubjunguntur Quæſtiunculæ nonnullæ, quæ doctrinæ Evangelicæ de ſella confeſſionaria oppoſitæ ſunt, cum reſponſione ad easdem.

Lubecæ, apud Petr. Bœckmannum, 1737, 8.

Plag. 22.

Ex merito jungimus binas has de eodem argumento conſcriptas Commentationes, quas una eademque cauſa provocavit, novaturiendi nempe circa hanc doctrinam pruritus, qui ex aliquot annis, poſtquam hinc inde alios vellicavit, in Danicæ etiam Eccleſia quorundam animos invaſit. Eximium autem Theologorum par in vicinia Slesvico-Holſatorum hinc excitatum eſt, ut libellos hos, graviter & erudite ſcriptos, nova omnia molientibus opponeret, iisdemque, ſi fieri poſſet, a recto tramite aberrantes in viam revocaret: quod uti inſigni argumentorum pondere, & omni, qua par eſt, & quæ tantos Viros decet, animi moderatione, præſtitum eſt, ita, ut veris illorum nominibus, quæ illi quidem reticenda putarunt, nobis autem ex certo innotuerunt, quodlibet horum ſcriptorum aſſignemus, haud abs re futurum eſſe exiſtimamus. Prius namque illud, quod Ven. *Neumeiſteri* obſtetricante manu in lucem prodiit, Autorem habuit Virum egregiis in rem ſacram & Eccleſiaſticam meritis conſpicuum, *Chriſtian. Gottlieb Kochium*, Doctorem Theologum, & in Academia Kilonienſi Ordinis Theologorum Aſſeſſorem, qui in Diœceſi Apenradenſi apud Slesvicenſes per triginta, & quod excurrit, annos cum autoritate Præpoſiti Eccleſiis præfuit, nuper autem, hoc ipſo anno 1736, die 23 Jul. relicto bonis omnibus ingenti ſui deſiderio, ab hac ſtatione

Digitized by Google

ſua ad cœleſtes ſedes evocatus eſt. Alterum autem horum ſcriptorum Autori debetur Viro S. Rev. *Petro Hanſenio*, Sereniſſ. Ducis Plœnenſis a ſacris Concionibus & Conſiſtorii Conſiliis, Eccleſiarum etiam Principatus illius Præſuli graviſſimo, de quo, etiamnum ſuperſtite, habet, cur ſibi gratuletur cœtus Chriſti purior, &, ut arctis in rebus curis ejus & conſiliis uti quam diutiſſime liceat, ſeriis a Deo precibus contendat. Præmiſſa hac Autorum notitia, ad ipſarum quoque Commentationum notitiam quandam afferendam, quantum per brevis recenſus limites datum fuerit, nos accingemus. Venerandi *Neumeiſteri* Præfatio, *Kocbianæ* lucubrationi adjecta, de novaturientium hodiernorum moliminibus docet tum in genere, quomodo omnibus dogmatibus, ſingulis Auguſtanæ Confeſſionis Articulis comprehenſis, ſe iniquos præſtiterint, tum in ſpecie, quomodo in ejusdem *Articulum XI* de Confeſſione & Abſolutione omne virus ſuum eructarint. Ipſe B. *Kocbius* autem laborem ſuum *VIII Capitibus* in univerſum diſtinxit. *Cap. I* de remiſſione peccatorum præcipit, eamque ut opus Dei, mediate per Miniſtrum verbi adminiſtrandum, deſcribit, quod tum ipſius S. Scripturæ, tum antiquorum Patrum Eccleſiæ, teſtimoniis ſibi communiendum ſumſit. *Cap. II* actus illos in œconomia gratiæ divinæ commemorat, cum quibus remiſſio iſta peccatorum conjuncta eſt, quo loco S. Baptiſmatis lavacrum & pœnitentiam habet. *Cap. III* pœnitentiam illam, qua poſt Baptiſmum peccatorum remiſſionem homo conſequitur, ſeorſim exponit: adductisque ejus nominibus, primum declarat, qualis pœnitentiæ ejusdem ratio in primitiva Eccleſia fuerit, ſiquidem atrociora & graviora delicta publicam etiam requiſiverint exomologeſin, ad eamque majorem, quam *Auguſtinus* dixit, pœnitentiam publica etiam ab Eccleſiæ Miniſtris abſolutio per manus impoſitionem irrogata ſit: tum *Cap. IV* pœnitentiæ privatæ rationem oſtendit, ejusque uſum ex eo, quod ad occultorum peccatorum confeſſionem privata quoque ſacerdotis abſolutio in prima jam a Chriſto inſtituta Eccleſia locum habuerit, *Origenis* potiſſimum nixus teſtimo-

ſtimonio comprobat, idque teſtimonium, aliorum etiam aſſenſu munitum, non modo ad cauſam hanc firmandam ſatis idoneum eſſe contendit, ſed & ſimul ab exceptionibus quibusdam liberat. Ut porro *Cap. V* Autor progreditur ad faciem confeſſionis æque ac abſolutionis privatæ in Eccleſia Græca ſive Orientali declarandam; ita & *Cap. VI* fata viceſque ejusdem, quas in Eccleſia Latina ſive Occidentali ac Romano-Pontificia potiſſimum ſubierit, ob oculos ponit: in qua quidem tractatione doctiſſimæ ſunt, quæ in hanc cauſam utrinque afferuntur, animadverſiones, de quibus tamen, quod ab inſtituto paulo remotiores ſunt, haud plura ſeorſim hic referemus. Ad rem præſentem inprimis facere nobis videntur, quæ poſtremis *duobus Capitibus* pertractata ſunt. Sic namque *Cap. VII* primum confeſſionis & abſolutionis privatæ facies & forma exhibetur, qualem ſacra B. *Lutheri* opera inprimis conſecutæ ſunt; quæ res tum ipſius *Lutheri*, tum Librorum Eccleſiæ noſtratis Symbolicorum, teſtimoniis in medium allatis declaratur: mox autem ſubjicitur recenſus eorum, qui, vel fanatico vel quocunque demum abrepti ſpiritu, ex illo tempore infenſos admodum divino & ſaluberrimo huic inſtituto ſe præbuerunt. Quorum proinde molitionibus ut obviam iretur, *Cap. VIII* & ultimo tum retinendæ confeſſionis & abſolutionis privatæ neceſſitas & utilitas, adductis, & ex parte e ſuperiori tractatione repetitis, argumentis, adſtruitur, tum quoque damna & incommoda commonſtrantur, quæ ex eisdem abrogatis in Eccleſiam & veræ pietatis praxin redundatura ſint: ad quam utramque cauſam quæ hic allata eſt vis probandi, cum a nobis hic quoque videatur repetenda, eam tantiſper differemus, donec ex altero Scriptore, qui eandem haud minori contentione urſit, de eadem referre ſtrictim liceat.

Ad *S. R. Hanſenii* igitur Commentationem nunc accedentes, ab eodem, poſt præmiſſum Procemium, in quo inſtituti rationem ediſſerit, ipſam tractationem per *XII Capita* diſtributam offendimus. Rem totam autem ab ovo, quod ajunt, itidem exorſurus, *Cap. I* de remiſſione peccato-

rum agit, eandemque proprium & ſolutiferum omnino officii Chriſti mediatorii fructum & effectum eſſe contendit, quod ubi tum *Joannis*, Chriſti præcurſoris, tum ipſius Servatoris, tum denique & Apoſtolorum, *Petri*, *Pauli*, *Joannis*, in medium allatis teſtimoniis ſatis probatum dedit, ad *Cap. II* progreditur, quo, Chriſtum, redemtorem noſtrum; non modo docuiſſe, poteſtatem remittendi peccata ſibi, qua humanam naturam, fuiſſe datam, ſed & eandem, dum in his terris vixit, re ipſa in multos exercuiſſe, atque id potiſſimum vi muneris docendi Prophetici, prout a Sacerdotali diſtinguitur, factum eſſe, contendit. His docte diſputatis, ad ipſam cauſam ſibi viam quaſi præmuniit Autor. *Cap. III* demonſtrationem ejus, quod præcipuum momentum trahit, ingreditur, ac ipſam illam poteſtatem, peccata in terris remittendi, Chriſto homini datam, ab eodem, jam non amplius inter nos viſibili, Eccleſiæ ſuæ relictam, & ejusdem exercitium verbi miniſtris in eadem creditum eſſe, comprobat. Nititur autem in hac demonſtratione loco illo palmario *Jo. XX, 21–23*, ex cujus verbis, niſi quis apertam vim illis inferre velit, non alium ſenſum, nec alium ſcopum, exſculpere liceat, quam quod ipſam poteſtatis remittendi & retinendi peccata inſtitutionem contineant, eamque talem, quæ illam διακονικῶς referat, quam ipſe Chriſtus, qua homo, a Patre acceptam, αὐτεξουσίως ſive αὐτοκρατορικῶς in terris exercuerit; ad quod poſtremum firmandum, adhibitam particulam καθὼς, quæ ad ea, quæ *Cap.* præcedente diſputata ſunt, reſpiciat, cummaxime urget: integram autem hujus inſtitutionis rationem ex hoc loco primitivæ Eccleſiæ Patribus, & *Jo. Gerhardo* etiam noſtrati, allatis eorum teſtimoniis, eodem ſenſu pridem perſpectam fuiſſe, comprobat. Varia quidem aliorum interpretamenta rectiori huic ſententiæ derogare, probe S. Rev. Autor agnoſcit, quorum duo, quæ pluribus arriſerunt, ſibi ſeorſim refellenda ſumit: primum, quod *Jo. Calvinus* & recentiſſime *Joach. Langius* voluit, peccata remittere, idem eſſe, ac Evangelium prædicare ſive annuntiare, ob illatam verbis inſtitutionis infrunitam tavtologiam rejicit: alterum, quod poteſtatem remiſſionis & reten-

tentionis peccatorum peculiarem quandam Apoſtolorum prærogativam, ad dona eorundem extraordinaria pertinentem, effingit, ita poſt *Grotium*, & quosdam alios, a JCtis noſtris novaturientibus arreptum eſt, ut dici vix poſſit, quam in eo ſibi placeant. Docet vero Noſter, infirmitatem hujus opinionis potiſſimum ex eo, quod munus docendi verbum & Baptiſmum adminiſtrandi eodem modo ad dona Apoſtolorum extraordinaria referri queat; quod ut ipſi haud admiſſuri ſint, ita & ratiunculas, quas *Jo. Laur. Fleiſcherus*, Profeſſor Jurium nunc Viadrinus, pro tuenda opinione illa noviſſime nexuit, ex hoc capite ſponte ſua corruere, inſtituto earundem examine, oſtendit. In *Cap. IV*, quod hinc ſequitur, Autor noſter eandem doctrinam ex alia ejusdem ſede, *Matth. XVI, 19, XVIII, 18*, porro confirmat: quod horum dictorum genuino ſenſu, a variorum etiam *παρερμηνείαις* vindicato, ita conficit, ut per clavem ligantem retentionem peccatorum, adhibito in hanc rem uſu legis & applicatione ejusdem individuali, per clavem ſolventem autem peccatorum remiſſionem, abſolutionemque ab iisdem, quod uſus & applicatio verbi Evangelii individualis viciſſim præſtet, denotatam eſſe evincat. Poſt fundamentum ita rite poſitum, *Cap. V* ex eo demonſtratur, poteſtatem illam remittendi & retinendi peccata eſſe partem miniſterii Eccleſiaſtici eſſentialem, ipſi divino jure competentem, quam proinde nec univerſalis Eccleſiæ conſenſus, nec ulla unquam autoritas humana, ab eodem auferre queat; quod ex divina illa Chriſti inſtitutione cummaxime conficitur, quæ hinc Miniſtros verbi *Θεȣ̃ συνεργȣ̀ς 1 Cor. III, 9*, hanc vero ſeorſim muneris partem *διακονίαν τῆς καταλλαγῆς, 2 Cor. V, 18*, diſerte conſtituerit. Progreditur hinc Autor ad *Cap. VI*, quod Pontificiorum illam opinionem de clave ſolvente & ligante, ac ſi per hanc jurisdictio, ſive alia quædam hierarchica & judicialis poteſtas, Eccleſiaſtico ordini tributa ſit, ſolide poſt alios refellit, idque ob eorum potiſſimum criminationem, qui in retenta ab Evangelicis doctrina de poteſtate clavium, neſcio, quas Papatus reliquias & fermenta ſe offendere, hodie libenter aliis perſuaſum volunt. Sed & *Caput VII*, ad eundem ſco-

pum

Digitized by Google

pum inprimis tendit. Namque, quod uſus clavis ligantis & excommunicatio, quam utramque Eccleſia noſtra retinet, nec rite nec caute ſatis diſtinguantur, id multas hac in cauſa præjudicatas opiniones parere, facile perſpicitur. Hinc vero Noſter, quod clavis ligans & excommunicatio ex fine & indole ſua toto cœlo differant, ſolide ſibi hoc loco demonſtrandum ſumit. Res tota, quam paulo copioſius ediſſerit, eo tandem redit, quod clavis ligantis uſus, qui denegationem S. Evchariſtiæ conjunctam habet, dum ad interna religionis Chriſtianæ pertineat, miniſterio Eccleſiaſtico tanquam pars officii paſtoralis relinquendus ſit; excommunicatio autem, quæ ſeparationem & excluſionem membri alicujus a ſocietate Eccleſiaſtica externa etiam inferat, ad jura collegialia totius Eccleſiæ ſpectet, quæ hanc ejus partem, vel conſentientibus ceterorum membrorum ſuffragiis, vel per optimates, totam Eccleſiæ ſocietatem repræſentantes, quales in Eccleſia primitiva Presbyteri, tum Laici, tum Clerici, fuerint, in noſtrate autem Evangelica poſt inſtauratam doctrinam puriorem Principis cumprimis & magiſtratus civilis ſint, exercere queat. Ut autem has de excommunicatione notiones confirmet, tum, fundamento inſtitutionis & mandati Chriſti, *Matth. XVIII, 17*, easdem niti, oſtendit, tum, quod praxi Eccleſiæ Apoſtolicæ, primitivæ Chriſtianæ, & iis etiam, quæ in Libris Eccleſiæ noſtratis Evangelicæ Symbolicis, Auguſtana Confeſſione, Articulis Smalcaldicis, & in B. *Lutheri* quodam adducto loco, hanc in rem afferuntur, prorſus conſentaneæ ſint, comprobat. Cum autem ab hac Eccleſiæ noſtratis Evangelicæ ſic expoſita & ſatis firmata doctrina longe abeant novaturientes, atque in his *Chriſt. Thomaſius*, & qui ejus placita ſequuntur, horum Noſter minus ſolidas notiones ad examen revocat, & ſuas magis fundatas aſſerit, *Lutherum* etiam, a ſententiæ *Thomaſianæ* interprete, *Fleiſchero*, parum reverenter habitum, & ignorantiæ moralis doctrinæ atque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quod ad hanc cauſam, inſimulatum, ab iſtis criminationibus modeſte vindicans. Plura in hoc *Capite* de hac doctri-

næ

doctrinæ parte, non ubique ſatis dextre explicata, erudito ſolideque diſputantur, e quibus hæc, quæ ſpeciminis loco afferre licuit, Lectorem ad ea curatius perpendenda facile allicient. Nobis ad reliqua pergendum eſt. *Cap. VIII* Autor noſter de confeſſione privata, quæ Eccleſiæ miniſtro fit, id probare inſtituit, eam ex poteſtate abſolvendi, ſive peccata remittendi, neceſſario & inſeparabiliter conſequi, atque adeo & ipſam juris divini eſſe; quam in rem cum naturam & indolem correlatorum cum aliis urſit, & eandem locis Sacræ Scripturæ, huc facientibus, ſatis firmavit, hinc *Cap. IX* ad ipſam praxin confitendi peccata Eccleſiæ miniſtro progreditur, eamque ſtatim cum ipſa Eccleſia a Chriſto inſtituta cœpiſſe, atque inde per ſequentia Secula etiam propagatam eſſe, comprobat. Quod ad hanc cauſam attinet, poſt exempla *Joannis* Baptiſtæ & ipſius Chriſti adducta, ex Apoſtolica praxi inprimis urget locum *Act. XIX, 18*, quem huc ex recto & integro ſuo ſcopo apprime facere contendit; aliquem hinc proximi temporis, ſub Seculi I finem & II initium, teſtimoniorum defectum agnoſcit, qui tamen monumentis quibusdam ex hoc ævo deperditis forte adſcribendus ſit: progreſſu autem Seculi II, &, quæ illud excipiunt, Seculo III & IV, teſtes non deeſſe, adductis ex *Irenæo, Tertulliano, Origene, Cypriano, Chryſoſtomo, Baſilio M. Auguſtino*, itemque *Socrate* & *Sozomeno*, locis & teſtimoniis pluribus, probatum dare nititur; cumque hinc ſumta probandi vis eo non parùm elidatur, quod alii, de publica potius confeſſione ſive pœnitentia, quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertineat, ſermonem iis in locis eſſe, perſuaſum ſibi habeant, id etiam ſibi datum putavit, ut dubio huic, quantum poſſet, occurreret. Quam in rem & circa finem hujus *Capitis* de quæſtione, an confeſſio privata ex publica, an vero publica ex privata, originem ſuam traxerit, illud ſollicite monet, neutrum ſatis tuto atque commode, propter diverſam utriusque rationem, dici poſſe; atque de modo etiam confeſſionis & abſolutionis individualis contendit, longe eum eſſe præferendum illi, quo pluribus ad prælectam ab Eccleſiæ Miniſtro confeſſionis

Digitized by Google

quandam formulam abſolutio attribuitur. Ex *Cap. X*, quo, ſingulorum peccatorum coram Confeſſionario enumerationem, qualem Eccleſia Pontificia it ſtabilitum, nequaquam ad confeſſionis eſſentiam pertinere, nec ſcopo inſtitutionis conſentaneam eſſe, oſtendit Autor, non licet hic multa repetere, quanquam haud vulgaria hic de illa Pontificiorum ſic dicta confeſſione auriculari obſervata & monita afferantur. Majorem adhuc attentionem noſtram meretur, quod *Cap. XI* de ritu impoſitionis manuum aſſeritur, quem Noſter ejusmodi eſſe contendit, qui a verbi miniſtris in primitiva jam Eccleſia circa abſolutionis collationem ſit adhibitus; quemque proinde deficiente ratione idonea haudquaquam abrogare, ſed etiamnum in Eccleſia orthodoxa retinere, fas ſit. Ut vero illud conficiat, in genere primum de ipſo illo impoſitionis manuum ritu ex antiquitate ſacra & profana nonnulla affert, e quibus ejus dignitas appareat; ſeorſim hinc, Chriſto eundem frequenter adhibitum, & circa facta ſua non una applicatum, oſtendit: Apoſtolos denique in hac cauſa Dominum & Magiſtrum ſuum ſecutos comprobat, atque hujus manuum impoſitionis, non ad unum alterumque, ſed ad plures, adhibitum, uſum *Hebr. VI*, 2, reſpici exiſtimat. In ſpecie vero, quod impoſitionem manuum circa remiſſionem peccatorum ſpectat, hanc eſſe illam putat, de qua Apoſtolo *1 Tim. V*, *22*, ſermo ſit; quem quidem locum, licet de ordinatione miniſtrorum Eccleſiæ vulgo interpretari ſoleant, ex toto ſuo contextu in antecedentibus & conſequentibus ſpectatum, longe rectius ad ritum circa abſolutionem a peccatis adhibitum pertinere, Lectori comprobare, operoſa, quam ingreditur, demonſtratione annititur. Cum vero & hinc ex Patrum Eccleſiæ Seculi III teſtimoniis id confirmavit, quod manus impoſitio & abſolutio a peccatis ex æquo apud illos valeant, non dubitat pro ea, quam affirmandam ſibi ſumſerat, ſententia demum concludere. *Cap. XII* & ultimo demonſtrationem Autor ſubjicit, quod confeſſionarius de confitentium pœnitentia non ultra probabilitatis gradum certus eſſe queat, at vero citra eam haud impertiri queat abſolutionem, ita tamen ab omni vel conditione vel reſtrictio-

ctione eam liberam eſſe oporteat: quam in rem licet egregia multa afferantur, & contra alios, v. c. *Gottl. Gerb. Titium*, JCtum, *Jo. Franc. Buddeum*, *Joach. Langium*, *Chriſtoph. Matth. Pfaffium*, Theologos, diſputentur, noſtri tamen inſtituti non fert ratio, de his ſigillatim referre: quemadmodum & de Appendice, in qua ad 28 erotemata, a novaturiente quodam de hoc argumento propoſita, totidem reſponſa ſubjiciuntur, nihil dicimus, Lectorem harum rerum avidum ex huc usque dictis ad ſalutaria hæc ex ipſo Autore cognoſcenda ſatis excitatum fore exiſtimantes.

Kurtze Fragen aus der Philoſophiſchen Hiſtorie, ꝛc.

h. e.

JACOBI BRUCKERI HISTORIA PHILOſophica, erotematice expoſita.

Pars VI & VII.

Ulmæ, apud Dan. Bartholomæi, 1735 & 1736, 12.
P. VI Alph. 2 plag. 13, P. VII Alph. 2
plag. 6½.

Tandem, quod nemini antea eruditorum contigit, ad finem perducta eſt *Hiſtoria Philoſophiæ* a Reverendo Autore, cujus nunc poſtrema *duo Volumina* non ſolum exhibemus Lectoribus noſtris, ſed etiam de meliori nota commendamus. Quanta enim diligentia, quantaque judicii acrimonia, *priores Tomos*, quos jam recenſuimus, confecit, tantam & in *duobus* his *Tomis* obſervamus jucundiſſime. Nec proinde neceſſe ducimus, longiorem eorum proferre recenſionem, ſed ſumma duntaxat capita recitabimus. *Sextus* igitur *Tomus* continet hiſtoriam ſtudii philoſophici inde a Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto, quo religio quoque accepit novam & formoſiorem faciem. Et *primo* quidem in *Capite Libri primi* docetur, Scholaſticam Philoſophiam regnare perrexiſſe in Scholis Romanæ Eccleſiæ. *Alterum Caput* ſiſtit Philoſophos

recentioris ævi γνησίως Ariſtotelicos, partim Pontificios, partim Proteſtantes. *Libri ſecundi Capite* in *primo* agitur de Pythagoreo-Platonico-Cabbalicæ; in *ſecundo* de Parmenideæ; in *tertio* de Ionicæ; in *quarto* de Stoicæ; in *quinto* de Democrito-Epicureæ Philoſophiæ inſtauratoribus. *Libri tertii Caput primum* Scepticos exhibet juniores; *ſecundum* Philoſophos Moſaicos & Chriſtianos; *tertium* Theoſophos. *Libri quarti priori* in *Capite* de Syncretiſmo philoſophico diſſeritur, in *poſteriore* de inimicis & antagoniſtis Philoſophiæ.

Septimi, ejusdemque poſtremi, *Tomi*, cui Autoris effigies præfixa eſt veriſſima, *duo* ſunt *Libri*. Horum *prioris primum Caput* Philoſophos exhibet eclecticos, *Brunum*, *Cardanum*, *Verulamium*, *Campanellam*, *Hobbeſium*, *Carteſium*, *Leibnitium*, ac *Thomaſium*. In *ſecundo* emendatores Logicæ recenſentur, *Ramus*, *Malebranchius*, *Lockius*; Phyſicæ & Matheſeos, *Sennertus*, *Boylius*, *Neutonus*, *Harvæus*, *Copernicus*, *Braheus*, *Galilæus*: qua occaſione & agitur de Societatibus harum ſcientiarum Regiis; Pnevmaticæ, *Beckerus*: cui adjungitur illud atheorum par, *Vaninus* & *Spinoza*; Philoſophiæ moralis, *Montanus*, *Placcius*, *Grotius*, *Seldenus*, *Pufendorffius*; Politicæ, *Bodinus*, *Gratianus*, *Boccalinus*, *Machiavellus*: poſt quos & monarchomachi commemorantur, *Buchananus* & *Miltonus*. *Poſterior Liber*, Philoſophiæ exoticæ dicatus, in *primo Capite* Malabarenſium, in *ſecundo* Sinenſium, in *tertio* Japonenſium, in *quarto* denique Canadenſium, Philoſophiam perſequitur.

Nec illud ſilentio prætereundum putamus, eruditiſſimum Autorem edidiſſe nuper confectum in uſum ſcholarum eadem lingua *Hiſtoriæ* ſuæ *philoſophicæ Compendium*, unum implens alphabetum & ſex præterea plagulas. Imo & in *poſtremi Tomi* Præfatione Lectores *duo* adhuc a ſe exſpectare jubet *Volumina*, quorum in *altero* exhibiturus eſt acceſſiones ad hanc ſuam *Hiſtoriam philoſophicam*, ſimulque emendationes, in altero *Analecta Hiſtoriæ philoſophicæ*, hoc eſt, Diſſertationes hujus argumenti uberiores elaboratioresque. Et quam gratum faciet exteris, ſi, quod & ipſum facere conſtituit, iterum edi-

Digitized by Google

ediderit *Hiſtoriam* hanc ſuam *philoſophicam* ſermone Latino! *Victurus Latium debet habere liber*, inquiebat *Menagius*.

DEMONSTRATIO SOLIDA DE OBLIGAtione hominis ad religionem & naturalem & revelatam, ex ſolidis principiis, rigore Mathematicorum, deducta, ac in lucem publicam edita, a JO. CHRISTIANO FISCHERO, Art. Magiſtro in Academiæ Jenenſi. Cui præmiſit Introductionem de methodo demonſtrandi religionem, hominisque ad eum obligationem; cui & inſeruit Illuſtris CHRISTIANI WOLFII Methodum demonſtrandi veritatem religionis Chriſtianæ. In Opere vero ipſo Wertheimienſis erroneam & obſcuram de religione ſententiam, in definitione præprimis obviam ac conſpicuam, indicavit ac refutavit.

Jenæ, apud Jo. Frid. Ritterum, 1737. 8.

Plag. 16.

Intermortuam in hominum animis obligationem ad verum veri Numinis cultum excitaturus Cl. Autor, doctiſſimum hunc libellum ſcripſit, dedicatum *Friderico*, Saxoniæ Duci Sereniſſimo. In Præfatione vindicatur Diſſertatio Jenenſis, quam Autori ſuo reddendam judicavit *Frider. Chriſtian. Baumeiſterus in Philoſophia definitiva pag. 62 §. CCXCII.* Præmiſſum habet Opuſculum introductionem, quæ de methodo præcipit, religionem, hominisque ad eam obligationem, demonſtrandi. Eſt eadem eruditi variique argumenti. Ornatur præcipue Illuſtris *Wolffii* methodo demonſtrandi veritatem religionis Chriſtianæ, quæ ex *Actorum* noſtrorum *Anni 1707 pag. 166–169* bona fide transſcripta eſt. In partes vocantur *Puſendorffius, Lockius, Huetius, Paſchalius, Grotius*, aliique defenſores methodi mathematicæ in moralibus adhibendæ. Opus ipſum inchoat ſummi ac perfectiſſimi Numinis deſcriptio (*pag. 29 §. 1*), cujus tum eſſentiæ neceſſitas abſoluta demonſtratur ex principio rationis ſufficientis per viam contingentiæ. Docetur ejusdem a mundo ſpectabili & anima humana diverſitas, ſimulque indi-

cantur *Aquinatis* aliorumque viæ ſingulares demonſtrandi divini Numinis exiſtentiam; cujus ſummas perfectiones noſſe, principium eſt veri cultus religioſi, id quod ex ipſa vi & poteſtate vocabuli *colere* intelligitur. Hæc enim (§. 34) propter perfectiones alicujus nos ex *vera mentis intentione* circa eundem verſari jubet honorificis actibus, ita, ut agnitionis comes ſit cultus, quem agnitio comprehendat (§. 57). Ex quo conficitur (§. 65), religionem vi definitionis ſuæ complecti debere omnes omnino actus, quibus Deus recte colitur, ſive actus, quorum argumenta deſumuntur ex perfectionibus divinis. Hi actus ad unum omnes ſi intenſiſſimo mentis corporisque ardore junguntur, eodemque perpetuo ac conſtantiſſimo, tum demum veræ religionis ſiſtunt imaginem. Callida proinde ac verſuta cultus religioſi disjunctio eſt, quam *Geneſ. XVIII, 19*, attulit Bibliorum interpres Wertheimienſis *Part. I not. 175*, quippe ſub vocibus *viæ Domini* auſu perquam pudendo incautis obtrudere geſtit glaucoma externorum rituum ac conſuetudinum. Sed verſutiſſimus hic interpres rectiſſime & cum ratione refutatus eſt *pag. 76—87*. Alia enim profecto eſt via Dei, alia, quæ in ſacris literis & ab ipſo Chriſto docetur ἀλήθεια. Ad hanc, ſive ad veram religionem, per concreatam quaſi potentiam, per pædagogicam intellectus & voluntatis humanæ naturam, allicit mortales, & manu quaſi ducit, Numen ſapientiſſimum. Creavit initio hominum animos non ſolum veritatis, ſed & felicitatis, appetentiſſimos. Finis uterque ſummus, quem ſine mediis cogitare abſonum foret. In Deo voluntas ſemper eadem, mutari neſcia, optima, maxima. Vult homines ſumme beatos, vult feliciſſimos. Velle propterea intelligitur, ut ſerio huic voluntati faciamus ſatis. De mediis proſpexit per naturam & gratiam. Infinita connexit motiva cum actionibus noſtris, primo tanquam ſtator & conſervator naturæ, ſecundo tanquam Dominus omnipotens & juſtiſſimus, tertio tanquam pater benigniſſimus. Proinde, ſi ingenium advoces & rationis acumen, vel oculis tuis cernere poteris, Deum in agendo te obligare; adeo hanc in rem convenit ipſa obligationis definitio. Quo plura concurrunt motiva ſeu rationes agendi, eo major, eo fortior, eſt obli-

Digitized by Google

obligatio. Sed quam ingens hic deprehenditur motivorum numerus, quanta diverſitas in ſumma finium convenientia! Natura fertur humanum genus ad eum & agnoſcendum & colendum, uti docet conſenſus gentium, de quo pluribus expoſitum eſt ſupra (*§. 49*). Summum autem honorem jure ſuo poſtulat Dominus ac creator juſtiſſimus (*pag. 129 §. 190*), in omnibus & ſingulis hominum actionibus debitum ſibi cultum vindicat (*§. 146 pag. 111*), obſequium poſcit, nunc præmiis allicit, nunc pœnis impellit, denique tanquam benigniſſimus pater cohortatur & excitat ad ſummam, quam cogitare licet, felicitatem, quam qui conſequi velit, morem gerat, neceſſe eſt, paternæ voluntati. Hoc autem fieri nequit, niſi ex omnibus & mentis & corporis viribus Deum religioſiſſime colas. Non Deo, ſed tibi, prodeſt cultus religioſi utilitas, placet animus, non criminoſus, ſed obſequens. Adeoque paterna divini Numinis gratia confertur omnis felicitas, religione ad eandem perducimur tanquam conditione ſine qua non. Præterea ſocietates firmat religio (*§. 183*), communi vero ſalute omnium ſingulorum quoque felicitatem contineri, in propatulo eſt, atque hinc nova patet ratio, quæ ad cultum divinum obligat. In obligato agendi ceſſat arbitrium, &, qui obligatus eſt ad omnem cultum, ſive ad totum, tenetur etiam quoad partes ſingulas. Stringimur itaque obligatione cultus interni & externi cerimonialis aut non ceremonialis, omiſſionis & commiſſionis, mediati & immediati, publici & privati, ſolitarii & ſocii (*pag. 140 ſeq.*), modo vera ſemper & ubique in deliciis habeatur religio. Hac enim ſola Deus vult coli, hæc ſola hujusmodi eſt, ut ardenti perfectionum divinarum contemplatione agentem moveat, impellat, permoveat (*pag. 173*). Hac veræ religionis obligatione ſimul abſtrahimur ab idololatria & ſuperſtitione, nec non a libris prohibitis; excitamur ad veri cultus principia audienda, legenda, ſcrutanda, examinanda, amplectenda, conſervanda, & defendenda (*pag. 180 ſeq.*). Vera religio vera præſupponit principia, quæ quidem edocemur vel duce natura, vel revelatione. Cœpta natura perficit revelatio, miniſtra altera, altera magiſtra, diſpar cognoſcendi ratio, diſparem operatur modum agendi

di, diſparem cultum. Religio enim naturalis impellit actus in honorem Dei ſuſcipiendos ex ſolo rationis dictamine. Dominum venerari jubet & creatorem, revelatio patrem benigniſſimum ex tenerrimo pietatis affectu. Sufficientiſſima hæc eſt in docendis mediis conſequendæ felicitatis ſummæ, illa inſufficiens. Errantes enim ac labentes in via felicitatis deſerit, lapſos deſtituit. Revelata autem religio erigit, excitat, corrigit, confirmat, traducit, ſublevat, perducit. Quæ quidem omnia cum nec benigniſſimi Numinis intellectui, nec voluntati ſeriæ, nec omnipotentiæ, adverſentur, & gloriæ ejuſdem amplificandæ mirum in modum inſerviant, plane non ſubeſt ratio, cur revelationem divinam, eamque peculiarem, referre velimus in numerum τῶν ἀδυνάτων (*pag. 191 ſeq.*). Habet hoc unanimis Philoſophorum confeſſio, ut finem a mediis disjungi nec poſſe arbitrentur nec debere. Jam vero vult Deus, & vult ſerio, ſummam generis humani felicitatem; proinde dubitari non poteſt, quin & de mediis proſpicere ac providere voluerit (*pag. 205*). Ipſa quadam naturæ neceſſitate perducimur ad *viam felicitatis revelatam.* Et, quanto plura etiam inter gentes cognoſcimus præeuntium exempla, tanto majori ardore & acriori rationis acumine veræ revelationis criteria perquirenda ſunt. *Autorem non niſi vanum* agnoſcit & naturalis & revelata notitia, atque ex hoc fonte characteres revelatæ veritatis derivari poſſunt non minus accurate, quam feliciter. Siſtuntur iidem ſub finem Opuſculi, atque omnis ὑπεροχὴ Veteris ac Novi Teſtamenti monumentis jure ſuo adſcribitur, quia in his ſolis via panditur ad omnem felicitatem tutiſſima pariter ac *ſufficientiſſima.* Vel ipſa natura duce homines eligunt, quod melius eſt, & perfectius. Propterea eo ſuavior eſt ad religionem revelatam obligatio, quo fortior; hominumque animos tanto *majori motivorum cumulo* conſtringit, quanto *major* eſt inter *rationem & hanc veram revelationem concordia.* Docet quidem illa, hæc autem perdocet, ac ſola omnium ſubminiſtrat duraturam in omnem æternitatem *felicitatis ſcientiam.* Quam cum omnes mortalium maxime omnium appetant, nec lectio hujus Opuſculi, nec toties demonſtrata ad religionem obligatio, cuiquam, putamus, diſplicebit.

* * *

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II Sectio X.

A COLLECTION OF SEVERAL TRACTS, &c.
h. e.
COLLECTIO VARIORUM TRACTATUUM Illuſtriſſ. EDUARDI, Comitis CLARENDONII, Autoris Hiſtoriæ rebellionis bellorumque civilium in Anglia, ex MStis ejus vulgata.

Londini, apud Thom. Woodward, 1727, fol.
Alph. 8 plag. 10.

Serius ad nos allatum eſt Opus hocce, tum ob illuſtre nomen Autoris, cujus in utraque fortuna virtus exſplenduit, tum ob rerum, quas continet, præſtantiam, admodum commemorabile. Delituerat adhuc manu exaratum in ſcriniis filiæ *Franciſcæ Keightley*, paulo ante mortem ejus, Typographo, qui ejusdem nunc editionem procuravit, traditum, ac in ipſis teſtamenti tabulis, neceſſariis ipſius, ad quos bona Comitis hæreditatis jure pervenerant, maximopere ab eodem commendatum. Dignum omnino tanti nominis Viro, cujus fides in Regem, erga patriam pietas, ac honeſtæ amor libertatis, tum vero inſignis conſtantia, nullis adverſæ fortunæ caſibus debilitata, quin potius contra eosdem optimis firmata doctrinis, ubivis ap-

 paret.

paret. Nos in præſenti ſumma capita enarrabimus, vel, ut rectius dicamus, indicabimus. Tantum enim abeſt, ut, quid quodvis eorum memoratu dignum contineat, brevi recenſione exhaurire poſſimus, ut potius attentæ Lectoris meditationi ſelectum præſtantiſſimarum rerum relinquamus. *Primum* obtinet locum ſcriptum, quo crimen proditionis peſſimæque fidei, a curia inferiori ſibi objectum, Autor diluit. Elaboratiſſimum eſt, multisque, ad hiſtoriam illorum temporum quammaxime facientibus, cauſis refertum, ac A. 1667 confectum. Sequuntur Meditationes theologicæ ac morales, nimirum de natura humana *pag. 89*, de vita *pag. 90*, de felicitate interna, qua frui, cujusve nos ipſos participes reddere, poſſumus, *pag. 95*, de impudenti delectatione, qua commiſſa a nobis crimina contuemur, *pag. 105*, de ebrietate *pag. 107*, de invidia *pag. 112*, de ſuperbia *pag. 114*, de ira *pag. 119*, de patientia in adverſis *pag. 120*, de contemnenda morte *pag. 127*, de amicitia *pag. 130*, de commercio vitæ, bonisque conſiliis, *pag. 137*, de promiſſionibus *pag. 140*, de libertate *pag. 142*, de induſtria *pag. 145*, de infirmitate corporis *pag. 146*, de patientia *pag. 147*, de pœnitentia *pag. 148*, de conſcientia *pag. 162*, de vita activa & contemplativa, in qua ſimul diſquiritur, quando & cur altera alteri ſit præferenda, *pag. 167*, de bello *pag. 205*, de pace *pag. 209*, de ſacrilegio *pag. 211*, de reverentia, antiquitati debita, *pag. 218*, de eo, quod augeantur controverſiæ, inhærendo rebus ad caput cauſæ non pertinentibus, *pag. 240*, Colloquium hominis aulici cum Juriſconſulto, milite, nobili, vitam in pago degente, ac uno ex magiſtratu, qui omnes ætate finguntur provecti, de neglectu reverentiæ, ſenibus debitæ, *pag. 285*, Colloquium eorundem cum Epiſcopo quodam de educatione liberorum *pag. 313*, denique Meditationes theologicæ in Pſalmos *Davidis*, ad ſtatum reipublicæ, qui tum erat difficillimus, applicatæ, liberisque ſuis ab Autore dedicatæ, *pag. 349* usque ad finem. Elucet ex hiſce pietas haud infucata, ac fervor maxime laudabilis, inprimis in precibus, conſpiciendus, cuivis meditationi ſubjunctis, brevibus illis quidem, at ſelectiſſimis, ponderoſisque omnino verbis conceptis, quæ de egregiis Viri ſtudiis dotibusque abunde teſtantur.

Digitized by Google

ראשית חכמות *DE PRIMIS SCIENTIARUM elementis, ſeu Theologia naturalis, methodo quaſi mathematica digeſta, atque ad tyronum captum & uſum accommodata. Succeſſit huic Operi Opuſculum, ſeu Appendix, de ſummo bono, utpote quo potiendi modum pro ſuo modulo tradere ſcopus Theologiæ naturalis eſt palmarius. Acceſſit ad hæc SEXTI EMPIRICI adverſus Mathematicos, decem modorum ἐποχῆς ſeu dubitationis, ſecundum editionem Cl. FABRICII, quibus ſcilicet SEXTUS, Scepticorum coryphæus, veritati omni in os obloqui, atque totidem retia tendere, haud dubitavit, ſuccincta, cum philoſophica, tum critica, refutatio.*

Regiomonti, apud Autorem, 1734, fol.
Alph. 4 plag. 21.

Opus Sereniſſimo ſceptri Boruſſici hæredi, ***Friderico***, magni Parentis magno Filio, fuit inſcriptum. Autor Dedicationi hanc ſubjicit clauſulam, vovens, ***ut ſuccedentes in Regno Boruſſico Principes nomine fidei defenſorum ſemper gaudeant & glorientur***. Reſpici, opinamur, ad tutelam & ſecuritatem, quam laborantibus Evangelicæ religioni addictis Salisburgenſibus Rex Boruſſorum potentiſſimus annis 1733 & 1734 præſtitit. Rationes loquendi, quæ *Carteſio* arriſerunt, Autor probat & imitatur, cujus negligentiam æmulari mavult, quam ***Mareſii, Keckermanni, Caſtanæi***, atque aliorum, obſcuram diligentiam. Doctrinis ſubjungit objectiones, in quibus exſolvendis eſt aſſiduus & multus: nec veretur dicta e ſacris literis decerpta hiſce interponere. Ut demonſtrationes ſuppeditet, per poſtulata, axiomata, theſes, & concluſiones, cogitata diſpenſat. Nolumus monere, *poſtulata* eſſe non niſi propoſitiones practicas, propoſitionis haud indigas, ſiquidem nonnullis placet, propoſitiones utrinque conceſſas, easque theoreticas, quæ porro debent & poſſunt demonſtrari, vocare pariter *poſtulata*. Sententiam ipſe ſuam ita exprimit: *Poſtulata definitionibus præ-* Pag. 3,

 mit-

*mittimus, quibus axiomata, ſeu definitiones, ſuccedent, quorum
tandem agmen clauſuræ ſunt ſingulares, ubivis locorum inſer-
tæ, concluſiones, ſeu veritates, quæ ex primis principiis, tan-
quam totidem rivuli ex ſuis fontibus, promanant, qua quidem
methodo animis inprimis tironum conſultum imus, arbitrati,
non minus ad ſtudium hocce metaphyſicum, quam mathemati-
cum, percipiendum vel teneram ætatem aptam, natam, & ac-
commodatam eſſe. Poſtulato primo* præcipitur, de omnibus
eſſe dubitandum. In calce autem Operis refellitur *Sex-
tus Empiricus*, qui, de omnibus eſſe dubitandum, dictitavit.
Pag. 5. Additur, in dicto illo *πάντα δοκιμάζετε, 1 Theſſ. V, 21*, illud
verbum *δοκιμάζειν* oppoſitum eſſe verbo *δογματίζειν*: objecta
6. Matheſeos eſſe corpora, quod Mathematici tamen negant: il-
lum, qui dubitationi de Deo immoriatur, ſalute nondum ideo
excidere, quin imo eundem hominibus, qui fidei ſuæ rationem
reddere nullam poſſunt, aut de certa fide ſatis non ſunt ſollici-
7. ti, priores apud Deum partes habiturum, eſſe ſperandum. *Po-
ſtulatum ſecundum* eſt illud *Carteſii: Cogito, ergo ſum. Po-
12. ſtulatum tertium* eſt hocce: *mens notior eſt corpore*.. *Poſtu-
12. lato* cuivis argumenta haud una ſubnectuntur. Succedunt ob-
jectiones: has excipiunt reſponſiones: reſponſionibus adhæ-
rent meditationes, ſeu blanda ſoliloquia. *Poſtulatum quartum*
15. ſic habet: *anima non eſt a ſe*. Additur ratio a tempore de-
ſumta, ſiquidem anima non ita pridem in ſcenam hujus mun-
17. di ſe prodiiſſe noverit. Animam ex nihilo divinitus creari in
formato corpore, credit Autor. Ipſe præponit quæſtionem:
40. quid ſit Deus? quæſtioni illi: num exiſtat Deus? Verita-
tis criterium inſitum credit hypotheſibus duabus; uni: *quic-
quid clare & diſtincte concipio, & in libro naturæ contineri
intelligo, illud eſt verum*; & alteri: *quicquid clare & diſtincte
concipio ſacris literis contineri, ſive explicite, ſive implicite,
ita, ut idem per legitimam conſequentiam exinde deduci
queat, illud eſt verum.* Ut pervideat quivis, quo modulo uta-
tur Autor in formandis definitionibus, hæc ſunt animadverten-
da. Ipſe non oſtendit, quid ſit ſubſtantia, ſpiritus, æternitas,
intellectus, voluntas, modus, perfectio, ſcientia, mutatio, liber-
tas,

Digitized by Google

tas, potentia, præſentia, &c. Nihilo ſegnius omiſſis illis Pag. 41.
definitionibus ſimplicioribus, hanc profert de Deo definitionem generalem: *Deus eſt ſubſtantia ſpiritualis, a ſe, adeoque æterna, ſingularis, intellectu & voluntate modo perfectiſſimo prædita, ideoque omniſcia, futurorum præſcia, immutabilis, liberrima, omnipotens, omnipræſens, & omnes, quotquot ſunt, ſpiritus virtutes, & ἀξιώματα, in ſe poſſidens, iisque ſe oblectans & acquieſcens.* Ipſe etiam paſſim ideas innatas, quas ſtabilitum ivit *Carteſius*, vindicat, objectionesque amoliri ſtu- 46 ſeq.
det. Approbat illud *Grandii* ac *Carteſii* ſtatoris argumentum, quo Deum ter maximum exiſtere creditur, eo quod clare & diſtincte intelligamus, ad eſſentiam id quoque pertinere, quod exiſtat. Hinc progreditur ad Dei *aſeitatem*, ſeu *immen-* 57.
ſitatem, comprobandam. Alii hæc duo a ſeſe invicem diſtin- 59 ſeq.
guunt, nec pro iisdem habent. Ipſe nomen Dei יְיָ per ſub- 61.
ſtantiam a ſeſe ſubſiſtentem exponit, & vocem שַׁדַּי per ἀνενδεέα interpretatur. Procedit porro ad oſtendendam Dei vi- 64.
tam, ſeu ſpiritualitatem, cui ſubjungit æternitatem: ac ſucceſſionem cogitationum a Deo removet, Scholaſticis, Socinianis, ac nuper *Dippelio*, arridentem. Deinceps docet, Deum eſſe 72.
unicum, ſeu ſingularem, cum mundo haud confundendum: ſimplicem, ſumme intelligentem, ſapientem ſolum, ſcientiaque valentem. Scientiam mediam, a Jeſuitis, uti credit, effictam, 86 ſeq.
repudiat, laudatque *Tiviſſum*, qui ei integrum volumen oppoſuerit. Ex argumentis negantibus, hic allatis, pateſcit, notio- 90 ſeq.
nem Autori de ſententia illa media ſediſſe & Deo indignam, & imperfectam. Notio autem hæc evaneſcit, ſimul ac conferantur ea, quæ B. *Joannes Franciſcus Buddeus* in *Inſtitut. Theol. dogmat. Lib. II Cap. I §. 22 pag. 228 ſeq.* diſſeruit de ſcientia Dei media. Ubi Autor ad vindicandam 93.
Deo ſpiritualitatem accedit, facultati illi animæ, per quam expetimus & averſamur, tribuit vim diſcernendi vera a falſis, bona a malis, æqua ab iniquis: ratus, eodem rem redire, Deus utrum proxime ante res creatas, an longe ante, de rebus ſtatuerit, quam exiſterent. De reliquo præſcientiam Dei ac li- 95.
bertatem animæ humanæ ſatis concinne viciſſim conciliat. Ju- 103 ſeq.

 ſtitiam

ſtitiam & ſanctitatem pro eadem habet virtute *pag. 110 ſeq.* Juſtitiam dividit in *naturalem*, ſeu moralem, *diſtributivam, poſitivam*, & *vindicativam*. Legibus divinis tribuit ſanctitatem, quæ non ideo velit res eſſe bonas & perficiendas, quia Deus
Pag. 115. ita velit, ſed quia Deus eas eſſe bonas perſpexerit, ratus, Deum juſtiſſimum citra intervenientem ſatisfactionem pro peccatis haud potuiſſe hominem abſolvere, ſuaque dignari gra-
119. tia. Credit porro, mundum ab æterno creari haud potuiſſe, quia æternitas & mundus creatus ſint res viciſſim pugnantes:
127. Deum per eſſentiam quidem rebus ſuis præſto adeſſe, omnipræſentiam tamen voluntati potiſſime eſſe transſcribendam,
135. eamque eſſe concipiendam per modum operationis, ſeu effica-
141. ciſſimæ voluntatis, qua omnia ſuſtentet & gubernet. De providentia, de concurſu generali & ſpeciali, de permiſſione peccati, ac Dei immutabilitate, ſubnectit ea, quæ in Syſtematibus Theologorum tractari ſolent. Modus demonſtrandi hic adhibetur admodum laxus, objectiones, earumque enodationes, ſubjunguntur argumentis. Tractatio de ſummo bono orbitam Philoſophiæ ſuperat, & e ſacro Codice fuit exornata. *Sexti Empirici* ſcripta Autor dudum denuo edere tentavit, invitatus nobili exemplo amici & popularis ſui, D. *Godofredi Olearii*, qui in *Philoſtratorum* Operibus expoliendis induſtriam poſuerat. *Librum primum, ſecundum*, & *tertium*, Pyrrhoniarum Hypotypoſeon, hic denuo adornatum dedit. Ipſe Græca recenſuit ad tres Codices MStos, Savilianum, Vratislavienſem, qui in *Libro ſecundo adverſus Logicos ſect. 349* deſinit, & Cizenſem, quorum ope quamplurimas mendas, ac in eis tum graves, tum fœdas, ſuſtulit. Obtinuit quoque exemplum *Sexti Empirici*, in cujus marginibus *Claudius Salmaſius* nonnulla feliciter caſtigaverat. Verſionem Latinam *Henrici Stephani* addidit contextui Græco, paſſim tamen ab ipſo recens emendatam. *G. G. Leibnitius* Autori affirmaverat, ſeſe nonnulla ad *Librum primum* Pyrrhoniarum Hypotypoſeon meditatum fuiſſe. Ipſe tamen nihil ejusmodi inter ſchedas ejus repertum cognovit. Annotationes conſtant ex variis lectionibus, ac vocum difficiliorum expoſitione. Subjectæ ſunt refutationum

copiæ,

Digitized by Google

copiæ, contra decem ſcepticas epochæ æquilibrio delectantis belluas in aciem productæ, quæ manſuetioribus philologicis criticisque expoſitionibus in calce permulcentur.

TEATRO MORALE DOGMATICO-ISTORICO, dottrinale, e predicabile, &c.
h. e.
THEATRUM DOGMATICO-HISTORICUM doctrinale & prædicabile, in quo veritas fidei catholicæ demonſtratur falli neſcia, quatuor partibus doctrinæ Chriſtianæ contenta, ex autoritate ſacrarum literarum, ſanctorumque Patrum rationibus, ſimilitudinibus, & exemplis, illuſtrata. Opus utiliſſimum cuicunque hominum ordini, dedicatum ſacræ Cæſareæ & Regiæ Catholicæ Majeſtati CAROLI VI, adornatumque a JOANNE BAPTISTA BOVIO, Novarienſi, Sodali ac Sacerdote Collegii Pœnitentiariorum inſignis Baſilicæ S. Laurentii in Damaſo Romæ.

Romæ, typis Georgii Placci, 1731, fol.
Alph. 7 plag. 11.

Venerabilis Abbas, *Joannes Baptiſta Bovius*, Sacerdos ſecularis Novarienſis, clariſſimum hoc Opus non mediocri ſtudio ac diligentia condidit, id unice ſpectans, ut illud tum eruditum & venuſtum, tum vero pietatis & commoditatis fœcundiſſimum, ad mentem ſuæ Eccleſiæ repræſentaret. Quo fine illud in *quatuor* diſpeſcuit *Tractatus*, ſingulisque *Tractatibus* *Capita* ſua aſſignavit. Exorditur ab introductione, qua de neceſſitate doctrinæ Chriſtianæ diſſerit, deflectens imaginem quatuor fluviorum Paradiſi ad quatuor Operis ſui partes. Cuique Pag. 2. *Capiti* ſubjiciuntur exempla, ex Scriptoribus Eccleſiaſticis & exteris deſumta, licet ex ipſis fontibus raro delibata. Pergit ad demonſtrandam Dei unitatem, trinitatem, incarnationem & mortem Chriſti, remunerationem Dei, ſignationemque cruce fieri ſolitam. Autor approbat illa *Sedulii*: *Crux pellit omne* 17 ſeq.
cri-

Pag. 41. *crimen: fugiunt lucem tenebræ: tali dicata ſigno mens fluctuare neſcit.* Ex *Tertulliani* libro *de Corona milit. Cap. 9* pateſcit antiquiſſima conſuetudo *terendi frontem crucis ſigna-*
43 ſeq. *culo.* Ipſe, exemplis ſubjunctis, prodigioſas ſigno crucis attribuit operationes. Porro exponit virtutem fidei, & Symbolum Apoſtolicum, quod ab Apoſtolis in eam formam credit
56. redactum. Deinde illud ipſum Symbolum particulatim exponit & illuſtrat. *Tractatus ſecundi Caput primum* de ſpe eſt
165. inſcriptum. Succedunt *Capita* de precibus ad Deum dirigendis generatim, ac nominatim de oratione dominica, quæ copioſe ſatis pertractatur, illuſtratur, exemplisque præmunitur.
280 ſeq. *Capite XI* diſſeritur de ſalutatione Angelica: *Ave Maria.* Deinceps decantatiſſimum illud *Salve Regina* exponitur. *Tractatus tertius* conſecratus fuit exponendis variis officiis Chriſtianis, videlicet amori erga Deum, & alium quemcunque, at-
335 ſeq. que præceptis Decalogi. Inſeritur *Caput quartum* de ſacrificio Miſſæ, quod eis exemplis illuſtratur, de quibus valet illud Oratorum: *Exemplorum non requiritur veritas.* Subjiciuntur doctrinæ de voto, ſuperſtitione, ſacrilegio, blaſphemia. Hiſce annectuntur reliquorum præceptorum Decalogi expoſi-
475 ſeq. tiones. *Tractatu quarto* ſiſtuntur præcepta Eccleſiæ, earumque explanatio copioſior, quæ vulgo ſunt hæc: 1) diebus feſtis debes auſcultare operamque dare Miſſæ; 2) intende animum corpusque jejuniis ſtatis & præſcriptis; 3) fatere peccata tua ſacerdoti ad minimum quotannis ſemel; 4) Paſchali tempore ſacram adhibe cœnam; 5) ſolve decimas; 6) obſerva Sacramentorum numerum Eccleſiæ Romanæ probatum. Qua occaſione de ſingulis Sacramentis diſſeritur, ac nonnulla de educatione liberorum, ſubnectuntur. Stilus ipſe eſt planus & perſpicuus; methodus ad arbitrium aſſumta: demonſtrationis indoles ad ſcholæ tricas & barbariem haud adſtricta. Quare non dubitamus, fore multos, qui ex hiſce quatuor alveis in Romana Eccleſia ſitim ſint reſtincturi, ſive ipſis verba ſacra ad populum facienda, ſive cathecheticæ exercitationes ſint expediendæ. De reliquo nec novas veritates, nec novas demonſtrationum rationes, hic deprehendimus, quod ipſum in cauſa eſt, cur recenſionem intra brevitatis cancellos concludamus.

HISTOI-

Digitized by Google

HISTOIRE ROMAINE, &c.
h. e.

HISTORIA ROMANA. OCTAVIANUS CÆſar, Marcus Antonius, & Lepidus, Imperatores, ſub nomine Triumvirorum. Cum Notis Hiſtoricis, Geographicis, Criticisque, Figuris æri inciſis, Mappis Geographicis, multisque Numis genuinis. Autoribus Ven. Patribus CATROU & ROUILLE, Societati Jeſu addictis. Tomus XVIII, inde ab anno U. C. 710 ad annum 722.

Pariſiis, typis Jacobi Rollini, Jo. Bapt. Deleſpine, Jo. Bapt. Coniardi, & Caroli Jo. Bapt. Deleſpine, 1734, 4. Alph. 4, Tabb. æn. 8.

Duumviri Celeberrimi Triumviris Romanis, eisque extremis, jam celebritatem lucemque conciliant. Exhibent ipſi horum facies, locum & confinia prælii Actiaci, fatalis prælii ad Philippos in Macedonia commiſſi indicia, chartæ commendata, ærique inciſa, numorum ex auro argentoque & bracteatorum icones nitidiſſime ſculptas. Filum hiſtoricum a Conſulatu *Octavii*, & molitionibus *Bruti Caſſii*que, rem publicam reſtituere conantium, reſumitur. *Octavius* æmulabatur *Romulum*, & pariter filium Dei ſeſe jactitabat, nempe *Apollinis*: ſuſpicax erat & crudelis in limine potentiſſimi Conſulatus ſui, ut terrore & metu turbidos occuparet. Duumviri doctiſſimi repræſentant eum tanquam inde ab adoleſcentia callidum ac diſſimulandi artificem, apte recenſentes originem Triumviratus, *Auguſtum* inter ac *Antonium Lepidum*que confirmati, ſiquidem ſingulos eventus cum cauſis vinculisque ita connectunt, ut lector exiſtimet, ſeſe coram omnia cernere, rebusque Romanis intereſſe inſtar arbitri. Loca ipſa, fluvii, montes, & portus, quorum fit in Hiſtoria mentio, a Duumviris egregie deſcribuntur. In exigua inſula ad Bononiam, quam Rhenus ibi inſtruit, Triumviri primum colloquium abditiſſimum inierunt.

Pag. 9. 14.

Digitized by Google

Pag. 16. *Appianus* id fluminis vocat *Labinium*. Verum Duumviri docent, *Labinium* amnem eſſe admodum exilem, qui Rhenum influat, de cetero autem inſulam haud formet; Rhenum ex Apennino ortum trahere haud procul urbe, quæ nunc *Piſtoye* audit, irrigare Vergatum, alluere territorium Bononienſe, ac ſeſe tandem in Padum evolvere, hodieque dici *Reno*. Leges confœderationis inter Triumviros ſancitæ ad Rhenum pragmatice hic vides expoſitas. Proſcriptionis Triumviris probatæ, quæ *Ciceroni* fuit exitioſa, rationes venuſte delineantur, addi-
23. tis nummis in Triumviratus inſtituti memoriam percuſſis, quos *Tabula prima* repræſentat. Exiſtit jam ea ætate figura globi terraquei apud Romanos ſymbolum dominatus ſupremi, quemadmodum ex nummo ſecundo, eoque aureo, pateſcit. Genios, ſeu Deos tutelares, rebus creatis, quæ Deorum in numero haud ponebantur, fuiſſe attributos, haud eſt mirum; at
33. *Plutoni Martique* genios fuiſſe proprios, magis videtur extraordinarium. Princeps haruſpicum Hetruriæ accurate præſagiebat inſtantem monarchiam Romanam, ſed politicis mo-
35. mentis indubie præmunitus. Oculis lector ſeſe cernere exiſtimabit turbas, quas Romæ funeſtiſſima proſcriptionis pro-
41. ſeq. mulgatio excitavit. Tam clare & diſtincte Duumviri lachrymoſam eam rerum faciem repræſentarunt, ut in ſocietatem doloris antiquiſſimi ſit veniendum. Nex tragica, *Ciceroni* il-
71 ſeq. lata, ejusque fratri *Quinto*, lectiſſimis verbis, ſervataque veritatis & affectus ſinceritate, fuit ita perſcripta, ut duritiem lectoris ea poſſit expugnare. Mallemus tamen, ubique teſtimonia & loca Hiſtoricorum aliorumque ſcriptorum fuiſſent indicata! Proſcriptione finita, Triumviri in bellum contra *S. Pompejum*, *Brutum*, & *Caſſium*, gerendum incubuerunt, quod prælio ad Philippos commiſſo, conquievit. Funeſtiſſima mors *Bruti Caſſique*, victorisque utriusque indoles, tandem ſubjunguntur. Hæc ſunt ea, quæ *primo Libro* continentur. *Secundus Liber* percurrit *Octavii* & *Antonii* facta bellica, Triumvirorum congreſſum Romæ repetitum, ac *Antonii* inprimis indomitas libidines, & ejus cum *Cleopatra* amores. *Libro tertio* ediſſeruntur res *Liviæ*, & *Tiberii Neronis*, mariti: *Octavii* amor er-

ga

ga *Liviam* & cum ea matrimonium: ſemina belli *Cæſarem* inter & *Sextum Pompejum*: *Antonii* molitiones belli adverſus Parthos ſuſcipiendi: motus in Judæa: eventus belli adverſus *S. Pompejum* geſti: ſtatus rerum Hiſpanienſium: clades & fuga *Pompeji*: conſilia *Lepidi* ambitioſa ſucceſſusque contra *Cæſarem* improſperi: *Lepidi* depoſitio, & ad vitam privatam deductio: infelix *Antonii* expeditio, in Regem Parthorum exercitum moventis. *Libro ultimo*, ſeu *quarto*, Duumviri fuerunt complexi *Antonii Cleopatræque* res in Syria geſtas, artificia reginæ hujus occupandi regna Orientis, conata *S. Pompeji* nova, eaque infortunata, ſapientia & prudentia ab *Octavio* in Occidente exercita, expeditio ejus in Illyricum proſpera, *Antonii* progreſſus in Armeniam, clades & captivitas *Artavasdæ*, Regis, triumphus *Antonii*, Alexandriæ celebratus, ejusdemque vita libidinoſa, animus ſuſpicax & inquietus, ac imprudens in *Octavii* mentem irritandam præcipitium. Poſtrema includunt bellum civile, *Antonium* inter & *Auguſtum* geſtum, prælioque Actiaco profligatum. Gratias publico nomine Duumviris agimus, quod *Tomum* hunc, venuſte, ſolide, ac pragmatice, conſcriptum, in lucem publicam, noſtro omnium commodo, emiſerint.

Hiſtorie des Braunſchweig-Lüneburgiſchen Hauſes, &c.

h. e.

JO. FRID. PFEFFINGERI, CONSILIARII M. Britanniæ Regis, Hiſtoria Domus Sereniſſimæ Brunſuico-Luneburgicæ usque ad annum 1733, ex Hiſtoricis probatiſſimis, aliisque documentis fide dignis, expoſita, hiſtoricis & politicis obſervationibus illuſtrata, & locupleti Indice inſtructa, ab ejusdem ex fratre nepote ejusdem nominis.

Pars III.

Hamburgi, impenſis Königii ac Richteri, 1734. 8.

Alph. 3 plag. 4.

Clariſſimi *Pfeffingeri*, ex Theologo magno Argentoratenſi procreati, Hiſtoriam Sereniſſimæ Domus Brunſuico-Lu-

 nebur-

neburgenſis, quantum ad *duas* attinet *Partes*, jam olim recenſere nos meminimus. Simul atque Autor *Partem* hanc *ultimam* in lucem fuit enixus, Lubecæ diem obiit ſupremum, quod merito dolemus, quoniam ex ſchedis & Diplomatibus, a patruo ejus collectis, pulchra quævis exſpectabamus. Quæ ſpes nunc decollaſſe videtur. *Tomus* hic religioſiſſime inſcriptus fuit Sereniſſimo Principi Arauſicenſi, *Wilhelmo Carolo Henrico Friſoni*. Autor in Præfatione ſibi animum, ſtudio partium inanem, & amplificationem uſus publici, tribuit. Si ſummam libri ipſius reſpicimus, quatuor Heroas ille complecti prorſus eſt perhibendus. Repræſentantur enim lectori & ob oculos inibi ponuntur auguſta & ad omnem memoriam inclytiſſima nomina ac facta, tum togam, tum ſagum, illuſtrantia, quatuor Ducum Brunſuico - Luneburgenſium, in quibus Deus ter optimus ſplendorem amplitudinis ita emicare juſſit, ut tres faſtigium Electoralis dignitatis ſuperinduxerint Ducali, duo autem extremi Electoralem fulgorem cum ſuprema regni Britanniarum moderatione conjunxerint. Habemus hic *Joannem Fridericum*, *Georgii* Herzbergenſis filium Principem tertium, *Erneſtum Auguſtum*, ejusdem fratrem, *Georgium Ludovicum*, ex *Erneſto Auguſto* natum, & *Georgium Auguſtum*, ex *Georgio Ludovico* procreatum. Autor ſcripſit acta publica, quæ ex ſcriptis publice proſtantibus hauriri poterant. Quare ad ea quærenda huc nemo accedet, quæ ſcriniorum, arcanorum conſiliorum, nexusque politici ac pragmatici, penetralibus concluduntur. Si mentio procerum ac conſiliariorum injicitur, ſimul eorum genus percenſetur in annotationibus ſubjectis. De *Grotiorum* gente inclyta diſſeritur ſub initio vi-

Pag. 5 ſeq. tæ *Joannis Friderici*. *Domini de Grote* jam A. 1204 dapiſeratum tenuerunt hæreditarium penes *Wilhelmum*, *Henrici Leonis* filium. Si quà paululum conjuncta fuerunt cum rebus procerum aulæ Hannoveranæ, ea copioſe exponuntur, tantum abeſt, ut negligantur. Nonnullis hæc videbuntur a loco aliena. Eis tamen, qui vincula rerum publice geſtarum ſimul ob oculos ſibi poni gaudent, alia ſedebit ſententia. Hi enim ſibi gratulabuntur, hic enarrari Suecorum Danorumque mutua

bella

bella & certamina, medio Seculo ſuperiori facta. Juvat legere compactum *Joannis Friderici* & *Georgii Wilhelmi* de terris avitis, earumque diviſione, A. 1665 d. 2. Sept. Hildeshemii perfectum. *Joannis Friderici* a Conſiliis intimis fuit excellentiſſimus *Platen*, qui ad nobilitatem, dignitatem porro Baronis, ac tandem Comitis Imperii, ope tanti Ducis, eſt evectus. De ſubſidiis, liberandæ Candiæ ſubmiſſis A. 1668, afferuntur potiora *pag.* 40 *ſeq.* Tranſactio de advocatia Huxarienſi, anno 1671 propria, copioſe ediſſeritur, quam quippe adjuverunt *Joannes Fridericus* & *Georgius Wilhelmus*, Duces Sereniſſimi. Adjunguntur *Chriſtophori Bernhardi*, Epiſcopi Monaſterienſis, lites de dominio Borkelo ſuſceptæ, ac A. 1672 feliciter peracta Brunſuici ad Dominum ſuum translatio. Anno eodem exeunte a Ducibus fratribus Hannoveræ fœdus cum Rege Galliarum pangebatur. Petebat *Ludovicus XIV* Belgium fœderatum, & in illud fabam cudebat. Bellum exinde conflatum eſt notius, quam ut ei recenſendo immorari videatur operæ pretium. Annectuntur controverſiæ *Joannis Friderici* cum urbe Hamburgo, fœdus ejus cum Suecorum Rege, Imperatoris ac Hiſpanorum bella adverſus Gallos, pacta de neutra parte eligenda inter *Joannem Fridericum* Daniæque Regem A. 1675, nec non Galliarum Regem, transactio de fœdere cum Epiſcopo Monaſterienſi, ac præparatio, paci Noviomagenſi præmiſſa. Subjunguntur filiæ *Joannis Friderici*, earumque conjugia memoratu digniſſima. Exhibetur *pag. 266 ſeq.* privilegium *Eliſabethæ*, ordinibus provincialibus in comitiis Pattenſenſibus A. 1542 indultum, quantum ad religionem Evangelicam in terris Calenbergicis attinet. Confirmavit illud Dux beatiſſimæ memoriæ, *Fridericus Ulricus*, A. 1613 Hannoveræ, repetitum Aulicæ A. 1614 d. 8 Oct. & Brunſuici A. 1628, nec non *Georgius* Dux A. 1636 d. 26 Febr. Hannoveræ, & A. 1638 d. 4 Febr. Hildeshemii *pag. 314 ſeq.* Hannoveræ denuo A. 1639 d. 3 April. *pag. 324 ſeq.* Hildeshemii porro A. 1641 d. 20 Mart. *pag. 346 ſeq.* item *Chriſtianus Ludovicus* A. 1642 d. 21 Julii *pag. 364 ſeq.* ac A. 1644 d. 15 Martii Hannoveræ, nec non ibidem A. 1646 d. 26 Sept. *pag. 376 ſeq.* tandemque *Erneſtus* Au-

[Right margin: Pag. 16 ſeq. · 23 ſeq. · 32. · 48 ſeq. · 53 ſeq. · 55 ſeq. · 65 ſeq. · 193 ſeq. · 207 ſeq. · 225 ſeq. · 255 ſeq. · 274 ſeq. · 307 ſeq. · 369 ſeq.]

Digitized by Google

Auguſtus A. 1680 d. 12. Oct. Hannoveræ *pag. 380 ſeq.* Quibus inſertis, Cl. Autor ad vitam & facta Sereniſſimi *Erneſti Auguſti* animum calamumque convertit, ejusque conjugium, A. 1658 Heidelbergæ celebratum, ſucceſſionis jure in Britanniam Magnam fœcundum & felix, cum *Sophia* Palatina, defuncta A. 1714 d. 8 Junii. Ex hiſce ſatis, opinamur, patet, quanta diligentia hanc *Partem* elaboraverit Autor, quæ multis paraſangis, ſi documenta publica & recenſionem pleniorem reſpicias, *duas priores Partes* relinquit. Dolemus, ipſum Operi, vix in lucem emiſſo, fuiſſe immortuum, fructusque induſtriæ ſuæ inter mortales haud reportaſſe; haud tamen diſſimulamus, nexum & ordinem ſæpius omnino reddi potuiſſe magis pragmaticum pulchriusque digeſſum.

Pag. 387 ſeq.

COMPENDIO DELLA VITA DELLA BEATA CATERINA DE' RICCI, &c.

h. e.

COMPENDIUM VITÆ B. CATHARINÆ DE RICCIS, Virginis ſacræ & venerabilis Cœnobii, quod S. Vincentio Pratenſi ac tertiario Ordini S. Dominici ſacratum fuit, excerpta ex momentis recenſitæ ipſius Beatificationis, ad Excellentiſſimam Dominam VICTORIAM ALTOVITI CORSINIAM, Principem Sismanenſem, neptem CLEMENTIS Papæ XII; Autore D. VIRGINIO VALSECHIO, Caſſinenſi,

Florentiæ, typis Bernardi Paperini, 1733, 4.

Plag. 13½.

Virginius a Virgine, quam conſenſus ſuæ Eccleſiæ pronuntiat beatam, haud abhorruit. Tractatio ipſa conſtat ex admonitione præmiſſa, ac *Capitibus XV*, quibus vita & facta memorabilia tantæ Herois exponuntur, quæ Florentiam nacta fuit patriam, nata A. 1522 d. 23 Aprilis ex ampliſſima Patriciorum, qui *Riccii* vocantur, domo, patre *Franciſco*, viro ſpectatiſſi-

Pag. 2.

Digitized by Google

ctatiſſimæ dignitatis, ac matre *Catharina*, ex *Panzaniorum* ſtirpe edita. Ipſa in cœnobio tenera educata, continuo plangens, preces ad imaginem quandam, quæ Jeſum cruci ſuffixum præfert, direxit, quæ ab ipſa adhuc trahit nomen. Ipſa in dies 35 repetiit recitationem orationis dominicæ in memoriam paſſionum, quas exantlavit Chriſtus. Duodecim annos nata iniit vitam cœnobialem, profeſſione eum in finem edita. Novitia Pag. 8.
adhuc correpta fuit crebris ecſtaſibus, viſa ſibi crebro videre Servatorem optimum, B. Virginem, & Angelum ſuum tutelarem. Ne vero ludibriis dæmonum foret locus, arbiter conſcientiæ ipſius autor fuit, ut ipſa adhiberet ſignum crucis, ac nonnullas precum formulas. Prædicat Autor virtutes Vir- 11.
ginis. A. 1542 extra ſeſe rapta myſteria paſſionis dominicæ 20.
hauſiſſe traditur. Similia occurrunt in vitis *Gichtelii* & *Joannis Engelbrechtii*, textoris lanarum Brunſuicenſis. Spiritum *Catharinæ* probavit *P. Franciſcus Romei*, Provincialis Ordinis S. Dominici. Adjunguntur aliorum quoque exploratio- 33.
nes *Cap. VIII pag. 39 ſeq.* & præconia, quibus ſpiritus ei propheticus tribuitur. Recenſentur porro miracula, quæ ab ipſa 56 ſeq.
fuiſſe exprompta perhibentur. Omittimus expoſitionem ope- 82 ſeq.
rum, quæ ab ipſa recte & glorioſe effecta creduntur. Obiit illa A. 1589 d. 2 Febr. effectrix, uti ajunt, miraculorum ad noſtram usque ætatem. Videtur ipſa, ſi quid judica- 85 ſeq.
mus, ab ineunte ætate ad ecſtaſes & alienationem mentis ſatis apta nata fuiſſe, cui piæ aliæque admixtæ ideæ & cogitationes, præcluſis ſenſibus externis, animam compleverunt, congruenter regulæ imaginationis. Exempla ejusmodi ſatis multa exſtant quoque extra Romanam Eccleſiam, quæ iisdem ornarentur fortaſſe elogiis, niſi ipſæ perſonæ conſimiles vixiſſent a cœtu illo ſegregatæ.

JACOBI BRUCKERI HISTORIA VITÆ ADOLPHORUM OCCONUM, Virorum Clariſſimorum, ad illuſtrandam rem literariam & medicam Seculi XVI comparata. Acceſſit, præter alia, ſummi Viri, LUCÆ SCHROECKII, Medici Cæſarei, & Acad. Natur. Curioſ. quondam Præſidis, Hygeia Auguſtana.

Lipſiæ,

Lipſiæ, apud Joannem Chriſtianum Langenhemium, 1734, 4.
Plag. 16.

Cum in diſtinguendis tribus *Occonibus*, Medicis Auguſtanis, admodum erraverint viri eruditi, bene omnino præclareque egit Cl. *Bruckerus*, optime jam de re literaria meritus, quod eorum vitas nunc accuratius expoſuit. Materiam Opuſculi ipſe acceptam refert Illuſtri *Wolfg. Jac. Sulzero*, Senatori Auguſtano. Is enim, ut in iis, quæ ad rem urbis Auguſtanæ ſacram, civilem, atque literariam, pertinent, undecunque colligendis fuit perquam aſſiduus, &, cum, pro graviſſimorum, quæ nunc in patria ſuſtinet, munerum ratione, iis in ordinem redigendis poliendisque non ſufficiat, ex ſua penu aliorum conatus identidem adjuvat, ita &, poſtquam aliquando in colloquio cum Cl. *Bruckero* habito ampla *Occonum* mentio facta erat, vehementi hujus deſiderio ſatisfacturus, quicquid in adverſariis de *Occonum* vitis habuit, omne id benevole expromſit, ut juſtos commentarios ex illis elucubraret, ſuisque obſervationibus, ad illuſtrandam hanc hiſtoriam comparatis, augeret. Primo hujus Opuſculi loco ſiſtuntur vitæ quorundam Medicorum, iſtis *Occonibus* æqualium, ex eodem theſauro *Sulzeriano* expromtæ, ſcilicet *Joannis Cubæ*, *Bartholomæi Merlingeri*, *Joſephi Grunenbeck*, *Sigismundi Grimmii*, *Marquardi Frœeri*, *Ambroſii* & *Joannis Jungii*, *Joannis Moibani*, *Gedeonis Sayleri*, *Chriſtoph. Wirſungi*, *Achillis Pirminii Gaſſeri*, *Jeremiæ Martii*, *Lucæ Stengelii*, *Georgii Laubii*, *Leonardi Rauwolfii*, *Tobiæ Cneulini*. Poſtea *Occonum* vitæ enarrantur, quas breviter repetemus. *Occonum* gens inter Friſios antiquiſſima & nobiliſſima fuit, apud quos & *Adolphus Occo I* Oſterhuſæ in Friſia Occidentali A. 1447 primam lucem vidit, patre uſus *Hagnino* vel *Hagnigo Occone*, ex equeſtri familia oriundo. Primum Oeniponte, *Sigismundi*, Archiducis Auſtriæ, Archiater ſimul conſtitutus, poſtea Auguſtæ Vindelicorum, medicinam exercuit, ubi etiam A. 1503 diem ſuum obiit. Non ſolum præſtans Medicus, ſed in Latina quoque poeſi eximie verſatus, imo humanioribus literis præclare doctus, fuit, earumque tunc renaſcentium incrementa ſummo ſtudio promovit.

Adol-

Digitized by Google

Adolphus Occo II natus eſt Brixiæ in Comitatu Tirolenſi A. 1494. Pater ejus ignoratur. Haud dubie cognatione cum illo priori *Occone* junctus, certiſſime ab ipſo adoptatus, & Medicinæ, humanioribusque literis, innutritus fuit. Artem ſuam, cujus ſummos honores Bononiæ conſecutus erat, Auguſtanæ urbis uſibus ultra quinquaginta annos conſecravit, inter Poliatros quoque receptus, & noſocomio *Faggeriano* præfectus. Connubium iniit cum *Helena Weiſia*, *Leonardi Weiſia* filia, cui *Weiſianæ* genti poſtea nobilitas dignitasque patricia collata fuit. Ut vero magnum in ipſo juvandi bonas literas fuit deſiderium, eruditis viris ſubinde Codices veterum Autorum manu exaratos ſubminiſtravit, ut illorum cura ederentur, quod ipſi aliis negotiis impedito perficere non licebat. Ita *Jano Cornaro*, *Hippocratem* edituro, aliquem hujus Autoris Codicem, itemque *Joanni Agricolæ Ammonio*, Profeſſori Ingolſtadienſi, Codicem *Nicolai Myrepſi* de compoſitione medicamentorum transmiſit, qui eundem Ingolſtadii brevibus annotationibus auctum publicavit. Tandem & cum tribus Collegis Conſilium de peſte edidit. Deceſſit ex vita A. 1572, ætatis autem 77. *Adolphus Occo III*, prioris filius, Auguſtæ Vindelicorum A. 1524 natus, major adhuc patre & medicinæ ſtudio, & elegantioribus literis, eluxit. Ferrariæ ſummis ſuæ artis honoribus condecoratus, in patriam rediit, ibidemque in facienda medicina aſſiduus, officinis pharmacevticis conſtituendis & emendandis præfectus, &, cum Collegium medicum erigeretur, primus ejusdem Collegii Decano Vicarius perpetuus adjunctus fuit. Ceterum Viri candidi, ad inſerviendum promti, & in muneribus ſeduli, laudes ei tribuuntur. Accidit quidem A. 1588, ut, turbis Auguſtæ propter Gregoriani Calendarii introductionem, & jus vocandi Eccleſiæ miniſtros, obortis, cum multis aliis, officiis muneribusque moveretur, & ſtipendium amitteret. In eo tamen ſi quid peccatum ab ipſo fuit, ſoli in Eccleſiam Evangelicam amori, cujus libertatem inſidiis peti, ſuſpicacius cum plerisque aliis, qui tunc Senatui per conſcientiæ rationem obſequi detrectabant, crediderat, id tribuendum, nec ita malo animo erraſſe eum, Cl. *Bruckerus* contendit. Corpore fuit exiguo, & valetu-

dine non adeo firma. In Medicina, & omni doctrinæ genere, linguæ etiam Græcæ cognitione, Atticæque venuſtatis, ſi quid Græce ab ipſo ſcribendum eſſet, facultate, fundendisque carminibus, admodum excelluit, antiquitates præterea ex numis & marmoribus, cum a paucis id ante eum factum eſſet, illuſtrare ſuſcepit. Inter honores ipſi collatos merito referuntur inſignia & jura nobilitatis, quæ *Maximilianus II* Imperator noſtro, ejusque nepotibus, confirmavit, & auxit, & argentei duo nummi elegantiſſimi, quibus imago ejus expreſſa cernitur cum inſignibus, in fronte Opuſculi hujus delineati. Conjugium iniit duplex, primum cum *Anna Maria Dettighoferia*, alterum cum *Regina Geyerhofia*, utrisque ex honeſtiſſima gente natis. Ex prima uxore genuit filios quinque, totidemque filias; ex altera filios quatuor, filiamque unicam, ex quibus duo inprimis filii non paternarum tantum virtutum, ſed & eruditionis, hæredes fuerunt ut digniſſimi, ita clariſſimi. Inter ſcripta ejus connumerantur 1) Loci cujusdam elegantiſſimi ex *Platonis* Theæteto interpretatio Latina; 2) *Georgii Gemiſti Plethonis* libellus, de quatuor virtutibus, Latine verſus; 3) Carmen in *Geſneri* obitum; 4) Concluſiones triginta & una, ad quæſtionem, num lues, quæ peſtis dicitur, neceſſario adjunctam habeat febrem peſtilentem vel hecticam, ita, ut vel contenta cordis, vel ipſius ſubſtantia, putreant neceſſario; 5) Pharmacopœia Auguſtana, ab ipſo primum inchoata, cujus hiſtoria hic fuſius traditur, a nobis ſtrictim recitanda. Cum ad *Occonem* cura pharmacopoliorum pertineret, videretque ille, ex veterum medicamentorum formulis, nec accuratis ſatis, nec certis, & ad amuſſim præſcriptis, magnam oriri confuſionem, autoritate Senatus manum huic operi primam admovit. Prodiit itaque prima editio Pharmacopœiæ Auguſtanæ A. 1564, altera A. 1577 in fol. tertia A. 1578 in 12, quarta A. 1580 in eadem forma, & quinta in folio, cum decreto Senatus Auguſtani, ratione Medicorum & Pharmacopoeorum ſancito. Mortuo *Occone*, Celeb. Medicus *Raymundus Minderterus* curam revidendi Operis ſuſcepit. Atque hinc publicam lucem vidit editio ſexta in folio A. 1613, cum pretio medicamentorum & Prolego-

legomenis *Mindereri*, ſeptima A. 1622, octava in 8 A. 1623, nona in folio A. 1640, cum Mantiſſa medicamentorum chemicorum, decima in 8 A. 1643, undecima in fol. A. 1646. Magno ubique applauſu cum exceptum, magnoque ſemper deſiderio quæſitum eſſet hoc Opus, fuit tamen aliquamdiu poſt *Joannes Zwelferus*, Palatinus, Medicinæ Doctor, qui illud Animadverſionibus in Pharmocopoeiam Auguſtanam, ejusque Mantiſſam, ſive Pharmacopoeia Auguſtana reformata, iterum Norimbergæ cum Appendice, & deinceps ſæpius, excuſa, graviter laceſſeret. Id quidem ſe agere ait *Zwelferus*, ut errores, qui in Pharmacopoeiam Auguſtanam, atque ſic in omnem rem medicam, irrepſerant, breviter exponat, compoſitiones, a Medicis ſatis confuſe præſcriptas, ſalvis ingredientibus, in ordinem redigat, veramque præparandi rationem oſtendat; verum enim vero utplurimum certat conviciis, eorumque velut plauſtra evomit, & in viros bene meritos debacchatur, & multos ipſe graviſſimosque errores committit. Omnem ejus impetum & velut inſaniam diu inſigni patientia & generoſo ſilentio ſuſtinuerunt Auguſtani Medici. *Zwelfero* autem vita defuncto, poſtquam *Michael Raphael Schmuzius a Poyſtorf*, Ducis Neoburgici Conſiliarius, Aulæque & civitatis Medicus, Apologiam Latinam, invitis & dehortantibus Auguſtanis, ediſſet, ecce *Fridericus* quidam *Mullerus*, Seplaſiarius Viennenſis, prodiit, produxitque in lucem A. 1671 in 8 Umbram redivivi *Zwelferi*, ubi *Schmuzium* ſatyrico ſale perfricat, Auguſtanos vero ſimul conviciis non mediocriter petit. Victa tandem, præcipue cum magni Medici non ferendas eſſe amplius injurias exiſtimarent, Auguſtanorum patientia, ad defendendam bonam cauſam excitatus *Lucas Schræckius*, Medicus tunc numero ultimus, edidit Pharmacopoeiam Auguſtanam reſtitutam, ſive Examen Animadverſionum in Diſpenſatorium Auguſtanum, ejusdemque Mantiſſam Hermeticam, *Joannis Zwelferi*, Palatini, A 1673, in 4, ubi modeſtiſſime & doctiſſime *Zwelferum* refellit. Peſſime hac modeſtia abuſus eſt *Mullerus*, & non minus ſcabioſa rabie optimo Viro, quam *Schmuzio*, reſpondit. *Schmuzius* has cavillationes retudit, ſed tum nec ipſi

Digitized by Google

Schræckio pepercit. *Fridericus* quoque *Hoffmannus* quasdam *Schræckii* contra *Zwelferum* obſervationes refellit. *Schræckius* igitur poſtea huic humaniſſime, illi per contemtum vix tribus verbis, iſti paucis, prout merebatur, reſpondendum putavit. Atque hunc exitum habuit illa controverſia. Duodecima Pharmacopoeiæ Auguſtanæ editio *Schræckii* curis reviſa prodiit A. 1684, decima tertia A. 1694, & decima quarta A. 1710. Ad *Occonis* vero ſcripta porro pertinent 6) Epiſtola quædam, elogium Rhabarbari continens; 5) Imperatorum Romanorum Numiſmata, denuo auctius recuſa, cui Operi emendando & perficiendo poſtea inſudarunt *Hulſius*, & præcipue *Franciſcus Mediobarbus*; 8) Inſcriptiones veteres, in Hiſpania repertæ. Vita tandem abiit *Occo* A. 1606 d. 26 Sept. octogenario major. Quoniam Epigrammata in *Occonum* inſignia, Auguſtæ Vindelicorum A. 1601 ad inſigne pinus primum edita, illuſtrandæ illorum hiſtoriæ inſervire putavit, hæc ipſa pariter ac argumenti ſimilis argumenti Hygeam Auguſtanam, ſive memoriam ſecularem Collegii Medici Auguſtani, ab Illuſtri *Schræckio* A. 1682 editam, tabulamque Genealogicam gentis *Occonianæ*, ſubjunxit.

LA ISTORIA DELLA VITA DI S. GIOVANNI NEPOMUCENO, &c.

h. e.

HISTORIA VITÆ, MARTYRII, ET MIRAculorum S. Joannis Nepomuceni, Canonici Pragenſis, cum actis Canoniſationis, ſcripta a BARTHOLOMÆO ANTONIO PASSI, Canonico Tridentino, & Secretario Majeſtatis Cæſareæ & Catholicæ ad Legationem Imperialem, ſanctæ Sedi admotam, adjuncto.

Venetiis, typis Bartholomæi Javarinæ, 1730, 8.
Alph. 1 plag. 3.

Jam pridem hic liber Romæ formis publicis deſcriptus fuerat, ſed parce, & duntaxat eo fine, ut munuſculum præberetur

tur amicis ab Autore. Typographus operæ pretium credidit, librum, cui ipſe cum aliis pretium ſatis magnum ponit, in manus complurium transferre. Prior editio prodierat in forma, quam appellant quartam. Præterea nulla intercedit differentia priorem inter & poſteriorem editionem. *Capitibus XVIII* liber incluſus eſt omnis. *Primo* agitur de *Nepomuceni* patria, parentibus, natali; *ſecundo* de ejus infantia, educatione, ac ſtudiorum tirocinio; *tertium* complectitur ſtudia ipſius, in Academia Pragæ pertractata, ubi evaſit Sacerdos, deinde Eccleſiaſtes, & Canonicus Baſilicæ; *quarto* exponitur modus, quo dignitatem Epiſcopalem oblatam, ac poſtea magnam Præpoſituram Wiſſeradenſem, detrectaverit, acceperit e contrario onus Eleemoſynarii, ac Confeſſionarii Reginæ. *Capitibus* ſequentibus referuntur calamitates, quibus a *Wenceslao* fuit expoſitus. *Capite octavo* oſtenditur, ipſum juſſu *Wenceslai* in Muldam projectum fuiſſe, atque hic interiiſſe, Deo ſanctitatem ejus miraculis teſtificato. *Capite nono* ejus exſequiæ & ſepultura, quæ ei in templo S. Crucis vicino obtigit, recenſentur. Adduntur nonnulla memoratu digna, quæ circa tumbam ejus evenerunt, ac quæ ad honorem, quo ipſe cultus fuit, ſpectant. Autor contendit, *Nepomucenum* ſingularem eſſe rectæ ac honeſtæ famæ vindicem, eſſe thavmaturgum Bohemiæ, quippe qui poſt obitum eximia ediderit miracula, quæ a Sede Romana ſint approbata, ejusque viſa dignitatis, ut *Nepomucenus* ordini cœlitum adorandorum ſit adſcriptus. *Capite* tandem *duodevigeſimo*, eoque ultimo, brevis ſubjungitur recenſio actorum, quibus oſtenditur, quomodo *Nepomucenus* ad tantum divinitatis gradum fuerit evectus. Ne vero Hiſtoria hæc nimis videretur jejuna vel ſicca, eapropter paſſim exornata fuit locis communibus. Ipſe locus communis, quo Regem gregis ſui ſpeculum & normam vocamus, librum recludit ac aperit. *Wenceslao* Regi hic objicitur barbaræ ferocitatis crimen. Nomen vero *Nepomuceno* adhæſit a villa *Pomock*, *Pamuck*, *Nepomuck*, ſita in tractu Pilſenſi. Ipſe natus fuit circiter A. 1330, ſtudiisque vacavit tum in patria, tum Zatecii, tum Pragæ. In undis exſtinctus ac ſepultus fuit, ut inſcriptio tumuli habet, A. 1383.

Pag. 9 ſeq. 37 ſeq. 48 ſeq. 294 ſeq. 237 ſeq. 398 ſeq. 337 ſeq. 3. 4.

Honorem Divi ex beneficio reportavit Pontificis *Benedicti XIII* A. 1729 d. 14 Cal. April. cujus conſtitutio adjungitur, ſubjiciturque actis reliquis *pag. 370 ſeq.* Non eſt noſtrum, hisce intercedere hoc loco. Librorum enim ſummas carptim delibamus, judicio noſtro, quantum ad controverſias Theologicas attinet, plerumque ſuperſedentes. Stilum inter hæc & ordinem tractationis non poſſumus non prædicare, debitisque ornare laudum documentis. Cauſa adſcripti in ſeriem adorandorum cœlitum *Nepomuceni*, ſi eam ſcire aves, poſita fuit
Pag. 378. in ſervata potiſſimum lege arcani confeſſionis ſacramentalis, linguæque ejus ad annum usque 1725 incorrupta natura, in ſanctitate Viri, & in miraculis ab eo poſt mortem editis.

BIBLIOTEQUE DES THEATRES, &c.
h. e.

BIBLIOTHECA THEATRORUM, COMplectens Catalogum alphabeticum Actuum Dramaticorum, theatrorum artificioſiſſimorum, parodiarum & Comœdiarum, ac tempus, quo ludi, in eis obvii, fuerunt editi, cum anecdotis ad plerasque partes operum, in hac Collectione occurrentium, & ad vitam Autorum, Muſicorum, & Actorum.

Pariſiis, typis Laurentii Franciſci Pralti, 1733, 8.
Alph. 1.

Quibus videtur operæ pretium, noſſe Comœdiarum Gallicarum titulos, autores, actores, muſicos, tempusque, quo ipſæ vel ſunt compoſitæ, vel oculis ſpectantium expoſitæ, eorum eſt, hoc conſulere Opuſculum. *Carolus Marquetellus* de S. Dionyſio, Dominus de S. *Evremond*, conſcripſit A. 1643 Co-
Pag. 2. mœdiam ſatyricam, quæ nunquam fuit edita, ſub titulo: *Les Academiſtes.* Eo anno Academia fuit reformata. Quanta ſit vel in invitis poteſtas ac vis humanæ imaginationis, pateſcit ex *Molierii Ægroto imaginario*, ſeu Comœdia, quæ inſcribitur:
192. *le malade imaginaire.* Autor enim, repræſentationis ad minimum,

nimum, *Molierius*, ſuffocatus fuit inter agendum A. 1673 d. 17 Febr. natus annos 51½, vel, ſecundum alios, 53. *Molierii* genuinum nomen erat *Joannes Baptiſta Pocquelin.* Ipſe fuit filius fabricatoris periſtromatum ac cubicularii Regii. *De Grimareſt* ſcripſit ejus vitam. In *Miſanthropo Molierius* Pag 209
reſpondit ad falſo devotorum criminationes, quibus ipſi Comœdiam, *Tartufe* dictam, fuerant conſectati. Ill. Marchio *Scipio Maffæus* ſcripſit Tragœdiam, cui *Meropes* eſt nomen, quam, ex Italico in Gallicum translatam, actores paſſim exhibuerunt. Tanto ea applauſu fuit excepta, ut Germanice, Anglice, & Hiſpanice etiam, reddita ſit. Idem præterea compoſuit Comœdiam *Cerimanie*, ac Drama *la fida ninfa*, nec non pulcherrimarum Tragœdiarum collectionem, quam inſcripſit *il Theatro Italiano.* Catalogus operum Ill. Marchionis exſtat *Volum. I Mercurii Menſe Junii A. 1731.* In *Menckeniorum* Bibliotheca Virorum militia æque ac ſcriptis illuſtrium locum meretur nobilis Aquitanus *Cirano de Bergerac*, certamini ſingulari in dies intentus, qui obſidioni Muſoni interfuit, ac voluntarium egit militem, defunctus A. 1655, annos natus 35. Scripſit vero *Hiſtoriam comicam ſtatuum lunæ*, conſimilem *Hiſtoriam de ſtatibus ſolis*, *Colloquia acuta* (*les entretiens pointus*), *Fragmentum Phyſicæ*, Tragœdiam *de morte Agrippinæ*, & Comœdiam, cui cognomen *le Pedant joué.* Scripſit ſingula Gallice. Abbatis *Geneſti* Tragœdia, cui nomen *Penelopes*, A. 1684 octies edita, virtutes optimas adeo ſpirat, ut Theologus ac Abbas Gallus, qui in Comœdias ſcripſit invectivam, eam approbaverit, lectuque utilem duxerit. Et quis e tot floribus corollam poteſt ſibi denegare? Liber accurate & diligentiſſime perſcriptus non eget hedera ſuſpenſa. In calce acceſſiones & correctiones fuerunt ſubjunctæ, nec non Chronologia Autorum dramaticorum inde ab A. 1450, ac porro Tabula alphabetica, nomina exhibens Autorum, Muſicorum, & Actorum.

206 ſeq. · 240 ſeq. · 241 ſeq. · 321 ſeq. · 343 ſeq. · 357 ſeq.

PRESERVATIF CONTRE LA CHARLAtanerie, &c.

h. e.

PRÆ-

PRÆSERVATIO A CHARLATANERIA Medicorum falſi nominis, Opus poſthumum D. JO. GAZOLÆ, *ex Italico ſermone Gallice verſum per* A. F. D. D. C.

Lugduni Batav. apud Joannem Luzac, 1735, 8.
Plag. 15½.

Italiæ civitates abundare videntur compluribus ex *Galenicorum* familia Medicis, qui alia omnia potius, quam rectam medendi rationem, intelligunt, & in cognoſcendis curandisque morbis non tam ſua, eademque exculta & emendata, ratione utuntur, quam veterum ſaltem placita, & inprimis *Galeni* autoritatem, pertinaciter conſectantur. Horum itaque ignorantiæ & ſtupiditati diem dicit doctisſimus Autor, Medicus Veronenſis, ab iisque cavendum eſſe unicuique, qui ſanitatem & vitam ſuam curæ cordique habet, toto libello inculcat. CAP. I. Initio enim oſtendit, in tanta Medicorum turba paucos admodum eſſe, qui id nomen vere mereantur; iſtiusmodi autem Medicaſtrorum plena eſſe omnia, quorum univerſam encyclopædiam breviter quidem, ſed ſatis nervoſe & belle, deſcribit, ſimulque damna, quæ ab iis in vitam valetudinemque hominum redundant, candide exponit. Quisquis igitur ægrotantium ſine judicio & delectu Medicum quemcunque advocat, eum tam facile, imo longe facilius, incidere in manus imperiti hominis, quam docti prudentiſque viri, demonſtrat, quod multitudine hos illi ſuperent; imo nec eos, qui ſe aliis magis acute videre opinantur, tanta mentis acie valere, ut Medicum bonum & genuinum a ſpurio internoſcant, cum iſti, ſi non alias conditiones, utplurimum tamen & praxeos & famæ amplitudinem, reſpiciant, quam utramque medicaſtri magis variis artibus captare & conſequi ſolent, quam docti honeſtique Medici, qui, quando in ſcientia ſua & recta officii adminiſtratione omnem ſpem ſuam collocant, aliasque artes negligunt, plerumque parcius pulſari fores ſuas intelligunt, & tenuiorem nanciſcuntur gloriam. In tam fertili igitur futilium Medicorum ſegete, & tanto delectus periculo, ſatius fere

eſſe

Digitized by Google

eſſe inquit Autor, ut ægrotus, vitandi majoris mali gratia, ab omni medico abſtineat, atque ſolius ſe naturæ, utpote optimæ morborum medicatricis, viribus relinquat. Metuit vero idem, CAP. II. ne ita nonnullis in medicina videatur atheus, i. e. talis, qui de ejus exiſtentia dubitet. Quamobrem probat poſtea, eſſe re vera medicinam, &, qui eam recte ſibi reddidit cognitam, in conſilium eſſe adhibendum, & non mediocriter honorandum. Neminem autem eidem recte æſtimando eſſe parem, niſi qui ipſe veram medicinam intelligat. Namque & illud ſæpiſſime indicium fallere, quod a felici & multiplici multorum, etiam graviorum, morborum cura petatur. Medicos enim imperitos frequentius morbos leviores, quos veri Medici initio ſtatim jugulant, ſua culpa ſinere invaleſcere, aut præpoſtera medicatione exacerbare, neque tamen minus, quando ita ægrotantes pernicioſi remedii vim naturæ beneficio ſuperent, atque ex præſentiſſimo periculo evadant, id ſua providentia factum eſſe, vane gloriari. Quoniam itaque pauciſſimi reperiuntur veri nominis Medici, iidemque a medicaſtris nullo propemodum modo diſcerni queunt, quilibet, monente Noſtro, ſuus ipſius medicus fieri, &, quæ ſalutem ſibi, quæ detrimentum, afferant, accuratius perſcrutari conetur, idque factu erit eo facilius, quod hominibus idem inſtinctus ac reliquis animalibus, ad ſalubria appetenda, & noxia fugienda, inſit. Poſt hæc evincit, medicinam eſſe ſcientiam maxime difficilem, hancque III. ob cauſam pauciſſimos occurrere veri nominis Medicos, eamque difficultatem ſatis patere, ſimul vero non mediocriter augeri ex variis ſectis, quarum empiricam, methodicam, & dogmaticam, ex veteribus percenſet, eorum errores atque nævos inſigniores retegit, & acerbe ſimul in Italos ſuos invehitur, qui, autoritatis præjudicio corrupti, *Hippocratis* atque *Galeni* doctrinis unice inhæreſcant, ea demum de philoſophandi libertate diſputans, quæ vix ab Italo exſpectares. Quoniam longiſſimam vitam tantum non omnes enixe cupiunt, IV. apertam eſſe noſtro etiam tempore eandem viam aſſeverat, ad illam ipſam perveniendi ætatem, quam in hominibus ante diluvium adeo admiramur, modo rectam victus vivendique

Mmm

Digitized by Google

que rationem ineamus. Quæ in quibus rebus conſiſtat, copioſius ediſſerit, atque de recto aeris, alimentorum, potus, motus, ſecretionum, atque excretionum, animique affectuum, uſu candide nos docet. Quodſi tamen & medico in morbis opus habeat ægrotus, diſquirit Noſter, utrum *Galenici* potius, an vero ex recentiorum placitis medentis, conſilio uti conveniat. Poſteriori tribuit palmam; priorem autem imperitum & ignavum eſſe hominem, denuo commonſtrat, qui non alia re, quam ſuo plerumque ſenio, vel autoritate aliorum, eorumque principum Medicorum, ex eadem ſecta, primas ubique adhuc tenente, nitatur, ad ſuam vero inſcitiam tegendam, incruſtandosque errores, tum ad tot ſeculorum decurſum, quo Medicina ex ſuæ methodi regulis exercitata fuit, tum ad tot fauſtas, ſua arte peractas, morborum graviſſimorum curationes provocat. Ut vero ficulnea hæc argumenta facili opera Noſter ſubruit; ita recentiores Medicos, tanquam veros naturæ miniſtros prædicat, quippe qui in obſervationibus propriis accuratiores, experimentisque Anatomicis, Phyſicis, Chemicis, adjuti, corporis fabricam, motuumque naturalium rationes & harmoniam, morborum nexus, remediorum vires præterea, & circumſpectam ea applicandi methodum, magis exploraverunt. Aggreditur hinc denuo *Galenicos*, quippe quos pro inſtituti ſui ratione caſtigandi nullam toto libello occaſionem prætermittit, omnem illorum artem & medicationem, ab *Hippocratis, Celſi, Galeni*, aliorumque, præceptionibus prorſus alienam eſſe demonſtrans, ſigillatim vero frequentem & intempeſtivum remediorum catharcticorum uſum, potiſſimum in morborum initio, etiam venæſectiones & veſicatoria, acriter & ſalſe perſtringens. Neque vero ob hæc ipſa tantum, ſed ob doctrinas etiam non contemnendas, & ratiocinationes accuratas, perſuaſiſſimum nobis habemus, libellum hunc a quolibet, præter medicum *Galenicum*, cum voluptate lectum iri. Et, quamvis, quod recte obſervat in Præfatione Interpres, Gallia, Britannia, atque Germania, tam indoctis ineptisque Medicis non circumfluat, ſicut ab Italo noſtro deſcribuntur, tamen, cum & inter noſtrates utique nonnulli identidem prodeant, qui, impetrata in vitam valetudinemque

CAP. V.

que

que hominum graſſandi licentia, experimenta, ut *Pliniana* dictione utamur, per mortes faciant, animasque hominum negotientur, hi ipſi id, quod Italus noſter in civibus ſuis reprehendit, ſibi etiam dictum putent, ſeroque tandem reſipiſcant. Ceterum, quando & Autor noſter naturæ corporis humani viribus nimium tribuit, &, omnes propemodum ſalutares in morbis effectus eidem deberi, homines etiam naturali quodam inſtinctu ſalutaria cognoſcere, ad eademque appetenda ferri, præterea noſtris quoque temporibus ſenium illud, quod ante diluvium patres attigerant, aſſequi licere, dictitat, quando ſine omni fere diſcrimine uſum remediorum catharcticorum in principio morborum, venæſectiones, & veſicantia remedia, rejicit, quando Aſtrologicis ſomniis patrocinatur, multi erunt, qui in his aliisque forſan cum illo non conſentiant, ſicut & ipſe Interpres Gallus ſe a nonnullis ejus ſententiis alienum profitetur.

ELEMENTI DI FISICA, &c.
h. e.
ELEMENTA PHYSICES, EXPOSITA A JO. CRIVELLIO, Clerico Regulari.
Pars I.

Venetiis, per Stephanum Orlandinum, 1731, 4.
Alph. 1 plag. 16, cum Tabb. æn. 13.

Præſens liber, cujus doctiſſimum Autorem jam in his *Actis Anni 1729 Menſe Martio pag. 128* laudavimus, quanquam tardius ad manus noſtras pervenit, haudquaquam tamen omittendus videtur. *Primam*, ſive generaliorem, Phyſices *Partem* complectitur; in qua pertractanda, ſive ordinem ac methodum, ſive res ipſas, ſpectes, nihil Vir Clariſſ. prætermiſit, quod lectoribus, maximeque Italis ſuis, Philoſophiæ naturalis ſtudioſis, uſui eſſe poſſe judicavit. Cum enim videret, utiliſſimam jucundiſſimamque hanc ſcientiam, tot excellentiſſimis ingeniis mirifice hodie excultam, a nemine adhuc ſermone Italico rite explicatam eſſe, operæ pretium ſe facturum ratus eſt, ſi hunc ſibi laborem ſumeret,

ac præcipua Phyſices capita tyronibus non plane *ἀγεωμετρήτοις* perſpicue & ſuccincte interpretaretur. Præmiſit brevem de conſtitutione & incrementis hujus ſcientiæ hiſtoriam, ab antiquorum Philoſophorum temporibus ad noſtram ætatem continuatam. Deinde *Libro primo* de materia & forma corporum naturalium, de diviſibilitate, aliisque materiæ proprietatibus, de principiis *Democriti* & *Epicuri*, de vacuo, de materia ſubtili ætherea, de principiis *Leibnitianis*, de elementis *Empedoclis*, itemque de elementis Chymicorum; *Libro II* de natura, exiſtentia, & cauſa motus localis, ejusdemque continuatione, de motu compoſito, & curvis inde naſcentibus, de motu reflexo, de gravitate, de æquilibrio ſolidorum, ad varias machinas applicatorum, de novis principiis Staticis *Varignonii*, de motu gravium, cum libere, tum per plana inclinata, delabentium, de motu pendulorum, de projectione gravium, & de communicatione motus; *Libro III* de æquilibrio fluidorum, eorumque preſſu & effluxu ex variis tubis, de immerſione ſolidorum in fluidis, de reſiſtentia fluidorum, de phænomenis, quæ ab æquilibrio dependent, & de cauſa gravitatis; *Libro IV* de corporibus calidis, frigidis, duris, elaſticis, fluidis, mollibus, itemque de aliis quibusdam corporum qualitatibus, quæ ad tactum pertinent, porro de ſaporibus, de odoribus, de ſonis & harmoniis muſicis; denique *Capite V* de luce & coloribus, de reflexione & refractione radiorum, & de aliis, quæ ad Opticam ſpectant, accurate & luculenter commentatur. De nonnullis ita diſſerit, ut nihil definiat: exempli cauſa de vacuo, de viribus corporum ſecundum quadrata celeritatum æſtimandis, de principiis opticis *Jo. Rizzetti.* Monades *Leibnitii* breviter commemorat, atque omnino aſpernatur. In quantitate ſenſationum determinanda Autorem ſequitur acutiſſimum Comitem *Riccatum*, qui ſolus inveſtigare proportionem conatus eſt, inter affectiones ſenſuum & vim objectorum, ſtatuens, cubos ſenſationum eſſe ut quadrata virium agentium externarum, poſitaque ſimilium fibrarum in diverſis hominibus atque ætatibus diverſa rigiditate, eſſe cubos ſenſationum ut quadrata inverſa rigiditatum: ideoque ignem (*exempli*

cauſa)

Digitized by Google

cauſa) octuplo majorem, excitare ſenſationem non niſi quadruplam: & rigiditatem fibrarum in ſenſibus majori proportione creſcere, quam ſenſatio in iisdem decreſcat. Quod ad magnitudines rerum apparentes attinet, putat doctiſſimus Autor, erraſſe pleroſque adhuc Opticos, qui in determinandis illis magnitudinibus ad ſolos angulos viſuales reſpexerint. At, inquit, ſi ita eſſet, ſequeretur, ut res quæque, in dupla vel tripla diſtantia, dimidio, vel duabus partibus tertiis, minor videri deberet; quod aperte falſum eſt, cum manum (verbi gratia) meam e duplo intervallo adſpiciens, vix notabiliter, nedum dimidio, minorem cernam. Quo loco fortaſſis Vir egregius diſcrimen non ſatis conſideravit, quod inter æſtimationem magnitudinis apparentis empiricam & mathematicam intercedit. Hæc enim, quod vel ipſa pictorum arte ſatis confirmatur, ſolis illis angulis, qui viſuales dici ſolent, iſta autem ratiocinio quodam celeri & vix perceptibili, nititur, quod uſus & experientia ſuppeditat. Sed hæc quidem hoc loco de utiliſſimo planeque commendando Opere breviter dicta ſufficiant.

CAROLI NICOLAI LANGII, LUCERNENſis Helveti, Philoſ. & Medici, Acad. Cæſ. Leopoldino-Carolinæ, Regiæ Societatis Pruſſicæ, & Phyſ. Crit. Senenſ. Socii, nec non Reipublicæ Lucernenſis Senatoris, Appendix ad Hiſtoriam Lapidum figuratorum Helvetiæ, ejusque viciniæ, de miro quodam Achate, qui coloribus ſuis imaginem Chriſti in cruce morientis repræſentat; cujus occaſione quoque de aliis mirabilibus tam Achatum, quam aliorum lapidum, figuris breviter agitur, quæ quidquam de Paſſione Domini coloribus ſuis exhibent, cum exacta deſcriptione Lapidis cruciferi, ſeu Cruciati, ejusque virium, & Icone prædicti miri Achatis.

Lucernæ, per Meinardum Eberlin, 1735, 4.
Plag. $1\frac{1}{2}$ cum Icone.

Pia eſt & religioſa Commentatio de Achatis mira figura, qua ſacra Chriſti in cruce morientis imago exprimi videtur. Quodſi *Pyrrhi* Achatem novem Muſas cum Apolline nativa pictura expreſſiſſe conſtat, quodſi in omni lapidum curioſorum hiſtoria innumeræ fere rerum nobis familiarium ideæ marmoribus artificioſe inſculptæ deprehenduntur; quis negaret, ſanctiſſima myſteria quandoque, non ſine ſalubri in animis quorundam effectu, a concretis variis ob oculos poni. Certe, majorem ſignificandi virtutem huic Achati ineſſe, omnes fatentur, quam nobiliſſimæ ceteroquin plantæ Granadillæ, quam ob ſanctæ paſſionis ſigna florem paſſionis appellare ſueverunt, de quo Poeta:

Pulcher in America Moſcho redolentior eſt flos,
Qui fert occiſi nobile ſtemma Dei.

Leucachates eſt gemma iſthæc, quem a lacteo colore *Milch-Achat* appellare ſolent, cujus mirabili tractu venarum macularumque, Salvatoris de cruce pendentis effigies cum Sanctis, Solis etiam, hinc nubibus dimidia ſui parte abſconditi, illinc eclipſin paſſi, imagines effinguntur, & ſi quæ alia ſat luculenta ſimilitudine rerum præſentantur. Largitur Cel. Autor, aliquid artificis manu additum fuiſſe, id quod eo magis veroſimile eſſe videtur, quod Achates hinc, qua parte figuratus eſt, convexam, illinc concavam, nactus ſit figuram, quæ proportio a nativa Achatum conditione prorſus diſcrepat. Interim negandum non eſt, iſtius ſanctæ figuræ prima, utut rudia, ſtamina in lapide extitiſſe, quæ paulo poſt luci admota & clariora reddita fuerunt. Nec novum id eſt, ſanctas in Achate figuras conſpexiſſe, ſiquidem iſtius rei notabilia exempla allegantur, & vulgatiores lapides, inprimis marmora, hac elegantia haud raro ſuperbiunt, prout in Lapide Tyburtino *Kircheri* & Ticinenſi *Ambroſini* videre licet. Crucis certe imago in crucifero lapide, qui & cruciatus, aut Lapis S. *Jacobi de Compoſtello*, dicitur, extra omnem controverſiam poſitus eſt. Augetur hac Appendice Cel. Autoris, quam ſua Lapidum Hiſtoria retulerat, fama, cujus uberiores rerum per Helvetos naturalium proventus intueri exoptamus.

FIDES

FIDES HISTORIÆ EVANGELICÆ, SIVE Facta, quæ ex occaſione in Novo Teſtamento commemorantur, veterum Scriptorum, qui vel Salvatoris noſtri & Apoſtolorum ætate, vel illi proximi, vixerunt, teſtimoniis confirmata; cum Appendice de tempore mortis Herodis, ex editione ſecunda auctiore; Autore NATHANAELE LARDNERO, Londini A. 1730, 8, Anglice curata, nunc Latine facta. Præfationem cum Animadverſionibus aliquot præmiſit JO. CHRISTOPHORUS WOLFIUS, Paſtor ad D. Catharin. & Scholarcha Hamburg.

Bremæ, ſumtibus Hermanni Jægeri, 1733, 8. Alph. 1 plag. 2.

Lardnerus inſignem ſibi gloriam ex controverſiis, in *Woolſtonum* motis, peperit; *Wolfius* vero Venerandus, qui Præfationem præfixit, nil niſi egregia & exaſciata profert laudatque. Prima igitur fronte in libri præſtantiam abripitur Lector. In Præfatione Vir incomparabilis eos averſatur, qui in Anglorum Commentationes, argumenti ſpeciatim Theologici, Latine convertendas non tam ducuntur, quam impetu quaſi quodam rapi videntur. Verendum certe, ut illi, non dicemus Germanis, ſed ipſis Anglis, ſententiam ſuam probent. Gens enim illa, qua eſt prudentia & æquitate, nunquam in literis cujuscunque generis illum ſibi principatum vindicare inſtituit, ut vel Germanis, vel genti alii, omnem ingenii, induſtriæ, aut doctrinæ, gloriam abjudicet. Quin potius Angli nonnullos Germanorum libros Theologicos Anglice interpretati fuerunt. Quæ fortuna ante paucos annos S. Rev. *Jo. Gottlobii Carpzovii Parti III* Criticæ ſacræ, quæ *Whiſtonianis* conatibus fuit oppoſita, contigit. Nec tamen ii contemnendi ſunt, qui eximia Anglorum Opera, Anglice ſcripta, in linguam pluribus cognitam convertunt. *Lardnerus* dicitur eſſe e Presbyterianorum numero. Editio Operis prior Anglice prodiit Londini A. 1727, poſterior Supplementis quibusdam aucta, & hinc inde

de emendata, ibidem forma nonnihil ampliori A. 1730 lucem adſpexit publicam. Opus ipſum laudari vidimus in *Joannis Clerici Bibliotheca vetere & nova Tom. XXVII Part. II pag. 376 ſeq.* & *Tom. XXVIII Part. I pag. 87 ſeq.* in *New Memoirs of literature A. 1727 Mart. num. 8 & April. num 4*, nec minus in *Bibliotheca theologica ſelecta* B. *Coleri Part. XXI pag. 77.* Meditati fuerunt *Wetſtenii* in Belgio translationem libri Gallicam, quam nondum vidimus. Cardo & ſcopus Autoris in eo vertitur, ut cuivis innoteſcat, divinos ſcriptores Novi Fœderis in Evangeliis ac Actibus Apoſtolicis res, eo tempore geſtas, ita enarraſſe, ut veritas narrationis teſtimoniis externorum ſcriptorum, qui vel inter Judæos, vel inter gentiles, atque adeo a Chriſti, Domini noſtri, ſacris alieniſſimi, vixerunt, firmari poſſit. Simile inſtitutum urſit Theologus Sorbonicus, *Paulus Pezronius*, in *Hiſtoria Evangelica, per Judaicam & Romanam firmata*, quæ Gallice lucem vidit Pariſiis A. 1696, 8. Ejus veſtigiis inſtitit *Dominicus de Colonia*, Pater Ignatianus, in Opere itidem Gallico, duobus Voluminibus minoris formæ comprehenſo, quod, de *Religione Chriſtiana, teſtimoniis veterum Scriptorum gentilium aſſerta*, inſcriptum, Lugduni A. 1718 prodiit. Ex Anglis ſummatim nonnulla monuit *Stephanus New* in Diſſertatione de *Religione naturali & revelata*, Londini A. 1696, 8, edita. Ex noſtratibus huc referendus eſt *Tobias Eckhardus*, Lycei Quedlinburgenſis Rector, qui edidit *Selecta non-Chriſtianorum de Chriſto teſtimonia, ex antiquis monumentis propoſita ac dijudicata*, Quedlinburgi, A. 1725, 4. Doctrinam, induſtriam, candorem ſummum, *Lardnerus*, judice *Wolfio*, ad argumentum ſuum pertractandum attulit. Difficultates & varietates, quæ intercedere videri poterant e teſtimoniis veterum, ipſe ad pulviſculum ita excuſſit, ut plerisque in locis nec pertinaciſſimo adverſario occaſionem reliquerit, cum ratione quidquam in contrariam ſententiam afferendi. In momentis adjunctis deſiderat Ven. *Wolfius* nonnunquam ſufficientiam. Sunt in *Lardnero* alia, ad ſcopum per ſeſe haud ſpectantia, in quibus ſententia ejus cum alia prorſus diverſa debet permutari. Nam ipſe conjectu-

jecturis alicubi indulget, & nonnulla quoque Novi Teſtamenti loca pacto novo interpretatur. Diſpiciet & excutiet hæcce Præfationis Autor in *Supplementis Curarum* ſuarum *Philologico-Criticarum in Novum Fœdus*. Ita *Lardnerus Lib. I pag. 64* in notis γνησιότητα hiſtoriæ de fœmina adultera, quæ habetur *Jo. VIII, 1*, validis quorundam exceptionibus obnoxiam pronuntiat. Lectionem, *Matth. XXIII, 35*, hodie receptam, in νοθείας ſuſpicionem cum aliis adduxit *Lib. II Cap. 6*. Ea, quæ *Joſephus Antiqu. Jud. Lib. XVII Cap. 2 §. 6* de jurejurando, *Herodi* & Romano Imperatori præſtito, recitat, *Lib. II pag. 65 ſeq.* ad cenſum a S. *Luca* commemoratum pertinere arbitratur. At penes *Joſephum* de eo cenſu altum occurrit ſilentium. Autor Ven. in Præfatione ſpem fecit libri, quo res ceteras, in Hiſtoria Evangelica copioſius enarratas, ſimili ratione ſit perſecuturus. Quem mox editum iri, merito gaudemus. Interpretatio Latina ad Latini ſermonis indolem ita eſt accommodata, ut ſententiæ Autoris nil decedat. Nævi typothetici, qui reſtabant, in indicem relati ſunt peculiarem. Hæc eſt ſumma Præfationis *Wolfianæ*. *Lardneri* Præfatio inſtitutum dilucide exſequitur. Accedit in altera editione præmonitio, qua is largitur, verba *Luc. II, 2*, admittere ſenſum, qui illis ab *Herwarto* & *Perizonio* tribuitur. Ea quoque denuo conſideravit, quæ de *Macrobii* loco, de *Herodis* crudelitate obvio, ante ſcripſerat. Adjecit nonnulla de *Joſephi* circa cædem infantum Bethlehemiticorum ſilentio. Præcipuum additamentum egregia obſervatione in *Joſephi* narrationem de impoſtore Ægyptio continetur, quam Cl. *Wardo* refert acceptam. *Libros duos* complectitur Opus. *Priori* agitur *Cap. I* de Principibus & Imperatoribus in Novo Teſtamento commemoratis; *Cap. II* de ſtatu Judæorum in Judæa, durante miniſterio Salvatoris noſtri & ejus Apoſtolorum; *Cap. III* de ſtatu eorundem extra Judæam; *Cap. IV* de Sectis Judaicis & Samaritanis; *Cap. V* de exſpectatione Judæorum & Samaritanorum, Meſſiam expetentium; *Cap. VI* de magna populi Judaici corruptione; *Cap. VII* de circumſtantiis ultimæ perpeſſionis Salvatoris noſtri; *Cap. VIII* de Judæorum & gentilium af-

 fectu

fectu erga Apoſtolos & alios Jeſu diſcipulos; *Cap. IX* de di-
verſis opinionibus & ritibus Judæorum; *Cap. X* de ritibus Ro-
manorum in Novo Teſtamento allatis; *Cap. XI* de tribus factis
notabilioribus, nempe templo per 46 annos ædificato, ariditate
Pag. 419 ſub *Claudii* imperio, & Judæis Roma per eundem Imperato-
ſeq. rem ejectis. *Liber II* dicatus eſt objectionibus removendis.
Nam *Cap. I* ſolvuntur tres objectiones in *Luc. II, 1, 2. Cap.* de-
inde *II* removentur duæ objectiones, ex *Joſepho* petitæ. *Cap. III*
expediuntur ea, quæ contra annum *Tiberii* 15, comparatum
cum anno baptiſmi, a Jeſu ſuſcepti, objici poſſunt. *Cap. IV* diſ-
ſeruntur nonnulla de *Anna* & *Cajapha*. *Cap. V* de diverſis
nominibus, quæ priori *Herodiadis* marito ab Evangeliſtis &
Joſepho tribuuntur, adjunguntur quædam. *Cap. VI* de *Zacha-
ria, Barachiæ* filio, *Cap. VII* de *Theuda*, *Cap. VIII* de impo-
ſtore Ægyptio, diſſeruntur varia. *Cap. XI* continet Operis con-
cluſionem. In calce apparet Appendix de tempore mortis
Herodis. Habes, Lector, hic libri ſummam. Delibabimus,
ut Autoris doctrinam omnibus merito commendemus, unum
& alterum momentum; de cetero, librum ipſum, ſatis vendi-
bilem, in manus omnium facile venturum, ſperamus, &, ut id
debite matureque fiat, omnes adhortamur pro eo, quo obſtringi-
28 ſeq. mur, humanitatis officio. Obitus *Herodis Agrippæ* ſenioris, *Act.
XII, 19–25*, a *Luca* enarratus, ſatis reſpondet commemorationi,
a *Joſepho* literis conſignatæ. *Felicis* conjugium cum *Druſilla*,
35 ſeq. *Herodis* filia natu minima, *Joſephus* memoriæ prodidit *Ant.
Jud. Lib. XX Cap. 6 §. 1, 2.* Lux inde accenditur *Lucæ Act.
XXIV, 24.* Dubium, ex *Taciti Hiſt. Lib. V Cap. IX* objici ſoli-
37 ſeq. tum, erudite amovetur. Mittimus ea, quæ de *Berenice* ex
ſcriptore haud uno ediſſeruntur. Cypro, provinciæ prætoriæ,
44 ſeq. quomodo Proconſul præeſſe poterit, ſolide hic oſtenditur. Ju-
59 ſeq. dæis tempore Chriſti & Apoſtolorum, in terra verſantium,
62 ſeq. nulla propria fuit poteſtas capitalis, licet eis haud denegetur
69 ſeq. poteſtas ejectionis ex Synagoga & flagellationis in eisdem.
92 ſeq. *Tribuni templi*, ϛρατηγοὶ τȣ̃ ἱερȣ̃, Noſtro Judæi fuiſſe viden-
tur. De morte, *Stephano* irrogata, copioſe commentatur idem,
ſimulque in eo totus eſt, ut, ea ætate Judæis jus vitæ necisque
haud

haud patuiſſe aut competiiſſe, evincat. De *Schola Libertino-* Pag. 194
rum tradit haud tralatitia, *Vitringæ* ſatis conformia. Modos ſeq.
reddendi proſelytos Judaiſmi erudite exponit, exemplisque 198 ſeq.
confirmat. De *Herodianis* omnia in incerto eſſe, fatetur. Si- 219 ſeq.
gna Judæi a Chriſto exſpectabant, Moſaicis ſimilia, nempe li-
bertatis aſſertionem a jugo Romano, panem ex cœlo, theocra-
tiam, cum cerimoniarum Leviticarum ſplendore, & regni per- 231 ſeq.
petui adminiſtratione, conjunctam. Ex eo autem Phariſæo-
rum & aliorum faſtidia in Jeſum commota ſunt, quod ejus-
modi ſigna, animo anticipata ipſorum, haud viderent ab eo
patrari. De aromatum copia, a *Joſepho* & *Nicodemo* apparato- 284 ſeq.
rum, memoratu digna proferuntur. Illuſtrantur *proſeuchæ* Ju-
dæorum, ad flumen & mare exſtrui ſolitæ, *pag. 190 ſeq.* & *307*.
Locus ex oratione *Pauli*, ad Athenienſes habita, & *Act. XVII,*
22, obvius, ita transfertur: *Deprehendo vos in omnibus rebus* 337 ſeq.
admodum devotos, δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς θεωρῶ. Votum *Pau-*
li Act. XVIII, 18, de Naziræatu exponitur. Tarſum, Ciliciæ 366 ſeq.
caput, exſtitiſſe nec municipium, nec coloniam Romanam, e- 397 ſeq.
vincitur, nec patet modus, quo parentes *Pauli* jus civitatis Ro-
manæ ſibi acquiſiverunt. *Libro II* tandem removentur obje-
ctiones eæ, quæ fidem hiſtoriæ Evangelicæ labefactare videri
poſſunt. Quare exordium deſumitur a tribus objectionibus, 1 ſeq.
quæ adverſus *Luc. II, 1, 2*, excogitari queunt. Primo per-
hibent nonnulli, a nullo ſcriptorum veterum fieri mentionem
decreti, ab *Auguſto* facti, de toto mundo, ſeu imperio Roma-
no, ſub cenſum vocando. Addunt, cenſum in Judæa, *Herode*
regnante, ex decreto *Auguſti* haud potuiſſe fieri. Adjungunt
id quoque, *Cyrenium*, Syriæ Præſidem, non niſi aliquot annis
poſt natum Salvatorem noſtrum egiſſe. Cenſus Romani na-
tura & ratio hic dilucide exponitur. Expenditur vis verbo-
rum S. *Lucæ*. Per ὅλην οἰκουμένην *Luc. II, 1*, *tota Judæa* intel-
ligitur. Ediſſeritur ſtatus Judææ, qualis is ſub *Herode* exſtitit.
Argumenta porro afferuntur, quæ credere nos jubent, cen-
ſum Romanum eo tempore in Judæa actum fuiſſe. Quod in-
terpres vocem *reſolvebatur* pro *ſtatuebatur* adhibuerit *pag 51*,
id quidem eſt levioris momenti. Addit porro Ven. Autor

 eno-

enodationem duarum objectionum, ex *Joſephi* ſilentio petitarum, quippe qui nihil habet traditve de *Herodis* atrocia in
Pag. 162 seq. pueros Bethlehemitarum, & de Galilæis, quorum ſanguinem
187 ſeq. *Pilatus* ſacrificiis eorum miſcuerat. Numorum, in *Quintilium Varum* Antiochiæ cuſorum, Autor Ven. meminit. Addimus, de eis haud contemnenda occurrere penes P. *Franciſcum Orlendium* in *Orbis ſacri & profani Part. I Lib. I Cap. 1 §. 3 pag. 4*, & *Harduinum* in *Numis urbium & populorum pag. 51.* Au-
207. tumno Chriſtum fuiſſe natum, nequaquam circa brumam,
290 ſeq. *Lardnerus* exiſtimat. *Philippum*, priorem *Herodiadis* maritum, fuiſſe binominem, & privatam egiſſe vitam, cenſet. Si crediderimus, Autorem inſtituto ſuo præclare fuiſſe perfunctum; nil erit, quod vel ipſo, vel nobis, ſit indignum. Quam vellemus, empæctæ libros hujusmodi diurna nocturnaque manu verſarent, eamque obſervantiam ſcriptoribus ſacris accommodarent, quam profanis quibusque haud denegant! Permittet Autor, certe ejus amici, nobis eam veniam, ut obſervanter oremus objectionis hujus noſtræ perſpicuam ſolutionem. Legimus *Lib. II pag. 341*, libros Novi Teſtamenti eſſe genuinos, eosque puros & intemeratos, ſine ulla mutatione aut interpolatione, ad nos perveniſſe. Legimus vero *pag. 309*, in loco *Matth. XIII, 35*, pro *Aſapho* primum lectum eſſe *Eſaiam*, nomen dein ejus omiſſum, ac in plerisque codicibus eſſe ſcriptum: *quod pronuntiatum eſt a propheta.* Meminimus porro, illas voces: *Barachiæ filium, Matth. XXIII, 35*, haud ita genuinas videri Autori, quin potius eas vel poſtliminio additas, vel *Barachiam Jehojadæ* ſubſtitutum, ſtatuerit *pag. 310*, ratus tamen, jam olim *Hieronymi* ætate lectionem, noſtra ætate in inciſo commemorato obviam, uſu fuiſſe receptam & communem. Objectionem hanc ut ipſe Ven. Autor, vel alius, fautor ejusdem, expediat, id eſt, quod obſervanter nos ab eo contendimus.

ANTONII CLANT, V. D. M. SCRIPTIOnum Biblicarum Diſſertatio prima, de Labro tabernaculi, ejusque nido æreo, nec non deſcriptio brevis de labris templi decem, eorumque fulcimentis.

Gro-

Groningæ, apud Jacobum Sipkes, 1733, 4.
Plag. 19.

In Præfatione Autor Pl. Rev. approbat conatus pios & eruditos eorum, qui ſymbolas ſuas in adornandis Bibliotheca & Muſeo Bremenſi contulerunt. Fuit in eo, ut ſimile urgeret inſtitutum. Sed nullum invenit, qui ſocias tenderet manus. Quamobrem ipſe, curas ſuas exegeticas ſucceſſu temporis in publicum emittendi, propitio cum Deo cepit conſilium, ejusque nunc primas dedit lineas, complures, quas adumbrat, in poſterum daturus. Optat, ut viri nonnulli theologice eruditi in ſocietatem coeant, verſantem circa ſacri Codicis δυσνόητα exponendam, ſuumque ſuper ea re expromit conſilium. *Cremerus* in Antiquitatibus Moſaico-typicis jam nonnulla de labro æneo conſcripſerat, & ſententiam D. *Clementis* refellerat. De labro æneo *Moſes Ex. XXXVIII, 8,* ſententiam divinam conſignavit. Ad hanc Commentarius hic ſpectat diductius eviſcerandam. כיור Ebræorum ex כור *fodiendo*, & quidem forma *pihel*, derivat Autor, quaſi dixeris effoſſum excavatumque vas, Pag. 2 ſeq.
ſeu περιῤῥαντήριον, quæ vox eſt *Joſephi.* ב ונחשת non per chalybem, ſed æs Cyprium, transfert. Æs Corinthiacum hic locum haud invenit, eo quod multa poſt Secula demum fuit inventum, teſtibus *Floro* & *Plinio*. In inſula Cypro prima æris exſtitit inventio, teſte *Plinio Hiſt. Nat. Lib. XXXIV Cap. 2, 4.* Fulvum metallum Noſter labro attribuit, quod *hepatizon* vocat idem *Plinius*, in Ægyptum abunde importatum. Forma 8 ſeq.
fuit rotunda, ob vocem כיור, & figuram labri *Salomonei*. כן 11.
derivat ex כנן, & ſeſe ad ſimilem radicem קנן recipit, ideoque *nidum* exponit. Vox כן *Pſ. LXXX, 16,* nobis videtur *hor-* 16 ſeq.
tum inſtar nidi formatum notare. Autor, *ſtatum* & *dignitatem* intelligi ratus, ſeſe ad loca *Dan. XI, 7, 20, 21,* confert. שלבים ſunt ipſi *gradationes*. מעשה מורד explicat per 18 ſeq.
opus, intra quod aqua deſluit. Quatuor tubulos fuiſſe labro, 25.
addit, denegans ei operculum, putansque, per כן notari ba- 32 ſeq.
ſin & ſtabilitatem. Porro מעשה כן exponit per tale opus, quod inſtar nidi eſt rotundum. תרן eſt inſtrumentum, alte 54.

 ere-

erectum. מראות haud fuere ſpecula, e quibus labrum fuerit confectum; ſed potius, labrum *coram facie eorum,*
Pag. 79 ſeq. *qui ſeſe gregatim congregabant*, eminuiſſe, Noſter oſtendit. Fecit *Bezaleel* labrum & baſin ejus coram faciebus
120 congregantium ſeſe agminatim, hoc eſt, quovis inſpectante, publice, ſub dia luminis aura. Hæc ut obtineat reddatque Autor veroſimilia, nulli parcit operæ, nulli illuſtrationi. Labri additur notio myſtica tandem, per quam ad Apoſtolos ad-
130 umbratos Lector deducitur. Gratulamur Viro Pl. Rev. de ſpecimine literaturæ Ebraicæ politiſſimo, haud inficiantes, ſalivam nobis fuiſſe motam ad videnda & legenda complura doctrinæ tam elimatæ monumenta.

M. CHRIST. REINECCII JANUA Hebrææ Linguæ Vet. Teſtamenti. Editio tertia, auctior & correctior.

Lipſiæ, ſumtibus hæredum Lanckiſianorum, 1733, 8.
Alph. 3 plag. 22.

Jam diu eſt, ex quo præſtantiſſimus Autor evulgandis vel ſuis, vel aliorum, ſcriptis inſervire erudito orbi non ſine plauſu ſtuduit. Præſens inter ceteras opera, tertium nunc edita, quo excepta ſit literatorum judicio, quo deſiderio efflagitata, docet. Juvenum quidem ſtudiis conſecrata potiſſimum videtur, qui ſine cortice natare nondum norunt; ſed & aliis, in Hebraicæ linguæ ſtudiis aliquanto provectioribus, non inutilis eſſe poterit, qui difficiliore interdum textu laborantes voces obſcuras uno quaſi obtutu & obliquo oculo perſpicere poſſunt. *Pars* enim *prior* totum ſacrum Codicem refert, ejusque voces per ſingula Capita, ſingulosque verſus, ignotas æque ac notas, & vel ſexcenties inculcatas, utroque ſermone proponit, derivatorum origines notat, & nonnunquam diverſas interpretum ſententias in medio collocat dijudicandas. *Altera Pars*, recens nunc edita, Lexicon Hebraico-Chaldaicum complectitur, ubi breviſſima concinnitate radices Hebrææ & Chaldaicæ (multa enim *Danielis* & *Eſdræ* pars his exarata eſt,) cum deri-

derivatis Latine explicantur, eadem ratione, qua Syllabus ejusdem Autoris (niſi unus ſit idemque liber,) exſtat. Ne tandem deficeret, quod *Januæ* nomen ſibi depoſcit, brevem Hebraico-Chaldaicam Grammaticam ex *Waſmuthio Opitianis* præceptis conſtruxit, ubi non nominum ſolum, non verborum, paradigmata, non punctorum mutationem, &, quæ illuc pertinent, omnia, conciſe exhibet, ſed & ad accentuationem manu perducere harum rerum ſtudioſos annifus eſt.

SUPPLEMENT AU TRAITÉ, &c.

h. e.

SUPPLEMENTUM AD TRACTATIONEM de methodo docendi diſcendique meliores literas, ſcriptam Autore ROLLINO, Rectore Seniore Univerſitatis Pariſienſis.

Amſtelodami, ſumtibus Societatis, 1735, 12 chart. maj. Plag. 5.

Qui olim de elegantiſſima elegantiores tractandi literas methodo in Annales noſtros retulimus, ejus nunc Supplementum ante aliquod tempus editum, brevibus quoque enarramus. Duo autem in eo agit Cl. Autor, nimirum, ut ſtudia, quæ teneræ puerorum ætati, & quæ filiabus conveniunt, ſtrictim, quorundam rogatu & autoritate, ediſſerat. De neutris enim olim dixerat. Quamobrem, huic Supplemento poſſe in fronte *prioris Tomi* locum relinqui, contendit. *Capite primo*, de pueris tenerioris ætatis recte inſtituendis acturus, cum *Quintiliano* monet, poſt quartum circiter annum primis literarum elementis imbuendos eſſe illorum animos, &, qua ratione jucunde, & velut per luſum, ad legendum ſcribendumque informari debeant, oſtendit. Poſthæc primus liber, qui in manus iſtorum tradatur, eſto Cathechiſmus hiſtoricus *Fleurii*, mirifice a Noſtro commendatus; & eodem fere tempore Fabulæ *Fontanii*; poſtea etiam prima Geographiæ pariter ac Grammaticæ Gallicæ elementa tractentur. Quod qua ratione omnium optime & facillime fieri queat, Autor copioſius in-

inculcat. *Alterum Caput* rectæ filiarum educationi deſtinatur. Quapropter, poſtquam *Articulo primo* de neceſſitate & ratione emendandæ voluntatis, morumque formandorum, præcepit, *altero* de ſtudiis, quibus earum imbuendum cupit intellectum, diſquirere inſtituit. Latina lingua fœminis non quidem eſt neceſſaria, tamen iis, quæ in ſacrum religioſarum mulierum ordinem recipi aliquando cupiunt, perquam utilis, ut Pſalmos, quos decantant, intelligant ipſæ, imo & iis virginibus & viduis fructuoſa, quæ a mundo quidem corpore non ſegregantur, mente tamen jam pridem ſeculi illecebris & vanitatibus nuntium remiſerunt, ut itidem ſenſum hymnorum ſuorum, pſalmorumque, atque ſacræ etiam Scripturæ, ſatis habeant perſpectum. Initio fœminæ omnes ad lectionem, ſcripturam, & Arithmeticam, inſtituantur. Poetarum tragicorum comicorumque lectio non omnino quidem negligenda eſt, magna tamen cum cautione adhibenda. Ubique enim videndum eſt, ne quid inde detrimenti mores capiant. Artem quoque ſaltandi in tantum concedit Autor, in quantum ad corporis culturam confert. Neque Muſicæ nimium eſt indulgendum. Præter hæc Hiſtoria tractetur, & ante omnia Hiſtoria ſacra, nec non Geographia & Chronologia ſacra. Optimum ejus Compendium collaudat Autor Epitomen Hiſtoriæ ſacræ & Theologiæ moralis Veteris Teſtamenti, Gallice ſcriptum. Poſthæc Hiſtoria Græca, quatenus Romanæ oppoſita eſſe ſolet, ſive Hiſtoria vetus, perdiſcatur, cui inſtitutioni Hiſtoriam antiquam, abs ſe editam, commode eſſe inſervituram, Autor opinatur. Ab hac ad Romanam tranſeat fœmella, utaturque eum in finem libello *Laurentii Echardi*, Angli, hanc Hiſtoriæ partem ſcite complexo, & Anglice quidem ſcripto, Gallice autem verſo. Denique in explorandam Hiſtoriam patriam, Gallicam ſcilicet, incumbat. Methodum ipſam, ad quam omnia hæc tractanda putat Autor, in eodem recognoſcant, quorum intereſt. Nobis enim ex breviſſimo libello longam dare enarrationem non licet. Præter has literas varia manuum opera admodum decent fœminas, etiam nobiliori loco natas, ea autem maxime commendant, quæ in uſum templorum & pauperum parantur. Si vero aliis rebus omnibus

bus fœmina non excellat, in eo tamen cuique diligenter eſt elaborandum, ut curas domeſticas recte ſuſcipiat atque ſuſtineat, omnemque rem œconomicam cum laude adminiſtret, de quibus momentis utiliſſimæ hic exſtant præceptiones.

D. FRIDERICI WIDEBURGII, PROF. P. O. Origines & Antiquitates Marggraviatus Miſnici, ubi de veterum Marggraviorum rebus geſtis, usque ad obitum Conradi M. fide optimorum Scriptorum ac monumentorum exponitur, variique doctorum virorum errores deteguntur & emendantur.

Halæ Salicæ, ſumtu Jo. Chriſtiani Hendelii, 1734, 4.
Plag. 16.

Si qua unquam Commentatio hiſtorica formis publicis fuit deſcripta, in qua ordinis concinnitas cum terſo ſcribendi genere, ac ſoliditas, in demonſtrando eminens, cum modeſtia ac diligentia, de principatu certavit; hanc certe ipſam, de qua jam dicendum nobis, in eum numerum eſſe referendam, non ſignificatio noſtra, ſed Opus ipſum, edocet luculenter. Quoties ſeſe offerunt loca veterum diverſe lecta, Autor judicio utitur limatiſſimo, populos veteres accurate ſuis concludit limitibus, & Geographiam mediam ita a ſeſe eſſe excultam comprobat ſpecimine haud uno, ut per Miſniam ac Luſatiam peragraſſe cum *Henrico Aucupe* videatur. Teſtimonia ubique laudat ſcriptorum, quorum fides & ætas aſſenſu ſunt dignæ. Luſatiam omnem ætate *Henrici* illius habebant Venedi. Univerſis erat Soraborum nomen, qui rurſus in duas colonias, unam Milcenorum, alteram Luſatorum, dividebantur. Illi ſuperiorem, hi inferiorem, Luſatiam inſederant. Erravit *Sagittarius*, qui Milcenos fecit Miſniæ incolas. Vicit ac tributarios reddidit Milcenos ille *Henricus*, ac cuſtodem limitis, ſeu Markgravium eis impoſuit, Saxoniam inter & Poloniam. Marchia hæc primo dicta fuit *Milzienia*, deinde *Budiſſinenſis*. Luſatia vero ſuperior latius patuit, quam iſta Marchia. Inferioris Luſatiæ incolis nullum cum *Henrico* interceſſit bellum, qui *Ottonis I* potentia tandem ſub jugum

Pag. 8. 9.

fuerunt miſſi, quibus ipſe Marchionem præfecit *Geronem*. *Ca-*
Pag. 10. *roli IV* ævo Luſatia ſuperior dicta fuit *Hexapolis*, donec A.
1466 pro *Hexapoli* etiam ſcriberetur nomen *Luſatiæ*. *Henri-*
cus exercitum Hunnorum in loco *Riede* devicit. Appellant
hodie *die Rætſchen* planitiem haud procul Keuſchbergenſi
12. monte porrectam. Anno 930 idem Ducatum Pragenſem, ejus-
que Ducem *Wenceslaum*, ſubegit. Poſt devictos Dalemin-
cios, munitaque ad Albim Miſenenſi urbe, & præſidio impoſi-
13. to, provinciæ omni urbique præpoſuit Marchionem. Janam
urbem exſcidit, ac reædificari vetuit, quam alii legerunt *Gruna*,
14. *Grana*, *Rietni* & *Kietni*, *Gieta*. *Sigebertus* Gemblacenſis
15. vocat Ganam, nunc latentem in vico Janæ, haud procul diſtan-
te a Miſena. Præterfluxit amnis cognominis, memoratus a
16. *Ditmaro Annal. Lib. VII pag. 405*. A Meiſa vel Meisga rivo
17. dicta fuit Miſena, in dirutæ urbis locum condita. Nulla ibi
antea urbs exſtitit. Quare *Lupfurdum Ptolemæi* huc non qua-
drat. A Myſis nomen non fuit deſumtum, uti copioſe Autor
oſtendit in *Diatriba* ſingulari *de pagis Miſniæ §. 2.* Ab *Hen-*
rici IV demum tempore præfuerunt Miſniæ Marchiones jure
19. ſucceſſionis. Autor refellit *Coccejum*, qui in *Juris publici pru-*
21 ſeq. *dentia Cap. III pag. 71, 72, 75, & Cap. XV §. 25*, Miſniæ Marchio-
nes e collegio Principum S. R. I. excluſit: eique exempla op-
23 ſeq. ponit luculenta. Primus Miſniæ Marchio, *Tangmarus*, cui, oc-
ciſo A. 937 Eresburgi, ſucceſſit *Riddachus*, id quod per con-
jecturam & *Gundlingius* & Autor eruerunt, *Schurzfleiſ-*
ſchius vero exquirere omiſit in *Diſſ. de Marchia Miſnenſi*.
De utriusque Marchionis genealogia afferuntur haud tralatitia.
28. *Sigfridus*, quem alii primum faciunt Marchionem Brande-
burgenſem, exſtitit potius Saxoniæ Marchio. *Riddachum*
Miſniæ exſtitiſſe Marchionem, e *Ditmaro* conficitur, qui ipſum
34. ubique appellat *Marchionem*, ac *Lib. IV pag. 348 civitatis*
Miſnicæ cuſtodem dicit. *Riddacho* A. 985 in prælio occiſo,
Marchia tradita fuit *Eccardo I*, *Guntheri*, Marchionis pri-
mi Thuringiæ, filio, qui, ut illuſtrem virtutem & eximiam
45. fortitudinem in bellis *Ottonum II & III* adverſus Bavaros, Bo-
50. jemos, & Venedos, probaverat, Milcenos domuerat, Italia quem
cele-

Digitized by Google

celebritate factorum illuſtraverat, ac ideo Thuringiam ab *Ottone III* regendam ſuſceperat, ita, *Ottone III* defuncto, ad diadema regium fruſtra ac infelici exitu conniti cœpit. Pace Pag. 54 ſeq.
Autoris liceat nobis notare unum ipſius parorama, quod admiſit *pag. 55*, ratus, *Bernbardum ſeniorem, Saxoniæ Ducem, competitorem fuiſſe regni, Ottone III mortuo, inviſum vero Principibus, quod multa geſſerit inſolenter adverſus Bernbardum, Hildeſienſem Epiſcopum.* Epiſcopus ille vocandus erat *Berwardus*, competitor vero *Bruno Comes. Tangmarus* in Vita *Berwardi Cap. 34* vocat eum *Principem Brunonem.* Nec id ſatis capimus, quod, *Eccardum* Werla Duisburgum conceſſiſſe, ac inde Paderbornam profectum eſſe, Autor tradiderit *pag. 59.* Iter Paderbornenſe *Ditmarus* præpoſuit *Lib. V pag. 365*, ac lectori oritur facile dubitatio, in voce *Duisburgo* latere mendum. Nec id quidem *Ditmarus* memoriæ prodidit, quod *Ekkebardus* Duisburgum iter fecerit, *pag. 366.* Omittimus reliqua. Noſtrum eſt, Autorem precibus noſtris eo flectere, eique valitudinem inoffenſam apprecari, ut *alteram*, ad *Friderici Bellicoſi* ævum decurſuram, Hiſtoriæ Marggraviatus Miſnici *Partem* propediem, ni forſan fidem datam jam liberaverit, in lucem emittere dignetur. De cetero ex hoc 128.
Opuſculo Tabula B. *Joannis Hübneri* Genealogica *154 Tomi I* eſt emendanda.

JO. SIGISM. MOERLII, NORIMBERG. AD D. Ægid. V. D. M. Scholia philologica & critica ad ſelecta Sacri Codicis loca.

Norimbergæ, 1737, 8.
Plag. 9½.

Plurimum Reverendus Autor, qui in hoc Opuſculo & Veteris & Novi Fœderis libros novis explicationibus illuſtrare voluit, ſtatim in ejus Præfatione, ac galeato velut quodam præmiſſo prologo, libertatem ſuam, vel potius licentiam, qua uſus eſt, criticam non immerito excuſandam eſſe arbitratur. Nam & literas in Hebræo Codice & puncta vocalia mutari

 poſſe,

Digitized by Google

poſſe, nec Maſorethas ab erroribus immunes fuiſſe, ſed veteres Interpretes Græcos meliorem non raro lectionem ſecutos, & voces quasdam librariorum incuria omiſſas interdum eſſe, ambiguis tamen ſæpe verbis, pronuntiat, dein vero in ipſis ſcholiis, concinna brevitate ſcriptis, ſententiam ſuam porro confirmare nititur. Ex pluribus locis ſequentia tantum annotabimus. Sic *Gen. XLIX, 24*, pro מִשָּׁם legendum eſſe cen-
Pag. 7. ſet מִשֵּׁם, & vertit, *in nomine illius, qui gratum acceptumque habuit*, (ex Chaldaico verbi רעה uſu,) *lapidem Iſraelis*,
11. illum ſcilicet, quem *Jacobus* erexit. *Deut. XXXII, 5*, legit מוּמָם in tertia perſona præteriti Piel, a radice מום, ſignificatu ducto a nomine מום, *macula*, & contra accentus vertit, *perdit* (*Deus eos, qui*) *non ſunt filii ſui* (i. e. *filios ſuos degeneres*) *abominatur* (& velut μωμεῖται Græce) *generatio-*
14. *nem perverſam*. *Jud. XV, 16*, legit cum LXX Interpretibus חָמוֹר חֲמַרְתִּים, & vertit, *coacervando coacervavi illos*.
22. *1 Chron. XXI, 12*, legi poſſe ſuſpicatur נסכה *nyſecha*, *fugere te*, & *2 Sam. XXIV, 13*, confert. *2 Chron. XIII, 3*, pro אמר, ob
24. *Cap. XI, 20*, legendum ipſi videtur אשתו, *uxoris ejus*. *Nehem. IV, 17*, conjicit aliquando in fine lineæ fuiſſe ſcriptum המי' per compendium pro המין *hemin* præteritum Hiphil, ad rad. ימן & poſtea a librario plene, ſed per errorem, exaratum המים cum contextu reddendum, *quisque telum ſuum ad dextram*
30. *collocaverat*. *Hiob. XV, 29*, ſcribendum ipſi videtur cum *Capello*, quem tamen non nominat, מכלם, quia in MSto Nun & Caph fere diſtingui nequeunt, ſed non addit, quo modo verti debeat, quodnam ſit vocabulum, an ſimplex, an cum affixo, qualis ejus ſenſus, aut a qua ſit radice ortum. Sed Nun retinendum eſſe, Cl. *Schultens* in Commentario, recentiſſime edito, putat *pag. 387*, & vertit, *proſperitas eorum*, nec probat verſionem illam, *conſummatio eorum*, ſi nempe a rad. כלה derivetur, pro מכלתם. *Pſ. XLII, 5*, ad אדדם ambigue ait: eſt, qui legeret אדרם *edrom*, quod apud Arabes eſt *ſal-*
45. 52. *tando currit*. *Pſ. LXXIII, 4*, diſtincte legit vocem למותם, quaſi ſint duæ voces ſeparatæ למו, *illis*, & תם, *integrum*, ac vertit, *nulla ſunt tribulationes illis, integrum eſt robur eorum*.

Digitized by Google

rum. Pſ. LXXIII, 15, ait: pro חנה legerem המה, *ipſi*, aut crediderim, hanc vocem ante הנה ob ſimilitudinem excidiſſe. *Pſ. CXIX, 96,* lepida eſt obſervatio, & mirum de *Philoſophiæ Wolfianæ fine futuro* vaticinium. *Pſ. CXLI, 5, 6,* pro ראש cum LXX legit רשע, & vertit, *oleum improbi*. Et ejusmodi diverſas lectiones, ſibi poſſibiles viſas, in reliquis Hebraici Codicis libris porro obſervat. Neque ex his ſolum novas interpretationes exſculpit, ſed & ex dialectis linguæ Hebraicæ, nempe lingua Chaldaica, Syriaca, Arabica, tales depromere conatur, in *Jeſaia* maxime, ex quo nonnullas allegabimus. *Cap. IX, 17,* vocem Pag. 88.
ויתאבכו cum *Caſtello*, qui evolvendus eſt, ex Syriacæ linguæ uſu vertit, *attamen ſuperbiunt, ſuperbia fumi*, i. e. inani, & ſtolida, quod verbum Arabicum أبك quoque notat, & proprie quidem, *carnoſus, obeſus fuit*, ſed craſſitiei vox ad ſtupipiditatem refertur in linguis Orientalibus, & frequenter in Arabica, apud *Golium Col. 256, 417, 472, 885, 1420, 1421, 1527, 2660, 4121, &c.* *Cap. X, 27,* מפני שמן transfert, *a lima*, quia Caſtellus inter ſignificatus illius vocis ponit *ferrum, res acuta,* 89.
cum res acuitur, cum ferrum ſubtile redditur. Sed hunc ſenſum potius voci شنك tribuit. *XIV, 30,* אין בורד vertit, 90.
non eſt laſſus, (defatigatus,) ex Arabiſmo, coll. *Jeſ. V, 27,* ubi eſt אין עיף, niſi forte, ait, pro בורד legendum נודד, ac vagum & fugacem forſan militem intelligit. *XXIV, 16,* vocem רזי explicat per *ærumnam, malum, infortunium,* a radice Arabica رزا *malo ac detrimento affecit.* *XXVIII, 1,* ציץ נבל interpretatur *flos excellentiæ*, ex Arabico نبل, quod ſignificat *excelluit, eminens, nobilis* fuit, quam ipſam Latinam vocem ex Arabica quidam derivant. *XXX, 19,* יכנף ipſi eſt *circumtegetur*, ubi conferri meretur Cl. *Schultens*, qui vertit, *non* 94.
occultabitur amplius doctor tuus (in plurali *per excellentiam*) *ſcilicet Meſſias promiſſus.* *XLV, 2,* הדורים, *perverſa, tortuoſa*, ex Arabico דור, forſan ה non radicale, ſed articulum eſſe putans, interpretatur. *XLVIII, 19,* *ſicut gutta*, ex Arabica apud

Digitized by Google

Pag. 98. *Caſtellum* Radice מיע, *ejus*, ſcil. maris. *LII,15*, יזה cum *Clerico*, quem probat, tranſtulit ***admirationem creabit***, cui etiam, ut ait, ſignificatus Arabicæ Radicis אזז, זאא &c. favent, ſed ex quo Lexico aut ſcriptore Arabico hunc ſignificatum hauſerit, & *adſperſionis* ſenſus, quem in lingua Hebraica habet, optimus, cur rejiciendus ſit, ignoramus. In reliquis vero, quæ ex ſcriptoribus antiquis Græcis & Latinis affert, quibus & variis Codicis ſacri dictis lucem adſpergit, diligentiam ejus non improbandam eſſe cenſemus. Ceterum ipſe Pl. Rev. Autor illis explicationibus, quibus partim ab uſitatis Codicis Hebræi lectionibus ſine ratione ſufficienti, quam Philologus æque ac Philoſophus attendere debet, recedit, partim ex linguæ Arabicæ abuſu potius, quam recto uſu, & absque neceſſitate urgente, novum pluribus locis ſenſum affingit, non multum tribuere videtur, ſed pro doctis ſolum conjecturis habere, quæ ab exegeſi demonſtrativa longiſſime abſunt. Ad Novi Teſtamenti libros pauciores ſunt obſervationes, quibus immorari nolumus, unicum hoc monentes, quod ſcepticam illam & in exegeſi fugiendam formulam, *quid ſi?* in dicto *Luc. II, 14*, ut alibi quoque, adhibeat, ac vocem εὐδοκία in caſu tertio cum jota ſubſcripto, forſan legi poſſe ſibi imaginetur, hoc ſenſu, ***Deo in excelſis ſit gloria, & in terra pax, quæ oritur e gratia Dei erga homines, quam oſtendit nativitate filii ſui.***

DIATRIBE PHILOLOGICA DE R. SIMEONE, Filio I JOCHAI, Autore libri Sohar, in qua Celeberrimi Viri, CHRISTIANI SCHOETTGENII, Diſſertatio, docens, Autorem libri Sohar religione fuiſſe Chriſtianum, modeſte examinatur, & contrarium potius evincitur, illum non fuiſſe Chriſtianum, ſed Judæum; Autore JUSTO MARTINO GLÆSENERO, S.S. Theol. Lic. & ad D. Andreæ Paſt. adjuncto.

Hildeſiæ, typis Juſti Henningi Matthæi, 1736, 4.
Plag. 3.

R. Si-

R. *Simeon* hic in ſcenam reducitur non Chriſtianus, ſed Judæus. Cl. *Schœttgenius* eum A. 1735 in Diſſertatione, actui oratorio præmiſſa, ex recutitorum grege exemerat. Credet itaque Lector, Pl. Rev. Autorem in eo eſſe, ut, R. *Simeonem* libri *Sohar* Autorem exſtitiſſe, oſtendat. Quomodo enim ex libro *Sohar* demonſtrabitur indoles religionis, quam *Simeon* profeſſus fuit, niſi is Autor ejus libri exſtitit? Sed fallimur, ſi eam Autori tribuimus opinionem. Ipſe enim id in medio relinquit, R. *Simeon* utrum libri *Sohar* fuerit conditor, nec ne, addens, paucis interjectis: *Sic, omnibus rite penſitatis, liber iſte merito novitatis*, Seculo XIII inferioris, *accuſatur*. Autor itaque aut credidit, *R. Simeonem* fuiſſe Seculo XIII juniorem, aut fruſtra de religione ejus ex libro *Sohar* rationes conquirere ſtuduit. Verum juſto liberaliorem illam exiſtimamus novitatis accuſationem, dummodo ad ſtilum, ordinem tractationis, ratiocinationum modulos, qui inſunt libro illi famoſiſſimo, reſpiciatur. Quis ſtatuet, libros, ſimul ac fuerunt ſcripti, in notitiam aliorum veniſſe? vel eos non exſtitiſſe tum, cum ſcriptores, qui ſuperſunt, eorum nondum meminerunt? Pergit Autor, de libro *Sohar* ſic ſentiens: *Liber iſte eſt obſcuriſſimus, & intellectu difficillimus; quis enim ſcriptoris mentem ſatis aſſequi poteſt?* At, ſi res ſic habet, quis tum ex eo, R. *Simeonem* fuiſſe Judæum, oſtendet? Quis enim perſpicuas concluſiones ex propoſitionibus, quarum ſenſum nemo aſſequi poteſt, deducere vel exſculpere valebit? Vix itaque nos continere poſſumus, quin, Autorem ſibi ipſum defuiſſe, pronuntiemus, repetentes illa ejus verba: *an ex incertis & dubiis monumentis veri quid colligi poſſit, non video.* Nihilo minus Rev. Autor, ex eis ſeſe certiora indicia, quæ, R. *Simeonem* fuiſſe Judæum, deſignent, prolaturum, ſpondet, uſus Latina translatione, quam *Gothofr. Chriſtoph. Sommerus* in Specimine Theologiæ Soharicæ, Gothæ edito, adornavit, ratus, deformem Judaiſmi faciem latere in libro *Sohar*, multumque abeſſe, ut Autor ejus dici debeat Chriſtianus. M. *Nicolai Lutkens Lucem in tenebris, quam Zohar, antiquum Judæorum monumentum, genti ſuæ occæcatæ præbet*, non conſuluit, haud certe contemnendam. Vide *Supplem. Actorum Eruditorum Tom. X Sect.*

Pag. 4. 6. 11. 13.

Sect. V pag. 233 ſeq. Si quid conjectando valemus, librum *Sobar* reputamus pro fœtu hominis Chriſtiani, cujus inſederant animo formulæ loquendi Judaicæ ac ſpes felicitatis externæ, quibuscum Apoſtoli initio ac multi alii e Judæis ad Chriſtum adducti fuerunt conflictati. De reliquo Pl. Rev. Autorem ſtudioſe obſecramus, ut *Commentationem* ſuam *Hiſtorico-Philologicam*, quam *pag. 14* promiſit, cum orbe erudito, lingua non Rabbinorum, ſed *Quintiliani*, loquentem, communicet.

PRINCIPIA SERMONIS GRÆCI JUXTA METHODUM RECENTIORUM, quæ vulgo Welleriana dicitur, nunc primum edita.

Tiguri, ex officina Heideggeriana, 1736, 8.
Plag. 12.

Laudem merentur, qui juvenum ingeniis ignotas quasque & meticuloſas primo adſpectu doctrinas gratiori habitu proponere ſatagunt. Græca præſertim lingua cum multos ſemper immenſa æque ſua amplitudine, ac declinationum & conjugationum varietate, terruerit; non uno nomine ab eruditis gratiam iniere *Jac. Wellerus*, Portus regii eruditi, *Jo. Verwey*, *Jo. Henr. Schultzius*, alii, qui perſpicua & mathematica, quod ajunt, methodo ſubſtratis fundamentis omnia ſuperſtruxere, (ſunt autem illa doctrina de literarum permutatione, & de evphonia,) & declinationum quinas aut plures formas ad ternarium numerum, denas vero conjugationes ad binas, Lernæamque illam hydram verborum in μι, ſucciſis ceteris, ad unum caput, redegerunt. Verum, cum multa tamen haberent illi ſibi contraria, licet in ſummis rerum ordinisque capitibus convenirent, Autor, omiſſis illis, quæ confundere magis indoctos, quam juvare, poſſent, breve hoc, e voluminoſis Scriptoribus concinnatum, Syſtema elaboravit, neceſſaria ab arbitrariis, priora a poſterioribus, ſaluberrimo conſilio, diverſis characteribus diſtinxit, ſpecimen Syntaxeos, nova arte ad principia *Sanctiana* compoſitæ, addidit, &, poſt multa facta pericula, poſt maturas ſatis deliberationes, hominum doctiſſimorum importunis deſideriis expugnatus, edidit. Verendum ſcilicet erat, ut Helveti, græcitatis laude præ omnibus ſemper celebratiſſimi, abſque hac ſi forent Grammatica, Græcas capere literas unquam poſſent. Feramus tamen hominum ſcholaſticorum morem, quibus ſua, modica licet, nimium quantum probari, dudum experientia compertum eſt.

* * *

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II Sectio XI.

EDMUNDI MARTENE ET URSINI DURANDI, Preſbyterorum & Monachorum Benedictinorum e Congregatione S. Mauri, veterum Scriptorum & Monumentorum hiſtoricorum, dogmaticorum, moralium, ampliſſima Collectio.

Tomus VII, VIII, & IX.

Pariſiis, apud Montalant, 1733, fol.
Alph. 24 plag. 13.

Cum vino vendibili, ut eſt in proverbio, non opus ſit hedera ſuſpenſa, tum ſupervacaneum exiſtimamus, præclariſſimam operam, quam Viri doctiſſimi, *Edmundus Martene*, & *Urſinus Durandus*, in ampliſſima hac Collectione veterum Scriptorum & Monumentorum hiſtoricorum, dogmaticorum, & moralium, præſtiterunt, multis efferre laudibus. Itaque ſine ulla ulteriori mora ad recenſendos hos, quos indicavimus, *Tomos* (de prioribus enim *ſex* abunde dictum eſt alio tempore,) nos accingimus, indicem quendam rerum præcipuarum in iis obviarum Lectoribus noſtris exhibituri. *Tomus VII*, quemadmodum generatim complectitur va-

ria Concilia, Epiſcoporum Statuta ſynodalia, actaque plurima, quæ Concilium Piſanum partim præceſſerunt, partim ſubſecuta
Pag. 1. ſunt. Ita primo loco exhibet Commonitorium cujusque Epiſcopi ad ſacerdotes ſibi ſubditos, ceterosque miniſtros cujuscunque ordinis Eccleſiaſtici, quod hic profertur ex duobus Codicibus MStis antiquis, quorum alter eſt Viconienſis monaſterii, ante annos 500 exaratus, alter Pariſienſis, Bibliothecæ S. *Victoris*,
70. qui eandem præ ſe ferre ætatem videtur. A. 1317 affertur Charta *Ludovici VII*, Francorum Regis, quam Cl. Collectores hic ex chartario Engoliſmenſi Illuſtriſſ. *Chauvelini*, Regiorum Sigillorum Cuſtodis, integram dant, cum eam *Sammarthanus Tom. II Gall. Chriſt.* antea tum in ipſo
106. initio, tum in fine, truncam ediderit. A. 1219 ex MSto Codice Bibliothecæ Regiæ Statuta, in Concilio apud Toloſam promulgata per Romanum S. *Angeli* Diaconum Cardinalem, Apoſtolicæ ſedis Legatum, exhibentur, quibus proxime
107. ſubjicitur Concilium Trevirenſe, A. 1227 celebratum, ex Codice MSto inſigni monaſterii S. *Matthiæ* Trevirenſis, ante annos 400 exarato, deſcriptum. Ex laudato jam chartario Engoliſ-
148 ſeq. menſi Illuſtriſſ. *Chauvelini* proferuntur etiam ad A. 1259 acta varia de diſſidio inter *Robertum*, Epiſcopum, & *Hugonem*, Co-
168. mitem Engoliſmenſem. Anno ſequenti adducuntur ex ejusdem *Chauvelini* Codice MSto literæ *Alexandri* Papæ *IV* ad Archiepiſcopum Burdegalenſem, quibus eum hortatur ad congregandum ſuffraganeorum Concilium, in quo deliberetur de modo reſiſtendi Tartaris. His ex eodem MSto ſtatim ſubjungitur Concilii Burdegalenſis reſponſio ad *Alexandri IV* Epi-
170. ſtolam. Eodem extracta eduntur acta varia, ad reconciliatio-
199. nem Græcorum, quæ in Concilio Lugdunenſi A. 1274 facta
283. eſt, pertinentia. A. 1284 ex Codice MSto Bibliothecæ Regiæ repræſentatur Concilium Melfitanum, hoc ipſo anno celebratum a *Gerardo*, Sabinenſi Epiſcopo, Apoſtolicæ ſedis Legato. Ex ejusdem Bibliothecæ Codice MSto repetitum etiam eſt Con-
310 ſeq. cilium Armenorum, A. 1342 celebratum, in quo objecti Armenis, a *Benedicto* Papa *XII* per Legatos adverſus Saracenos auxilium poſtulantibus, in libello errores condemnantur, eorum-

Digitized by Google

rumque fides amplius declaratur. Acta celeberrimi Concilii generalis Piſani, A. 1409 celebrati, ad tollendum per annos triginta inveteratum ſchiſma, ex Codice MSto antiquo S. *Laurentii* Leodienſis, aliisque Codicibus *Chauveliniana*, Regiæque, & *Colbertinæ* Bibliothecæ ſufficiuntur, ubi & inprimis lectu ſunt digniſſima, quæ ex Codice MSto S. *Laurentii* Leodienſis proferuntur, propterea quod non ſolum plura pertinent ad illuſtrationem eorum, quæ Piſanum hoc Concilium præceſſerunt, ſed de multis etiam apud ſcriptores, qui Concilii hujus hiſtoriam tradiderunt, altum eſt ſilentium. Afferuntur etiam addenda ad Statuta ſynodalia *Odonis*, Epiſcopi Pariſienſis, quæ a *Labbeo Conciliorum Tomo X* edita leguntur, ex Codice MSto S. *Victoris*; ac *Tomum* hunc tandem concludunt Statuta Eccleſiæ Biterrenſis, A. 1297 in Capitulo generali edita ex ſchedis *Colbertinis*.

Pag. 425 ſeq.
1420.
1424.

Tomus VIII maximam partem abſolvitur actis variis, tum ad Concilium Baſilienſe, tum ad Tridentinum, ſpectantibus, quæ ex variis MStis Codicibus in lucem proferuntur. Sic in principio ſtatim hujus *Tomi* conſpicitur inchoatio Concilii Baſileenſis ex codice MSto Illuſtriſſ. *Chauvelini* & Aquicinctenſi, ex quo poſteriore ſunt etiam proceſſus verbalis de inchoatione Concilii Baſileenſis, literæ *Sigismundi*, Romanorum Regis, quibus ſecuritati & quieti Concilii proſpexit. Ex Codice MSto Regii Collegii Navarræ Epiſtola *Procopii* & aliorum *Huſſitarum* exhibetur, quæ invehitur in Papam & Epiſcopos, hortaturque Principes Chriſtianos, ut ſuos Epiſcopos & doctores mittant, qui cum ſuis doctoribus decertent diſputatione Scripturæ ſacræ teſtimoniis nixa. Unde deſumtæ quoque ſunt Epiſtolæ Concilii Baſileenſis, quæ partim ad Epiſcopos Germaniæ, ut veniant ad Concilium ſine pompa, & aliquos religioſos ad reformationem religioſorum idoneos venire jubeant, partim ad Abbates, Præpoſitos, aliosque diœceſis Baſileenſis, ut quamprimum in Concilio compareant, partim ad Regem Poloniæ, ut pacem cum Wictrigaldo fratre ineat, datæ fuerunt. Ex Codice MSto Aquicinctenſi affertur Epiſtola conſervatorum & capitum regionum urbis Romæ ad *Sigismundum*, Regem

1.
3.
13.
19.
35 ſeq.
117 ſeq.

Romanorum, qua, laudato ejus in Concilio celebrando ſtudio, rogant, ut illud Romæ celebretur, & *Sigismundi* reſponſio ad hanc Epiſtolam, qua negat, Concilium Baſileenſe Romam
Pag. 179 ſeq. transferri poſſe. Ex eodem MSto ſiſtitur tum Epiſtola *Joannis* Ebracenſis & *Joannis de Mulbruno*, Abbatum ad *Julianum*, Legatum, Concilii Baſileenſis præſidem, de mittendis ſalvis conductibus ad Bohemos, tum ipſe ſalvus conductus Marchionis Brandeburgici, & *Joannis*, Ducis Bavariæ, Bohemis conceſ-
262 ſeq. ſus. Ex Codice MSto Navarri refertur poſitio magiſtri *Joannis de Rokaſana*, Pragenſis, coram patribus Concilii Baſileenſis
340. pro parte Bohemorum propoſita, & oratio præambula reſponſionibus Deputatorum hujus Concilii ad articulos Bohemorum,
527. per Abbatem Ciſtercienſem, *Joannem de Alneto*. Ex MSto Aquicinctenſi memoratur Epiſtola Conſulum & civium Trevirenſium ad Concilium Baſileenſe, qua præſidium adverſus diffidationes ſibi factas ab adhærentibus *Ulrico de Manderſcheit*
579. petunt, nec non pacta inter *Eugenium* Papam *IV* & *Sigismundum*, Romanorum Regem, inita & firmata, cum Epi-
592. ſtola Syndici & conſilii civitatis Avenionenſis, qua Concilium monent de expeditione, adverſus Comitatum Vaineſini a Cardi-
813. nali Fuxenſi & ejus fratribus ſuſcepta. Ex Codice MSto Illuſtriſſ. *Chauvelini* producitur Epiſtola oratorum Concilii Baſileenſis ad Imperatorem & Concilium de negotio Epiſcopi Tri-
938. dentini, Bohemorum, & reformationis Eccleſiæ. Ex MSto Codice Crucigerorum Leodienſium refertur Epiſtola *Philippi Mariæ Angeli*, Ducis Mediolanenſis, ad Archiepiſcopum Mediolanenſem & Epiſcopum Albiganenſem, qua Concilii translationem ad civitatem Florentinam improbat, minaturque, ſe pro virili parte ipſius celebrationem impediturum, una cum E-
940. piſtola *Sigismundi* Imperatoris ad *Paulum*, Epiſcopum Argentinum, ſuum ad Concilium Baſileenſe oratorem, de falſa
988. bulla ſuper translatione Concilii ad civitatem Florentinam. Ex ſchedis *Mabillonii* legitur Epiſtola *Nicolai* Papæ *V* ad *Carolum VII*, Regem Francorum, qua eum hortatur, ut majorum
1018. ſuorum more ad procurandam Eccleſiæ pacem incumbat. Ex archivis S. *Germani a Pratis* producitur Concilium provinciale,

Digitized by Google

ciale, ab Archiepiſcopo Senonenſi & ſuffraganeis menſe Mar-
tio A. 1521 Pariſiis celebratum. Acta Concilii Tridentini, Pag. 1022
quæ hic habentur, ſcripta ſunt ab *Angelo Maſſarello*, Concilii ſeq.
Secretario, & *Joanne Curtenbroſche*, Anglo, qui Concilio inter-
fuit, & deſcripta ſiſtuntur ex duobus MStis Codicibus, quorum
unus eſt Bibliothecæ regiæ, alter vero Illuſtriſſ. *Jolii de Fleury*,
ſummi Regis procuratoris. A. 1556 traditur formula Chri- 1445.
ſtianæ & catholicæ fidei, tradita in ſacra Synodo provinciali
Lovitii, & dicto anno d. 11 Sept. celebrata. Ex Codice 1494.
MSto Bibliothecæ Regiæ producuntur Statuta ſynodalia Eccle- 1559.
ſiæ Reatinæ, & ex MSto *Colbertino* Statuta ſynodalia *Guillelmi*,
Epiſcopi Montalbanenſis, A. 1337 edita.

Tomus IX varia complectitur Opuſcula ſanctorum Patrum
& aliorum Autorum Eccleſiaſticorum. Omnium primo con- 1.
ſpicitur S. *Cypriani* Carmen ad *Felicem* de reſurrectione mor-
tuorum, ex MSto Codice Corbejenſi, ante annos 900 exarato,
erutum. Quis *Cyprianus*, hujus Carminis autor, fuerit, etſi
pro certo affirmare noluerunt Cl. Editores in obſervatione
prævia, negant tamen, illud adſcribendum eſſe celeberrimo illi
Carthaginenſi Epiſcopo & Martyri, tam propter orationem ni-
mis ſalebroſam, quam propter violatas frequentius metri le-
ges. Editum quidem hoc Carmen jam fuit ad calcem Ope-
rum *Tertulliani*, ſed nimis audacem ſe exhibuit Editor, qui,
violatas a *Cypriano*, quisquis ille fuit, metri leges humilemque
ſtilum impatienter ferens, Opuſculum iſtud elegantioribus
verſibus reddere conatus eſt. Dederunt igitur operam Cl. E-
ditores, ut ex laudato MSto hoc Carmen, quale ab Autore
prodiit, ſuæ reſtituerent integritati. Ex ſimili Codice MSto 13 ſeq.
Corbejenſi, qui ante annos nongentos exaratus eſt, *Juvenci*,
Presbyteri Hiſpani, liber in Geneſin quoque nunc integer &
ſuæ ſinceritati redditus prodit, cum prima tantum ipſius Capi-
ta quatuor adhuc edita fuerint. His ſuccedit S. *Hilarii*, Pi- 55 ſeq.
ctorum Epiſcopi, interpretatio aliquot Pſalmorum, hactenus in-
edita, ex MSto Aquicinctenſi, ab annis circiter ſexcentis ele-
ganter ſcripto. Ex ſchedis *Mabillonii* affertur S. *Nili*, Mo- 83 ſeq.
nachi, Tractatus de Chriſtiana Philoſophia. Interpres hujus li-

bri dicitur in obſervatione prævia fuiſſe *Iſidorus Clarius*, Caſinenſis Congregationis lumen, hæcque interpretatio, ab *Iſidoro* adornata, multum præſtare illi, quam confecit *Joſephus Maria*
Pag. 125. *Suarez*. Ex Codice MSto Corbejenſi, ante jam laudato, profertur etiam *Cælii Sedulii*, Presbyteri, Carmen de verbi incarnatione, in quo, quemadmodum Autor *Virgilium* ſibi ſumſit imitandum, ſic ſingulis fere verſibus indicantur loci *Maronis* in annotationibus Cl. Editorum, qui ſunt in hoc Carmine imita-
133 ſeq. tione expreſſi. Huic ſubjunguntur S. *Maximi*, Epiſcopi Taurinenſis, Homiliæ ſex de hoſpitalitate, de Zachæo, de Epiphania, aliisque, quas ex Codice MSto monaſterii S. *Galli* apud Helve-
141. tios, ab annis circiter mille majuſculis literis exarato, eruit *Mabillonius*. Has excipiunt *Fauſti*, Epiſcopi, Sermones ſex ad monachos, de pœnitentia, de die judicii, de die natali S. *Petri*, &c.
185. ex variis MStis producti. Ex Codice MSto Illuſtriſſ. *Daguesſeau*, Franciæ Cancellarii, ante 800 annos ſcripto, & cum *Mabillonii* Codice collato, dantur S. *Bonifacii*, Arthiepiſcopi Moguntini, Germanorum Apoſtoli & Martyris, Sermones XVI, qui de fide recta, de origine humanæ conditionis, de gemina juſtitiæ operatione, de octo beatitudinibus, de fide & operibus dilectionis, de capitalibus peccatis, & præcipuis Dei præceptis, &c. agunt.
219 ſeq. S. *Ambroſii Autperti* non ſolum liber de cupiditate ex Codice MSto Illuſtriſſ. *Chauvelini*, annorum 800, verum etiam Sermo de lectione Evangelica in purificatione B. *Mariæ* ex MSto S. *Germani a Pratis* ac Floriacenſi, invicem collatis, & Homilia in transfiguratione domini ex duobus MStis Bibliothecæ Cor-
577. bejenſis monaſterii, exhibentur. *Flori* magiſtri Opuſculum de expoſitione miſſæ, quod in Bibliotheca Patrum legitur abbreviatum, hic ex MSto Codice Bibliothecæ Reginæ Sueciæ, Seculo X ſaltem exarato, integrum ac numeris omnibus abſolutum prodit, prout illud *Mabillonius*, Romæ degens, de-
667. ſcribendum curavit. *Rabani Mauri*, Archiepiſcopi Moguntini, in librum *Joſuæ* libri tres afferuntur, quos ex MSto Ciſter-
785. cienſi eruit *Jacobus Lannois*, Monachus Ciſtercienſis, & *Ratherii*, Veronenſis Epiſcopi, præloquiorum *Libri VI*, ex MSto Laubienſi, & Epiſtolæ tum ad *Widonem* & *Sobbonem*, Archie-

Digitized by Google

Archiepiſcopos, *Godeſcalcum* & *Aurelium*, Epiſcopos, tum ad *Robertum*, Archiepiſcopum, & ad omnes fideles. Ex MSto Pag. 1075.
Codice Collegii regali Navarræ prodit tandem ignoti hactenus
Viviani, Præmonſtratenſis, Harmonia, ſive, Tractatus de libero 1092.
arbitrio & gratia, & ex MSto Beccenſis monaſterii rithmus
magiſtri *Petri Abaillart* de S. Trinitate, & *Josleni*, Epiſcopi 1101.
Sueſſionenſis, expoſitio ſymboli & orationis dominicæ, quam ex pervetuſto Codice Marchianenſis monaſterii deſcripſerunt
Editores. Ex MSto Codice Aquicinctenſi referuntur *Petri* 1119.
Venerabilis, Abbatis Cluniacenſis, Libri duo adverſus nefandam
ſectam Sarracenorum, & ex MSto Codice Reginæ Sueciæ, 1185.
quem eruit *Mabillonius*, *Hugonis*, Rothomagenſis Archiepiſcopi, Tractatus de memoria, qui tres complectitur Libros in laudem memoriæ; cujus inſuper accedunt Sermo ſuper fide catholica & oratione dominica, ex MSto Bibliothecæ Regiæ, &
Epiſtola ad *Innocentium* Papam *II*. Ex MSto Codice Hime- 1237.
rodenſis monaſterii annorum circiter 500 magiſtri *Hildebrandi* libellus de contemplatione erutus habetur. In fine hujus
Tomi leguntur Addenda ad *Tomum primum*, in quibus præter 1445.
cetera apparent Epiſtola *Clementis* Papæ *VI* ad *Raynerium de Waſebio*, ex ſchedis Illuſtr. Marchionis *Daubais*, Epiſtola *Urbani* Papæ *VI* ad populum & officiales urbis Romæ, ex iisdem ſchedis, Inſtrumentum *Joannis de Mengre de Boucicaut*, militis Turonenſis, Mareſcalli Franciæ, & Januenſis gubernatoris, ex archivo caſtelli Vicecomitum Turennæ, &c.

Singulis his *Tomis*, quos paucis recenſuimus, quemadmodum præmiſſa eſt Præfatio ſatis ampla & copioſa, ſic, more ſemel recepto, ſubjiciuntur Indices rerum & verborum accuratiſſimi.

BARNABÆ BRISSONII DE FORMULIS & ſolennibus populi Romani verbis Libri VIII, ex recenſione FRANCISCI CAROLI CONRADI. Accedunt Præfatio nova, Vita & Elogia BARNABÆ BRISSONII, Conſpectus univerſi Operis & ſum-

ſummaria, Autorumque, formularum, rerum, & verborum, Indices.

Halæ & Lipſiæ, apud Erneſt. Gottl. Krugium, 1731, fol. Alph. 4 plag. 16.

Quibus hominum judiciis exceptum olim ſit Opus hoc vaſtum & diffuſum, neque tamen omnibus partibus perpolitum atque limatum, diſcere cuique ex Conſ. *Conradi* Præfatione liceat. Quamvis autem *Scaligero* & *Cujacio* non defuerit, quod in eo deſiderarent; eſt tamen ſatis præclarum frugiferumque inſtitutum ipſum, cujus inprimis utilitatem capiunt ii, qui ad Juris Romani planam atque apertam cognitionem incumbunt. Sive enim differentias noſſe SCtorum, Plebiſcitorum, Conſtitutionum, Legum, Rogationum, Edictorum; ſive definitiones & ingenium perſpicere Actionum, & Exceptionum; ſive diviſiones diſcere Pactorum, Stipulationum, Contractuum, velis; quid his ſtatis ſolennibusque formulis prius & antiquius habere debeas, non videmus. Quod præclare intellexit *Gravina*, & quicunque *Scaligero* & *Cujacio* candidior hac potiſſimum via abſconditi priſci juris exploratiſſimam pulcherrimamque patere rationem judicavit. Quare egregium plane doctiſſimi *Conradi* conſilium fuit, quod iterare hujus libri editionem voluit ita, ut uſum ejus plurimis partibus præſtiterit commodiorem. Nam & libros, continua ante ſerie cohærentes, in particulas, argumentis ſingulis ſervientes, ſecuit, & autoritatibus veterum, quibus utitur *Briſſonius*, notas appoſuit, quibus, ubi quæque verba eorum uſurpata reperiantur, ſignificetur, & leges, ex Corpore Juris in probationem adhibitas, ad eum modum, quo hoc tempore conſuevimus, *indicavit*, &, ut, quamcunque rem in toto Opere requiras, longæ inquiſitionis labor abſit, adjecit tabulas complures pleniſſimas, quibus cujusque rei locus deſignetur. Sed contentus non fuit ſua hac moleſta opera Cl. *Conradi*, qui obſervationes & augmenta formularum in hoc Opus ſe daturum promiſit. Qui ſane labor ut auſpicato bonis literis præſtetur, non vulgaribus votis a Muſis manſuetioribus impetrandum ducimus. Ut enim

omnes

Digitized by Google

omnes eæ verborum ſolennitates, quibus publici, quibus ſacri, quibus privati juris majeſtas atque ſtabilitas continebatur, in conſpectum dentur univerſæ, multa & peracri in perquirendis vetuſtatis monumentis diligentia opus eſt; ut vero explanentur, oſtendaturque ex iis totius Juris civilis origo atque indoles, judicio & antiquitatis notitia ea, qualem noſtrorum hominum pæne nemo tenet. Quare nos minus miramur, ſi Cel. Vir otium & moram poſcit, qua iis, quæ paſſim obſervata adverſariis commiſit, elucubrandis poliendisque cum cura vacet. Quam præmiſit Operi huic, vita *Briſſonii* eleganter ſcripta eſt & erudite, triſtiſſimasque temporum calamitates, in quas ætas incidit *Briſſonii*, & quarum ipſe præ ceteris fuit particeps, pleniſſime commemorat.

JACOBI SIVE ACTII SYNCERI SANNAZARII, Neapolitani, Viri patricii, Poemata, ex antiquis editionibus accuratiſſime deſcripta. Acceſſit ejusdem Vita, JO. ANTONIO VULPIO Autore, item GABRIELIS ALTILII & HONORATI FASCITELLI Carmina, quæ exſtant. Editio altera, priore locupletior.

Patavii, excudebat Joſephus Cominus, 1731, 4.
Alph. 1 plag. 16.

Hac iterum facie ſiſtitur terſiſſimus limatiſſimusque ille Italorum Poeta, *Jacobus*, vel, ut ipſe maluit vocari, *Actius Syncerus Sannazarius*, qui poſt *Petrarcham* unicum ſuæ gentis decus & lyricæ poetices facile princeps poteſt haberi. Quam cupidis manibus ſtudioſorum Carmina ejus ſemper ſint excepta, vel ex eo patet, quod, poſt alias multas, & *prior* illa *Vulpii* editio præter ſpem jam per annos ferme duodecim deeſſe cœperit. Requirentium itaque deſiderio & favore excitus *Vulpius*, Vir de literis amœnioribus inter Latii literatores longe meritiſſimus, manum operi iterum admovit reparando, tantaque cura & exornatione hanc alteram adſtruxit editionem, ut merito dubitandum ſit, an usquam alia eidem poſſit æquiparari. Pollicitus equidem jam olim erat peritiſſimus hic Muſa-

rum elegantiorum amator, ſua opera ſcriptores ſubinde, qui in vindicandis a barbarie priſtina ſtudiis aliquid laudis meruere, emiſſum iri. Quanta, eaque integerrima, fide id quidem præſtiterit, teſtes ſunt copia illa librorum, quibus publicandis huc usque manus obſtetrices ſedulo ſuppeditavit. Et eminet ſane in his hæc altera inprimis *Sannazariana* Poeſeos collectio. Literarum hujus generis expers ſit oportet, qui hunc Poetam, & venuſtate & gravitate longe celeberrimum, minus noverit. Notiora ſunt ejus carmina, quæ, cum auream ætatem accedant, digna auro habita fuere, & tantam Autori omnium æſtimationem fecerunt, ut, quod huic ſoli obtigiſſe ſciamus, ob limatum genus ſcribendi, unus Poeta ſtatarius ſit appellatus. Non eſt itaque, quod longiores in ejus laudibus ſimus, ſed, quid Editor potius ſeorſim in hac præſtiterit editione, ſtrictim perſequi, operæ erit pretium. Igitur, præter terſiſſimam ſcriptionis faciem, mendisque ex rariſſimis quibusque exemplis purgatam, hæc fere, *Vulpio* noſtro propria, reperiuntur. Primum enim, poſt explicatam in utraque Præfatione inſtituti rationem, perpetua narratione vitam *Sannazarii* accuratius & copioſius contexit. Multa ſane in illa ſunt, quæ alii fere omnes aut nunquam, aut ſatis leviter & inconcinne, de illo memoriæ prodiderunt. Quæ enim de ultima ſanctæ ſtirpis origine, de ipſius *Jacobi* noſtri fatis, moribus, ſtudiis, *Vulpius* ſcite congeſſit, adeo lectu digna & omnibus probata viſa ſunt, ut etiam literator ille Belga, *Vlämingius*, magna literarum jactura nuper defunctus, eandem vitæ explicationem ſuæ editioni præmittere non dubitaverit, quanquam & ipſe ex multis annis eidem labori ſeſe accinxerat. Deinde vero non in exiguum honorem videtur adduxiſſe *Sannazarium*, cum non teſtimonia ſolum doctorum undique curioſe collecta interpoſuit, ſed & aliorum procerum Epiſtolas, quorum commercio digniſſimus habitus fuit, adjecit. Tandem, ob affinitatem tum ingenii, tum ſtudiorum, tum vero patriæ vicinitatem, haud alienum ſibi viſus eſt facturus, ſi politiſſima *Faſcitelli* & *Altilii* Carmina Operi huic ſubjungeret, quorum hic quidem etiam ſodalitate junctus fuit *Sannazario*, alter vero, itidem Italus, *Catulli* elegantiam prope æquavit. Celebre inpri-

Digitized by Google

primis inter peritos Epithalamium *Altilii*, quod mancum mendoſumque ante comparuerat, ſuo nitori reſtituere curavit & integritati. Nec iis, quorum intereſſe ſuſpicatus eſt, utrumque Italum accuratius noſſe, deeſſe voluit, cum quidem de vita ſcriptisque illorum teſtimonia preſſius collecta interſeruit. Abſolvit denique Cl. Editor operam hanc laude quavis digniſſimam adjecto Indice, quo alium uberiorem aut magis digeſtum haud facile recordamur. Ceterum facile nos quidem ſuperſedere poſſumus opera huic Operi *Vulpiano* pretium dicendi, quandoquidem jam in ea re tantum ſit ejus gentisque *Vulpianæ* literatiſſimæ nomen, ut, quicquid ab eorum Muſis profectum fuerit, ſpe & laude majus ſemper exſtiterit.

JOANNIS WESSELII DISSERTATIONES Academicæ ad ſelecta quædam loca Veteris & Novi Teſtamenti. Accedunt Orationes duæ, prima de admiranda gentis Judaicæ in hunc usque diem conſervatione, altera in obitum magni Theologi, JOANNIS MARCKII. Præfixa eſt Præfatio, in qua, præter alia pauca, continentur Vindiciæ Diſſertationis ultimæ de Natura peccati.

Lugduni Batavorum, apud Samuelem Luchtmanns, 1734, 4. Alph. 4 plag. 9.

Novennio abhinc miles levis armaturæ quidam Autorem Ven. coegit arma capere, ut vindicaret filium Dei æternum ac naturalem ab audaci ejus inſtituto, qui Chriſtum in Deorum nuncupativorum ordinem redigere moliebatur, aſſerens, reformatam Eccleſiam ſecum facere. Conſcripſit ideo Cl. *Weſſelius Neſtorianiſmum & Adoptianiſmum redivivum confutatum*, in quo unicam modo Chriſti filiationem divinam aſſeruit, *Neſtorii*, veterumque Adoptianorum, ſententiam ex monumentis veterum aſſeruit, de fide Eccleſiæ ante Concilium Nicænum, ante *Neſtorium*, ante *Vorſtium* & Remonſtrantes, & poſt tempora *Vorſtii* ac *Epiſcopii*, diligenter egit: inprimis de titulo *primogeniti*, quo Chriſtus inſignitur, differuit, atque

Digitized by Google

oſtendit, hunc titulum Chriſto dari in ſacris, nunquam relate ad Deum Patrem, ſed ſemper relate vel ad creaturas omnes, vel ad fideles, & absque ulla geniture connotatione, ſignificare *Dominum* & *Principem*, ut in libro *Jobi* diabolus appellatur *primogenitus mortis*, nullo ad genituram reſpectu habito. Antagoniſta A. 1728 oppoſuit *Exercitationes* cum *Mantiſſa*. Quare A. 1729 Autor Ven. *Cenſuram* in illas, atque *Diſſertationem de Chriſto primogenito*, ad *Ebr. I, 6*, in Academia ventilandam propoſuit, quæ nunc juris ſit publici. Speciatim præmiſit Diſſertationem *de Chriſto primogenito*, quæ eſt XVI in hoc Opere. Adverſarius deinde edidit ſcriptum Belgicum, in quo perperam lectori perſuadet, *Weſſelium* ad ea, quæ ille ex loco *Ebr. I, 6*, pro Chriſto, primogenito Dei filio, attulerat, nil hactenus reſpondiſſe. Tribuit Ven. Autor adverſario typomaniam, propenſionem ad hæreſes, ſentiendi pertinaciam. Ultima Diſſertationum eſt *de Natura peccati*, publice A. 1722 habita. In ea *Weſſelius* contendit, naturam peccati conſiſtere in ſola privatione rectitudinis ex lege debitæ adeſſe actibus atque habitibus noſtris. Quam ſententiam vindicare ſuſtinuit ab objectionibus, quas aliquot ante annis adverſus eam moverat Cel. *Campegius Vitringa*, qui *privationi* illi addiderat actum ſeu habitum ita modificatum, ut ſit legi contrarius. Obiit *Vitringa*, antequam *Weſſelii* Diſſertatio ederetur. *Vitringa* idcirco, filius, tres Diſſertationes anticriticas, ſatis acerbas, in *Weſſelium* edidit, patris memoriæ parentaturus. Addit *Weſſelius*, in hoc juniori Theologo animadverti faſtum incredibilem, effrænem maledicendi & conviciandi licentiam, & ſervitutem affectuum iræ & odii deploratam, vix autem miculam ſapientiæ cœleſtis. Noluit *Weſſelius* reſpondere, ſed *Vitringæ* junioris anticriticas illas Diſſertationes a ſeſe lectas ſepoſuit. Obiit inter hæc *Vitringa*, filius, antequam Opus ſuum anticriticum abſolveret. Prodiere poſt ejus obitum Opuſcula ejusdem, & inter ea hæ Diſſertationes *de Natura peccati*. Editor nonnulla immoderatius ſcripta ſatis prudenter truncaverat, & probroſe in *Weſſelium* aliosque dicta ejecerat, nec tamen omnia. Credidit Ven. *Weſſelius*, ſibi hoc pacto neceſſitatem fuiſſe

fuiſſe impoſitam, edendi Diſputationem illam *de Natura peccati*, ad *1 Jo. III, 4.* Si quid judicando valemus, controverſiam hanc ad logomachiarum claſſem rejicimus. Pone, quærere aliquem, cur hoc vel illud ſit peccato infectum. Reſpondebis tum indubie: eo, quod ἀνομίαν involvit. *Materiam & formam* ſolent noſtri ſapienter in doctrina de peccato diſtinguere. Aliud enim eſt illud, cui ineſt peccatum, aliud eſt ipſa a lege divina diformitas. Cum vero & illud, cui ineſt peccatum, & ipſa ἀνομία, vocentur *peccatum*, ex duplici ſignificatu oritur compitum & bivium bifariam ſentiendi, licet ſententia utraque haud admodum per ſeſe invicem repugnet. *Vitringa* putat, *peccatum commiſſionis* proprie eſſe peccatum; *Weſſelius* contra aſſerit, improprie & metonymice ſic dici, actum enim in ſeſe eſſe bonum, vitium ſeu peccatum ei duntaxat adhærere. Quod ipſum fatetur *Vitringa* junior in *Diſp. V §. 35, 63.* Longa ſunt, quæ ad argumentorum *Vitringæ* junioris ſeriem reponit Præfationis Ven. Autor. Peculiari attentione digna ſunt verba: *Deus non vult impedire peccatum ut ſapientiſſimus ac ſuæ gloriæ amantiſſimus, quia ex malo bonum elicit, atque adeo ſemet ipſum & gloriam ſuam amat permittendo peccatum, quia abſque eo gloria divinæ juſtitiæ & miſericordiæ manifeſtari non potuiſſet.* Diſſertationes hoc Volumine exhibentur Academicæ XX. Indicabimus primo ſummas, & deinceps nonnulla inde decerpemus. Seriem accipe ipſam. Tractatur in *prima* de miraculo & myſterio rubi ardentis & non conſumti, ad *Exod. III, 2.* In *ſecunda* de iniquitate patrum, imputata filiis & filiorum filiis, tertiis & quartis, ad *Exod. XXXIV, 7.* In *tertia* de voto *Moſis* ad *Num. XI, 29*; *quarta* de *Davide*, lavante manus ſuas cum innocentia, & circumeunte altare Domini, in fide ſacrificii Meſſiæ, ad *Pſ. XXVI, 6*; *quinta* de amœnitatibus ſeu myſteriis tabernaculi Levitici, a piis veteribus intellectis ac creditis, ad *Pſ. XXVII, 4*; *ſexta* de lingua vatis, calamo ſcribæ velocis comparata, ad *Pſ. XLV, 2*; *ſeptima* de pulchritudine & gratia labiorum Meſſiæ, propterea benedicti in æternum, ad *Pſ. XLV, 3*; *octava* de juſtitia Meſſiæ vicaria, cauſa unctionis ejus ſupra conſortes, ad *Pſ. XLV, 4*; *nona* de Regina, ſtante ad dexte-

ram Regis in auro Ophir, ad *Pſ. XLV, 10; decima* de filiis Meſſiæ pro patribus ejus futuris, ad *Pſ. XLV, 17; undecima* de memoria nominis Meſſiæ perpetua in omni generatione, ad *Pſ. XLV, 18; duodecima* de *Moſe* legislatore, gratiam Chriſti redemtoris implorante, ad *Pſ. CX, 16, 17; decima tertia* de Meſſia, ex torrente in via bibituro, ad *Pſ. CX, 7; decima quarta* de hæreditate terræ, piis promiſſa, ad *Matth. V, 5; decima quinta* de antiquitate & origine Baptiſmi proſelytorum apud Judæos, præcipue ad locum *1 Cor. X, 1, 2; decima ſexta* de Chriſto primogenito, ad *Hebr. I, 6; decima ſeptima* de ſecunda primogeniti in mundum introductione, ad *Hebr. I, 6; decima octava* de primogeniti adoratione, angelis imperata, ad *Hebr. I, 6; decima nona*, continens Cenſuram in Exercitationes D. B. S. C. de primogenito Dei filio, angelis excellentiore, cum modeſta calumniarum depulſione; *vigeſima* de natura peccati, ad *1 Jo. III, 4.* Sequuntur nomina eorum, qui haſce Diſſertationes cum laude defenderunt publice, nec non Index locorum Scripturæ, paſſim illuſtratorum, vel explicatorum. Per rubi ardentis ſym-

Pag. 2. bolum intelligit Ven. Autor eccleſiam militantem, tum Iſraeliticam, ejusque mirabilem, non obſtante afflictionis igne perpetuo, conſervationem. Per *angelum*, cum *Moſe* ex rubo loquentem, intelligit Chriſtum, ob nomen יְהוָה, & ſummam orationis. Refellit Remonſtrantes, & *Eniedinum*, qui ſecus ſenſerunt, eisque teſtimonia quoque *Juſtini Martyris, Irenæi,* & *Hilarii*, opponit, plura eo fine olim commentatus in *Diſſertationibus* ſuis *ſacris Leidenſibus.* Vocem סְנֶה eſſe *fruticem ſpinoſum*, ſpeciatim *rubum*, credit, ratus, *Georgium Vereſtoi,*

9. qui Diſſertationem theologico-philologicam *de palma ardente* Franequeræ habuit, cujus compendium in Muſeo Bremenſi legitur, erudita attuliſſe, nec tamen rubum e loco ſuo dimoviſſe. Rubum quadrare ad afflictum & depreſſum populi Iſraelitici ſtatum, verum eſt; palma florentioris utique conditionis fuiſ-

12. ſet index. Palmæ ægre ardent, difficulter comburuntur. *Moſes* igitur haud miratus fuiſſet, palmam haud comburi. Ec-

14. quando βάτος notat *palmam?* Rubi in monte Sinai omnino cre-

creverunt, montique attulerunt nomen. Non determinat Autor, an vulgaris *βάτος*, an *χαμαίβατος*, an *κυνόσβατος*, ſit intelligendus. Sed quidni adhæreamus communi vocis *βάτȣ*
ſignificatui? Unica certe non fuit planta ille *βάτος*, ſed com- Pag. 15.
plexus ruborum deſignatur per vocem. Expoſitio ſymboli 23.
hujus varia ab interpretibus affertur, a Noſtro ſub incudem vocata, haud omiſſa illa, quæ ad Chriſti in utero *Mariæ* formamationem trahi ſolet. *Gratia* Dei *particularis* tum *pag. 89,*
107, tum alibi, paſſim lectori ingeritur. Peculiaris additur ex- 89 ſeq.
poſitio loci difficilioris *Jac. IV, 5*, pluribus probata. Liceat nobis ad dictum *Gal. V, 17*, reſpicere, & *πρὸς* transferre per *adverſus*, tum omnia erunt ſalva: præcipue cum ſpiritus, qui regenitis ineſt, non ſolum carni obluctetur, ſed majorem et-
iam gratiam & fructus fidei animis conciliet. Vox נביא per 92.
oratorem & *legatum* transfertur. Nobis iſta vox videtur eum, qui *excelſus* eſt & *excellit*, denotare, licet *Exod. VII, 1*, videa-
tur *interpres* deſignari. Notamus ad *Luc. XIX, 42*, Autoris 108.
diſtinctionem inter *voluntatem præcepti* & *decreti*. In *Diſ-* 131.
ſertatione IV locutionem, *lavare cum innocentia manus ſuas*, exponit per expurgare malitiam deſiderio & conatu omni, quemadmodum ſordes corporis & manum externe abluimus. Locum *Pſ. CXVIII, 27*, exponit ita: *ligate ſacrificia ferri fu-*
nibus, multitudine tanta ſiſtentes ea, ut pertingant extrema *ad* 138.
angulos & latera altaris. Fideles Vet. Teſtam. obiiſſe in fi- 144 ſeq.
ducia meriti Chriſti, Autor adverſus Remonſtrantes copioſe ediſſerit in *Diſſertatione V*. Pleraque momenta *Pſalmi XLV* de Jeſu Chriſto, ejusque officiis & regno, erudite explanat *pag. 177 ſeq.* Manſuetis cum hæreditas terræ promittitur *Matth. V, 5*, Autor hoc ita interpretatur, ut in hac vita aliquid boni detur manſuetis, univerſale vero & perfectiſſimum implementum ejus
futurum ſit in terra renovanda poſt hujus ſeculi conſummatio- 431.
nem, ſiquidem *terræ æternitas* haud ſemel in Pſalmis prædice- 439 ſeq.
tur. Unde apparet, Autori *παλιγγενεσίαν* mundi ac terræ in die noviſſimo eventuram probari, quam quoque dilucide ponit, ac comprobare contendit. B. *Buddeum* ingenio abuſum pronuntiat, dum ex verbo *Taciti Hiſt. Lib. V Cap. 5*, *imbuuntur*, evidens baptiſmo

Baptiſmo proſelytorum a *Tacito* dari teſtimonium affirmaverit; *Wernsdorſium* contra in Diſputatione *de Baptiſmi Chriſtianorum origine mere divina* §. 14 id bene obſervaſſe. Ori-
Pag. 471. go Baptiſmi illius ſane infeliciter ex illa voce הִבָּהֲרוּ *Gen. XXXV*, 2, derivatur, ſiquidem *Jacobus* id mandatum purificationis ſuæ quoque toti familiæ, uxoribus, & filiis ſuis dedit. Ficulnea argumentatio eſt, quæ eodem fine ex *Exod. XXIV*, 10, deſumitur; nam ablutio corporis & veſtimentorum differunt
473 ſeq. *Lev. XIV*, 9, *XV*, 13. Refellitur proinde rurſus Cel. *Buddei* conjectura infirmiſſima, cujus perfugium ad *Ezech. XVI*, 8, 9,
480. itidem fuiſſe irritum, oſtenditur. *Buddeum* ad 1 *Cor. X*, 1, 2, fruſtra provocaſſe, ſolide demonſtratur, ac cauſa *Wernsdorſii*
496 ſeq. vindicatur. Singularis Autori probatur opinio, Phariſæos inveniſſe illum proſelytorum Baptiſmum, haud a *Joannis* Bapti-
499. ſtæ exemplo ob *Luc. VII*, 30, deſumſiſſe. De Baptiſmo Chriſtianorum ad mentem *Witſii* egregie diſſerit. Diſſertationi-
647 ſeq. bus ſubjectæ apparent Orationes duæ, *prior de admiranda gentis Judæorum ubique diſperſæ in hunc usque diem conſervatione*, in qua Judæorum Deicidium, Chriſto illatum, cladem, ſpem recuperandi templi nullam, & emendationem eorum ſa-
695 ſeq. lutarem ante diem noviſſimum futuram, demonſtrat: *poſterior* funebris in obitum magni Theologi, *Joannis Marckii*, A. 1731 d. 15 Febr. publice dicta. Ex poſteriori illud producemus *Marckianum*, aliis quoque commendandum, quod *pag.* 725 legitur. En verba: *Hoc præterea ipſi* Marckio *valde doluit, vere pacifico Theologo, pacis regnum ita perpetuis & internis quoque motibus concuti: & ægre ſemper tulit diram dominandi in conſcientias hominum libidinem eorum, qui ſcalam ſibi ponere videntur, qua ſoli in cœlum adſcendant, & intolerando faſtu ac temeritate damnabili ad ſe trahere, quod ſolius Dei eſt, nempe infallibiliter diſcernere inter regenitum & irregenitum.*

LEZIONI SOPRA IL LIBRO SACRO DEL Geneſi, &c.

h. e.

LECTIO-

LECTIONES IN LIBRUM SACRUM GEneſios, in duas Partes diſtributæ, quarum prior continet hiſtoriam ab exordio mundi ad finem diluvii, poſterior complectitur finem diluvii, & usque ad finem libri decurrit, Autore JOANNE BAPTISTA SANDI, Doctore S. Theol. & Legum, Patricio Veneto.

Venetiis, typis Antonii Bartoli, 1733, 4.

Alph. 1 plag. 3½.

Formula Dedicationis ad Deum optimum maximum fuit conformata. In *Lectione prima* proœmiali vocantur ſacrarum literarum libri *veritates fidei noſtræ*, *regula divinorum præceptorum*. Lectionum numerus ad XXXIX aſſurgit. *Secunda* repræſentat creationem cœli & terræ. *Tertia* productionem lucis illuſtrat. Sententiæ Patrum & Scholaſticorum utramque faciunt paginam ubique. Ad literaturam Orientalem, & criſin philologicam, haud reſpicitur. Senſus myſticus ſæpius in obſcurioribus hiſtoriæ momentis inveſtigatur. Ita diviſio lucis ac tenebrarum perhibetur fuiſſe ſymbolum ſeparationis angelorum bonorum a malis. Pag. 15. Comparari iſthæc inter ſeſe poſſunt, fatemur. At ideo Spiritum ſanctum intendiſſe per ſeparationem priorem ſimul poſteriorem illam, difficile eſt creditu. Per aquas, quæ ſuper firmamento ſunt, Ven. Autor undas nubibus infertas intelligit. 19. Paſſim inſeruntur ea, quæ ad pietatem moresque hominum pondus afferre poſſunt. Vaticinia, *Gen. XLIX* recenſita, breviter illuſtrantur, & ad Meſſiam, Antichriſtum, Apoſtolos, & ſponſam Chriſti, applicantur. Ubique Autori Ven. placuit concinnitas, perſpicuitas, uſus communior, & dogmatum, vel proxime fluentium, vel myſticorum, protractio. Geſtimus reliquas quoque Commentationes, quarum hæc fuit *prima*, excipere, & ex eis nonnulla proficere.

ELEMENTA JURIS CANONICI ET PROteſtantium Eccleſiaſtici, commoda Auditoribus methodo adornata a JO. GEORG. PERTSCHIO, JCto,

Digitized by Google

Sereniſſ. & Potent. Magn. Britann. Regis & Elect. Brunſuic. Luneb. Conſil. ac Curiæ aulæ Hannover. Aſſeſſ. nec non Reipubl. Hildes. Proto-Syndico. Editio altera, priori auctior & emendatior.

Partes II.

Jenæ, ſumtibus hæredum Meyeri, 1735, 8.
Alph. 2 plag. 12.

Liber hic, perſpicuo terſoque ſtilo, ordine & demonſtrationis rigore, commendabilis, alibi nobis haud indictus abiit. Nec diſſimulamus, eum ſubinde novis doctrinis, praxi Proteſtantium emendandæ accommodatis, ſcatere. *Pars prior* Sereniſſimo Celſiſſimoque Principi ac Domino *Guilielmo Carolo Henrico Friſoni*, Principi Arauſionenſi, regnanti Principi Naſſovio-Ditienſi, inſcripta fuit; *poſterior* Perilluſtribus Conſiliariis Regis Britanniæ in terra Brunſuicenſi intimis, *Hardenbergio, Wriesbergio, Groteo, Hattorſio, Munchhauſio, Alvenslebio, Didenio-Furſtenſteinio*, eſt dicata. Præfatio nova exponit fata libri & Autoris. Dolet idem, ad manus ſuas ſero nimis delatam eſſe Viri doctiſſimi, & egregiis multis eruditionis perpolitæ monumentis dudum clariſſimi, *Joannis Chriſtophori Harenbergii*, amici ſui & fautoris, Collegæ noſtri prorſus diligentiſſimi, *Hiſtoriam Eccleſiæ Gandersheimenſis Diplomaticam*, quippe ex qua, variis obſervationibus egregiis paſſim illuſtrata, ea, quæ ſtudiis ſuis inſervitura fuiſſent, commode decerpere potuiſſet. Reſpondit hic quoque illis objectionibus, quæ in *Actis Eruditorum* Germanicis de notione Eccleſiæ legibusque Eccleſiaſticis fuerunt obmotæ. Noſtrum eſt, ea indicare, quæ recenti opera fuerunt vel emendata, vel plenius expoſita. In hunc cenſum vocanda ſunt Prolegomena, ſeu *Libri I Tituli V*, & doctrina de divortiis. Cetera jam merito omittimus. Diſſertatio proœmialis fuſius de origine & fatis legum Eccleſiaſticarum, variisque collectionibus illarum, diſſerit. *Titulus primus* complectitur notionem de Eccleſia variam, eamque ſecundum dogmatum Pontificiorum, ſecundum ſacrarum literarum ſignificatum, ſecundum

dum pacta, conventa, & leges Germanici Imperii expenſam. *Titulus II* agit de neceſſitate legum eccleſiaſticarum, ſive pro republica venditetur eccleſia, ſive collegium ipſa quoddam conſtituat. *Titulo III* diſſeritur de fine legum eccleſiaſticarum, qui in ſalutis eccleſiæ amplificatione conſiſtit. *Titulo IV* exponitur jus & poteſtas ferendi leges eccleſiaſticas, eaque conſiderata tum ad dogmatum Pontificiorum amuſſim, tum ſecundum principia Proteſtantium, tum ſecundum momenta ſtatus Germaniæ. *Titulus V* dicatus eſt legibus eccleſiaſticis, primo quidem eis, quæ in univerſa catholica eccleſia obtinent, deinde illis, quæ inter Romano-Catholicos in Germania vigent, porro eis quoque, quæ eccleſiis Proteſtantium ſunt propriæ, tandem illis, quæ in Germania inter approbatas religiones pro communibus habentur. Ex definitione & diviſione præmiſſis ſtabiliuntur axiomata, ex axiomatibus porro eliciuntur theoremata, ſeu totidem corollaria. Methodus hæc haud eſt inferior ea, quam vulgo mathematicam vocant. Quodſi in totius Jurisprudentiæ ambitu eadem adhiberetur methodus, ſcientia ipſa redderetur facilior, ſolidior, & ab aſtutis quisquiliis purior. Quomodo ex admiſſa una definitione falſa innumeri proveniant errores, hoc ipſum clariſſimis exemplis hic fuit commmonſtratum, deducendo ex definitione, quam Pontificii de *eccleſia* fovent, conſectaria ſatis multa, Romanenſibus probata. Eccleſiam in ſacro Codice ſumi putat Conſultiſſ. Autor
pro 1) qualibet hominum, etiam ſeditioſorum, concione, *Act.* Pag. 1.
XIX, 32, 39; 2) pro multitudine in Chriſtum credentium, licet 8.
deſit congregatio externa, *Matth. XVI, 18, Eph. V, 23, 32, Rom. XVI, 16*; 3) pro fidelibus quibuscunque, certo in loco commorantibus, licet ipſi externam & ſeparatam congregationem haud conſtituant; 4) pro fidelibus, in una domo degentibus, *Rom. XVI, 5, 1 Cor. XVI, 19, Phil. IV, 22, Col. IV, 15*; 5) pro coitionibus Chriſtianorum, ſacrorum cauſa inſtitutis. Vera & catholica eccleſia Autori eſt illa, quæ ſponſa Chriſti dici
meretur, *2 Cor. XI, 2, Eph. V, 23, 32, Apoc, XXI, 9, 10.* Quare 9.
judicat, veram eccleſiam ex illis conflari, qui veræ religioni ſint addicti: veram autem religionem hoc exigere, ut Deo vi-

Digitized by Google

Pag. 10. vamus in Chriſto Jeſu, *Rom. VI, 11.* Arbitratur porro, omnes eos ab eccleſia eſſe peregrinos, qui nil niſi veritates cognoſcunt, & omnis erroris theoretici ſunt expertes: nullam externam ſocietatem ſibi vindicare poſſe titulum veræ eccleſiæ, niſi maxima membrorum pars tales ſiſtat animas, quæ Deo vivunt in Chriſto Jeſu: ſed talem eccleſiam, ſeu cœtum externum, nuspiam exiſtere: adeoque veram eccleſiam, ſeu multitudinem hominum, quæ Deo vivit in Chriſto Jeſu, inviſibilem, & ſaltem unione inviſibili cordium congregatam eſſe; adeoque nec viſibilem judicem in rebus fidei habere poſſe; nec ulli cœtui viſibili & externo, ſacrorum cauſa congregato, prædicatum veræ eccleſiæ privative competere, nec privilegia, a Chriſto eccleſiæ, ſponſæ ſuæ, data, fore attribuenda: & hinc nullum ex ejusmodi cœtibus gloriari poſſe, ſe conſtituere fundamentum fidei, ſe eſſe erroris expertem: nec dicere, extra ſuam communionem non dari ſalutem, vel ſe tantum tenere veram religionem. Hæc ſunt illa corollaria, quæ ex notione veræ eccleſiæ fuerunt deducta. Liceat nobis, pace Autoris, conformare ſententiam noſtram ſententiæ doctorum Novi Fœderis primorum. Prænotamus, veritatem eſſe vel logicam, vel metaphyſicam. Utroque ſignificatu veritas ſumitur in Codice ſacro. Prænotamus porro, eccleſiam, ejusque membra, Deo aliter patere ac nobis, eamque notionem nobis haud admodum eſſe utilem, quæ ſigna veræ eccleſiæ ſingula, tum viſibilis puræ, tum inviſibilis & metaphyſice veræ, tollit. Quis enim, quæſo, certus eſſe poteſt, ſeſe veræ eccleſiæ eſſe membrum, niſi, fundamentum fidei ſeſe tenere, & erroris dogmatici ſeſe expertem, noſſe poſſit? Errores practici ſunt corollaria errorum dogmaticorum, dum dogmata vera & neceſſaria vel ignoramus, vel ea ad debitum vivæ cognitionis gradum haud eveximus. Fides enim eſt ex verbo annuntiato & percepto ſenſibus, quantum ad adultos attinet. Sacer Codex duo momenta ad veram religionem requirit, primo *viam*, deinde *debitam ambulationem in illa via.* Qui de via non eſt certus, quam inſiſtere oportet, is de ambulatione ipſa erit incertus. Ex eo factum eſt, ut vera religio fuerit dicta דֶּרֶךְ, ὁδός. De via judicare licet ex ſacro Codice; de ambulatione

latione judicare fas eſt ex criteriis, de indole regenitorum & irregenitorum in ſacro Codice patefactis. Quare Apoſtoli tum errores dogmaticos, tum practicos, libere ſolideque nota- Pag. 11.
runt ad exemplum Chriſti. Hoc cum pervideat Ill. Autor, addit, poſſe (imo debet) quamlibet externam congregationem, ac quodlibet illius membrum, eo intendere lacertos, ut puriſſimas doctrinas ab erroribus purgatas teneat, ſimulque remedia convenientiora, ad veram religionem conſequendam, inveniat. Coitiones, Chriſtianorum cauſa ſacrorum factæ, ſunt impuriores vel puriores, una quidem præ altera. Voluntaria illa conſociatio efficit, ut eccleſia, hoc ſenſu accepta, indolem collegii induat. Salutem æternam per adminicula violenta obtineri non poſſe, quis dubitat? Autor porro in eo eſt totus, ut oſtendat, eccleſiam ex ſententia Proteſtantium eſſe ſocietatem æqualem, quæ tamen doctores & auditores compre- 14.
hendat. *Cyprianus* jam Seculo III eccleſiam propemodum 16.
unice in Epiſcopo conſtituit. Pœnæ conventionales, quæ contra immorigeros obtinent, habent unice pro ſcopo quie- 19.
tem externam. Sollicite inculcatur diſtinctio eccleſiam inter viſibilem & inviſibilem, ejusque fundamentum. Notatur & refellitur vulgaris diviſio in *Lehr- Wehr- & Nehr-Stand*, diſtinctio inter *clericos* & *laicos*, quam tamen *Tertullianus* jam adhibuit, & inter *ſpirituales* & *ſeculares*. Habitus religionis Chriſtianæ per Germaniam externus pendet a transactione Paſſavienſi, Pace religioſa, & Weſtphalica. Operæ pretium eſt, hanc doctrinam, ejusque momenta, penes Autorem ipſum per- 43.
pendere. Egregie prorſus largaque manu diſſerit idem de neceſſitate legum eccleſiaſticarum in cœtibus, ad Deum colendum conſpicua ratione conſtitutis. In collegiis ſanciuntur leges ac pœnæ conventionales. In hierarchia Pontificiorum dominatus quoque in cenſum venit, ſimul ac finem legum penes eos eccleſiaſticarum reſpicimus. Finis purior hic merito exponitur. Jurisprudentia eccleſiaſtica ad officium Juriſcon- 52.
ſulti ſpectat. De jure & poteſtate ferendi leges eccleſiaſticas 56 ſeq.
aliter Pontificii, aliter Proteſtantes, ſentiunt. Diſtinctionis momenta explicantur hic, & deducuntur e ſuis fontibus. Diſſeritur porro de poteſtate Principis, ad eccleſias pertingente.

Digitized by Google

Pag. 62 ſeq. Ab ea vero eximit *privata ſacra* & *conventicula* eorum,
64. quos tolerat. Dogmata haud ſeditioſa & Articulos fidei Princeps præſcribere eccleſiis non poteſt. Nec diſſentientes ob dogmata, haud difformia ſtatui civili, pœnis debet afficere.
65. Multo minus bello & armis propagare religionem decet, licet Principi integrum ſit, oppugnatam religionem armis defendere, ac, exigente neceſſitate, per Theologos, aliosque viros idoneos, doctrinam publicam determinare queat, quo ipſo genuinus modus decidendi controverſias theologicas ſtabilitur. Hac poteſtate utitur Princeps ob civile ſuum imperium, quod exercet, nequaquam ut Epiſcopus, niſi voce Epiſcopi late uta-
68 ſeq. ris. Succedunt jura circa ſacra etiam collegialia, & copioſe ſatis enarrantur. Status Germaniæ publicus ſimul eſt reſpi-
73 ſeq. ciendus, ut ſingula recte collocentur & expediantur. De legibus eccleſiaſticis ſubtexuntur & jucunda, & ſolida, & varia, tum ex ſententia Pontificiorum, tum ex genio Proteſtantium. Deſcenditur ad ſymbola eccleſiarum percenſenda. *Formula*
98. *concordiæ* hic vocatur *diſcordiarum mater fæcundiſſima*. Negat Autor, quemquam ad hujus libri ſubſcriptionem eſſe adi-
490 ſeq. gendum. Divortium Cel. Autor definit per matrimonii legitime contracti diſſolutionem, propterea factam, quod *in legem* primitivæ inſtitutionis peccatum fuerit, vel illa inſtitutio, propter impedimentum extrinſecus accedens, amplius obſervari non poſſit. Colligit inde, reſpici in prima illa inſtitutione ad unitatem carnis, ad mutuum adjutorium, & procreationem ſobolis; ratus, illam inſtitutionem in toto ſuo complexu eſſe ſumendam, ac *πορνείαν, Matth V, 32*, nec *ſcortationem*,
491. nec *adulterium*, denotare. Cauſas igitur divortii ſtatuit 1) adulterium, idque vel verum, vel probabiliſſimum; 2) *malitioſam* deſertionem, inſidias vitæ ſtructas, mores intolerabiles, inimicitias irreconciliabiles, inſignem infamiam, perpetuam relegationem, incluſionemque in ergaſtulum, præfractam debiti conjugalis denegationem, procuratam ſterilitatem, abortus procurationem, morbum ſonticum & contagioſum, qui ſpem convaleſcendi excludit. Hæc deducuntur ex primævæ illius inſtitutionis fonte. Atque hæc ſunt ea, quæ editioni hujus libri ſecundæ ſunt propria.

SYSTE-

Digitized by Google

SYSTEME DE MONS. HERMANN BOERHAAVE, &c.

h. e.

SYSTEMA HERMANNI BOERHAAVII de Morbis venereis, Gallice verſum per Dominum DE LA METTRIE, Doct. Med. cum Annotationibus & Diſſertatione Interpretis, de origine, natura, & curatione horum morborum.

Pariſiis, apud Perraultium juniorem, 1736, 12, chart. maj. Plag. 18.

Præfatio ea, quam Illuſtris *Bœrhaavius* Aphrodiſiaco ſuo, ſive Collectioni variorum de lue venerea ſcriptorum, præmiſit, in præſtantiſſimis habita, ſummisque Medicis probata fuit, quod morborum venereorum naturam & indolem optime explicet. Proinde eam interpres Gallice etiam convertit, ne & alii homines, Latinæ linguæ expertes, inprimis Chirurgi, qui multum morbos venereos tractant, ab ea legenda abſterreantur. Quoniam vero hi ne hac quidem ratione itelligerent illam, quippe doctis tantum hominibus ſcriptam, ea, quæ difficiliora videntur, Diſſertatione quadam illuſtranda Interpres putavit, qua in luis venereæ origines inquirit, &, nullum ejus apud veteres exſtare veſtigium, operoſe oſtendit, tum & ſecundum mentem *Bœrhaavii* naturam atque indolem ejus explanat, & de fluore albo mulierum, & gonorrhœa virorum, data opera agit, ac præſtantiſſimas medendi methodos breviter exponit, atque ad ſuas rationes revocat. Tantum de Gallica hac Opuſculi *Bœrhaaviani* interpretatione dicere habemus.

LECTIONES PUBLICÆ von vier SUBJECTIS Diæteticis, &c.

h. e.

LECTIONES PUBLICÆ DE QUATUOR ſubjectis diæteticis, nimirum, de quatuor in noſtris terris

ris uſitatiſſimis, & arte humana perfectis, potuum generibus, Thea, Caffea, Cereviſia, & Vino, prout ea in Collegio Medico-Chirurgico Regio Berolinenſi pertractavit D. CASPAR NEUMANNUS, Reg. Boruſſiæ Conſil. Aulicus, Chimiæ Practicæ Prof. Publ. Collegii Med. ſuperioris, Acad. Nat. Curioſ. Reg. Societat. Berolinenſis, & Londinenſis, atque Inſtituti Bononienſis, Socius, & Pharmacopœus Aulicus primarius.

Lipſiæ, apud Gottl. Benjam. Frommannum, 1735, 4.
Alph. 2 plag. 16.

Cum aliunde jam conſtet, doctiſſimum Autorem res illas naturales, quas pertractandas ſuſcipit, nova ſemper obſervationum experimentorumque luce illuſtrare; noſtrum eſt, eo diligentius accuratiusque argumentum hujus libri evolvere. Diſquirit de quatuor potuum generibus, quibus noſtrates maxime utuntur. Atque in tot etiam *Sectiones* liber ipſe dividitur. Primo loco de potu *Theæ* agit Cl. Autor, & initio quidem in fruticem, ex quo folia Theæ decerpuntur, ex rationibus diſciplinæ Botanicæ inquirit. Quoniam tam diverſæ Theæ ſpecies circumferuntur, videtur perquam probabile, diverſos etiam eſſe frutices, ex quibus naſcantur. Sed bene monet Noſter, fruticem eſſe non niſi unicum, diverſas vero foliorum ſpecies diverſitati regionum, quod ſcilicet in alia provincia ea meliora, quam in alia, imo in eadem provincia hic præſtantiora, illic viliora, creſcere ſoleant, diverſæ ætati foliorum, nunc antiquiorum, nunc recentiorum, diverſæ magnitudini, diverſo collectionis tempori, diverſisque præparandi & exſiccandi modis, deberi. Ex characteribus Botanicis hujus fruticis illum *Kæmpferi* optimum judicat, quo definitur eſſe frutex folio ceraſi, flore roſæ ſylveſtris, fructu unicocco, bicocco, & utplurimum tricocco. Ipſe frutex ad fruticem cynosbati quam proxime accedere videtur. Poſtquam de foliorum, florum, fructuum, externa ſtructura, ſimilibus-

libusque, maximam partem ex *Breynio* & *Kæmpfero*, quæ commemoratu neceſſaria videbantur, fuerunt allata, in locum natalem fruticis inquiritur. Hunc vero invenire licet in provinciis Japonia & China, atque veroſimiliter etiam, ex multorum opinione, in Siam. Japonia præſtantiſſimam Theæ ſpeciem generat in ditione Fiſien; China in ditione Nanking, & præcipue, ſecundum *Martinium*, circa urbem Hœichen, ſecundum *Nienhoffium* vero, circa urbem Luchen. Frutices ex fructu educuntur, quorum cultura hic copioſius deſcripta exſtat. In Europa difficillime, vel plane non, ſuccedere Theæ culturam, obſervatum fuit. Folia hæc manibus, ſed iis chirotheca ſubtiliori tectis, decerpi ſolent, unde non magna eorum copia per diem colligitur. Fit autem id vario tempore. Primum, exeunte Februario, & ineunte Martio, folia tenella recentia carpi conſueverunt. Hæcque Thea vocatur Imperatoria, *Kayſer-Thee*, utpote ſolius Imperatoris uſui deſtinata. Hæc ad exteros non defertur, nec in mercium cenſum venit, nullo pretio, quantumquantum offeratur, venalis. Improprie etiam dicitur *Bluhmen-Thee*, quod folia hæc tanquam flos eſſe videantur reliquorum foliorum. Poſthæc, exeunte Martio, & ineunte Aprili, largiſſima eorum velut meſſis eſt. Folia in quatuor claſſes commode diſtribuuntur, ex quibus ſuprema, utpote noviſſima, & tenerrima, principatum tenent; dehinc, quæ infra hæc proximo prodierunt, atque ita porro. Tertia collectio fit exeunte Aprili, & ineunte Majo, cum vario itidem delectu. Ex hac maxima pars ad nos defertur. Quarta fit Majo inclinante, ſine ſelectu, nec tanta cum circumſpectione, & plebis in uſum maxime cedit. Illa Theæ ſpecies, quæ inter noſtrates pro Imperatoria venditur, ex altera collectione eſt, & quidem foliorum infimorum. *Cunninghamus* quoque & *Kæmpferus* errant, quando contendunt, *Thée Bouy* eſſe ex prima collectione, cum tamen quælibet hujus collectionis folia maximo pretio in uſum tantum Imperatoris & magnatum emantur, nec quidquam eorum ad exteros deferatur. Quando ita fuerunt collecta folia, exſiccantur & præparantur, idque fit ma-

 jori

jori cura & ſollicitudine a Chinenſibus, qui infuſa Theæ noſtro more parant, quam Japonenſibus, qui non ſimpliciter aquam, ſed folia, in pulverem redacta, ſimul, bibere ſolent, adeoque horum integritatem & pulchritudinem parum curant. Sinenſes ipſo ſtatim collectionis die ſiccant. Homines, qui huic rei operantur, tres dies abſtinent ab alimentis, quæ fœtidos ructus excitare valent. Poſtquam in vaſis idoneis ad conclave, huic rei accommodatum, fuerunt delata, in tabula ferrea, fornaci impoſita, ſub leni calore ita manuum ope agitantur & convolvuntur folia, ut humorem crudiorem exſudent, & leniter in ſe coeant. Ubi igitur ab humore fere omni liberata & probe calefacta, criſpaturam minantur, in texturam quandam, ex juncis teneris & ſolidis, arctiſſime inter ſe conjunctis, conſtructam, conjecta, magis magisque eodem manus motu convolvuntur, & contorquentur, ſimulque confeſtim flabrorum ope refrigerantur, ut ita criſpaturam admittant quidem, nec tamen quidquam coloris & virium perdant. Sub hac exſiccatione, quæ propterea eſt neceſſaria, quod alias folia hæc humiditatem facile recipiant, nihil aliud exhalat, quam partes quædam Narcoticæ. Foliis criſpatura inducitur, ut integra ea conſerventur, atque commodius etiam ad exteros ferantur. Aliquando exſiccatio & criſpatura ſemel iterumque, imo ſæpius, repetuntur. Subito autem refrigerantur, quoniam alias facile recedunt, atque iterum explicantur. Vapor aquæ ferventis, quem nonnulli ſimul commemorant, tum fortaſſe adhibetur, quando folia, per moram ſicciora reddita, in tabula ferrea in pulverem & fragmentum deſilire conantur, ut aliquantum emolliri queant. Nec vitrioli quidquam admiſcetur, coloris viridis cauſa, ut Illuſtris *Bœrhaave* putat, quoniam color ita potius niger proditurus eſſet. Quod ad *Thée Bouy* attinet, de eo parum, aut nihil, in omnibus libris, magna copia evolutis, reperit Autor, contenditque ipſe, eſſe Theam arte correctam, folia ſcilicet Theæ viridis, pro diverſitate cauſarum, ſuperius commemoratarum, nunc meliora, nunc deteriora, ſed externam formam, colorem, odorem, ſaporem, non eſſe ipſi naturalia, ſed arte addita. Ex ipſius nimirum ſententia

folia

Digitized by Google

folia non criſpantur, ſed exſiccantur tantum in ferrea ſartagine, ſub leni agitatione, unde forſan eorum color nigricans habet originem. Præter hæc iisdem admiſcetur tinctura quædam, quæ haud dubie colorem infuſi brunnum efficit, & denique odor roſaceus, forſan per aquam roſarum, vel alio quocunque modo, conciliatur. Unde & fortaſſis ejus præparationem ex foliis Theæ viridis fore facilem opinatur, ſi quis per experimenta eam tentaret, ſicut adulterationem frequenter fieri conſtat. Utrum Thea Japonenſis Chinenſi præſtet, diverſa eſt Autorum ſententia. Japonenſem nos quidem haud nanciſcimur. Delectum Theæ adſcribendum eſſe diverſo tempori collectionis, & diverſitati foliorum, ſuperius jam indicatum eſt. Verum denuo in ſingulis ſpeciebus, jam perfecte elaboratis, integra folia a læſis, itemque pediculos ex magna parte, Chinenſes ſeparant. Unde ex ſingulis claſſibus ſemper novæ prodeunt. Ad noſtras terras perveniunt præcipue ex Thea viridi *Thée Bingh*, ſeu Thea Imperialis, *Thée Hyſon*, ſeu Thea viridis optima, *Thée ſinglo*, ſeu Thea viridis folio minori, quæ viliſſima eſt; ex Thea fuſca ſeu *Thée Bouy*, quinque ſpecies habentur, *Thée Pecco*, *Thée Bohea*, *Thée Congo*, *Thée Cambo*, *Thée Chaucon*. Sub his ipſis vero nominibus multæ committi ſolent mercatorum fraudes. Ut mari ab aere humido præſervetur, metallo ex plumbo & ſtanno conflato, quod *Calin* vocant, vaſa parant, vel obducunt. Uſu Theæ inter noſtrates cognito, de variis ejus ſuccedaneis pariter cogitarunt docti viri. Nonnulli, Theam Chinenſem hanc illamve plantam eſſe, ſibi perſuaſerunt, ut *Simon Pauli* eam pro Chamæleagro Dodonæi, ſive Myrto Brabantica, P. *Labat* pro Capraria, ſive, ut vocat, Thea ſylveſtri Americana, Comes *Nadaſdy* pro ſpecie quadam Atriplicis, quæ forſan Botrys Mexicana fuit, habuerunt. Verum horum omnium opiniones pridem jacent, multis argumentis proſtratæ. Proinde alii ſuccedaneis ſuis tantum loco Theæ utuntur. Americani celebrant *Ambroſiam*, Peruviani *Thée de Lima*, & *Thée de Paragnay*, Carolini *Yaupon*, Miſiſippienſes *Caſſinam*, Canadenſes *Adiantum*, Javanenſes *Acmellam*, Turcæ plantam

Arabicam *Serquis*, Jeſuitæ *Thée Romanum*, Pariſienſes *Apalachinen*, quæ vero non alia eſt, quam ſuperius dicta Caſſina Americana, Germani *Veronicam*, *Vitem Idæam*, *Theam roſeam*, *Teucrium verum*, & ſexcenta alia. His pertractatis, Cl. Autor diſputat de variis potuum calidorum generibus, ante ducentos annos inter noſtrates nondum uſitatis, de præparatione potus Theæ vel per infuſionem, vel per coctionem, ſine vel cum additione, de aquis congruis, ex quibus pura, limpida, fontana, reliquis præfertur, & non congruis, quas emendandi ratio commonſtratur. Poſthæc de vario inſtrumentorum apparatu, ad parandum bibendumque hoc infuſum accommodato, variis, quæ admiſcentur, additamentis, ut ſacchari variis generibus, lacte, &c. pane item, qui ſimul comeditur, fumo tabaci conjuncto, variis in bibendo cerimoniis, agitur. Uſus Theæ, ut a multis nimium extollitur, ita ab aliis iniquius contemnitur. Præcipuæ ejus vires in eo conſiſtunt, quod diluat, reſolvat, abſtergat, diaphoreſin, diureſin, & excretiones alias, juvet, adeoque ſanis corporibus fere omnibus, ſed pluribus etiam morboſis, congruit, ſaltem non parit damnum, ſi moderate uſurpetur. Ut vero uſus ejus neceſſariis cautionibus circumſcribitur a Noſtro, ita & morbi, qui exinde provenire poſſunt, recenſentur. Potiſſima virtus & maximum quoque damnum debetur aquæ calidæ, pauca ipſi Theæ, quæ colorem ſaporemque aquæ, eundemque non medicamentoſum & nauſeoſum, ſed aromaticum, & hominibus ad unum fere omnibus acceptum gratumque, conciliat, aliquantum adſtringit, atque hac ſua virtute puræ & ſimplicis aquæ damna quodammodo ſublevat, adeoque merito omnibus aliarum aquarum infuſis, ſi a ſanis tantum potus cauſa, vel ab ægrotis, alia faſtidientibus, diluendi *gratia*, adhibetur, antecellit. Inſunt vero Theæ foliis maximam partem particulæ mucilaginoſæ & gummoſæ, pauciores reſinoſæ, pauciſſimum forte oleum eſſentiale, atque etiam expreſſum, utrumque tamen vix percipiendum, nunquam ſeparandum. Sal vero, de quo Autores tantum non omnes fabulantur, cujuscunque generis, ſeparari & demonſtrari nequit. Haud dubie pauciſſimæ moleculæ ſalinæ reliquis interſperſæ jacent. Equidem

Digitized by Google

dem infuſum Theæ præcipitare ſolet ſolutionem ſulphuris cum calce viva. Sed idem quoque efficit in ſolutione mercurii ſublimati, ut color ſubalbus prodeat. Colorem Syrupi violarum non mutat infuſum hoc, nec a ſale alcalino vel acido præceps agitur, color tamen aliquantum mutatur. Quamvis vero etiam tinctura ſeu eſſentia Theæ, item extractum ſpirituoſum, parari queat, primas tamen tenet partes infuſum, & proximas extractum aquoſum, forſan ad explorandas vires medicas Theæ accommodatum.

Progredimur cum Cl. Autore ad *Caffeam*, cujus potus, diu jam in Aſia atque Africa uſitatus, tandem etiam circa annum 1650 Europæ innotuit, cum mercatores quidam Aſiatici & Africani negotiorum cauſa Maſſiliam peterent, magnamque copiam fabarum, quarum decoctum adeo amabant, ſed ſuos tantum in uſus, afferrent. Quibus viſis, haud dubie nonnulli Gallorum aliquam copiam, qua illi ſub diſceſſu ſuo commode carere poterant, ſibi expetierunt, unde prima potus notitia manavit, donec ex ipſa Aſia adveheretur, & duo mercatores, ex ea regione in Europam venientes, Pariſiis & Londini primas tabernas aperirent. Ab eo tempore potus hic & Europæis fuit magis magisque familiaris. Nuclei, ex quibus paratur, naſcuntur in arbore, quæ vulgo *Bon*, ſecundum naturalem vero characterem ſuum omnium optime cum *Juſſiæo* vocatur Jaſminum Arabicum Lauri folio, cujus ſemen apud nos *Caffée* dicitur. Tollitur interdum hæc arbor ad 40 pedes, magnaque opera coli ſolet in ipſa etiam Arabia felici, in qua alias largo proventu ſuccreſcit. Amat terram humidam, umbroſam præcipue. Partes, ex quibus conſtat, quælibet a Noſtro diligenter accurateque deſcribuntur. Delapſo flore, initium fructus ſtatim adeſt, primum brideſcentis, deinde clare rubentis, ſub maturitate obſcure rubri, fere ut fit in ceraſis, ſicut etiam magnitudinem habet ceraſi oblongi. Sub hujus coloris pericarpio ſuccoſo latet materia humida, viſcoſa, saporis dulcis, nauſeoſi. In medio denique eſt nucleus, primum viridis & pellucidus, qui ſenſim induratur, & pelluciditatem amittit, atque ex duplici hæmiſphærio, intus crena quadam ſeu

 fiſſu-

ſiſſura diſtincto, conſtat. Fructus maturi quater quotannis, vere, æſtate, & autumno, colligi ſolent, agitando excutiuntur, exſiccantur provide, cylindris ligneis, vel etiam ſaxeis, convolvuntur, ut hæmiſphæria a ſe invicem ſecedant, & pelliculæ avellantur, nucleique deinceps, a paleis ſeparati, magis exſiccentur. Arbores has primus in Europam deportandas curavit *Nicolaus Witſen*, Conſul Amſtelodamenſis; nunc ubique fere in hortis amplioribus educantur. Fabulam enim ſapit, ſabas ex invidia & lucri cauſa ab Aſiaticis hominibus aqua fervente ita aduri, ne germinent apud exteros. Ex nucleo enim recenti & integro debita cura utique propagatur in noſtris quoque terris hæc arbor. Ut vero *Caffée* rectius vocatur, quam *Coffée*; ita, proprie loquendo, minus recte arbori & fructui nomen *Caffée* tribuitur, cum potus tantum ab Arabibus ita appelletur, & minime omnium fabæ *Caffée* dicendæ eſſent. Ad fabas enim plane non pertinent. Quodlibet horum nucleorum hæmiſphærium ex duabus æqualibus partibus conſtat. Tria vero eorum genera apud nos venduntur, Levanticum, quod intenſe flavum eſt, & minimum, Javanicum, quod pallide flavum eſt, & maximum, & Surinamicum, quod viride eſt, & mediæ magnitudinis. Omnis tamen nucleus initio eſt magis viridis, & fortaſſe Surinamicus propterea viret, quoniam breviſſima via recens ad nos defertur, niſi forte propter cœli mutationem in Americanis terris degeneret. Optimos eos nucleos Cl. Autor eſſe exiſtimat, qui 1) a pellicula ſunt liberati, 2) ab omnibus inquinamentis repurgati, 3) virideſcentes, &, quantum fieri poteſt, recentes, 4) probe tamen exſiccati, 5) mediocriter graves, & aquæ non innatantes, 6) non vappidi, & ab aqua marina corrupti, iterumque exſiccati, 7) a toſſura fortem & gratum odorem ſpirantes. In nucleis crudis inſunt partes terreſtres copioſæ ad $\frac{1}{8}$; partes gummoſo-mucilaginoſæ dulces & gratæ ad $\frac{5}{16}$, adeoque ad dimidium; partes reſinoſæ ſaporis penetrantiſſimi, ſed adverſi & nauſeoſi, ad $\frac{3}{16}$, & quod excedit; prætereaque partes aquoſæ & ſalinæ naturæ acidæ, quo tamen non niſi ex deſtillatione reſolutoria & in-

Digitized by Google

incineratione producuntur. Nullum vero ineſt oleum eſſentiale. Fortiori autem deſtillatione $\frac{1}{3}$ olei empyrevmatici extorquetur. Quamvis vero decoctum nucleorum crudorum Cel. *Andry* uſitatæ toſtorum decoctioni anteferat, quo ipſo riſum Cl. Autori movet; hæc tamen uſitatior multis rationibus magis laudari meretur, hacque occaſione multa monet Noſter de toſtione, comminutione in pulverem, præparatione, variis bibendi modis, & additamentis *Caffea.* Saporem ejus maxime referunt amygdalæ toſtæ, vel ſecale toſtum, quod non incommode dixeris *Caffée à la Päiſane*, ſicut in Arabia conficitur ex putaminibus nucleorum toſtis *Caffée a la Sultane*, quoniam in Imperatoris, aliorumque principum virorum, uſum tantum parari ſolet. Ut de partibus elementaribus & conſtitutivis potus *Caffée* conſtet, non crudos nucleos ſub examen vocare oportet, nec illas partes attendere convenit, quas deſtillatio fortiſſima prolicit, dum ita nuclei plane exuruntur, & in carbones convertuntur, per qualem deſtillationem, igne aperto factam, Noſter ex ℔j nucleorum, ℥v ʒvß deſtillati phlegmatici, ℥vj ʒß olei fœtidi admodum ſpiſſi, ℥v ʒij capitis mortui, atque ex hoc ʒiij ſalis fixi, accepit. Nuclei enim crudi, aut in carbones converſi, noſtros in uſus non veniunt. Sed in id inquirendum eſt, quænam elementa nuclei toſti & potui accommodati contineant, & quæ per aquam cum iisdem decoctam extrahantur. Hunc in modum ex libra una nucleorum toſtorum prodeunt ℥vij ʒij & ℈ij extracti aquoſi primi, & ʒv cum ℈j extracti ſpirituoſi ſecundi; inverſo autem extractionis ordine ℥iv & ℈iv extracti ſpirituoſi primi, & ℥iv extracti aquoſi ſecundi. Utrobique remanſerunt ℥viij, ſeu dimidia pars materiæ, nullo menſtruo extrahendæ. Quando torrentur nuclei, quarta pars exhalat, ſpiritus ſcilicet phlegmaticus empyrevmaticus, ex partibus aqueis, pauco ſale acido, & oleo empyrevmatico tenerrimo, penetrantiſſimo, & ſuaviter olente, conſtans. Toſti igitur nuclei in ſinu ſuo complectuntur maximam partem terreſtres indiſſolubiles, dein gummoſas moleculas, porro reſinoſas, paucasque empyrevmaticas, oleoſas & odoriferas. In aquam ex his recipitur præ-

præcipue extractum gummoſum, & oleum empyrevmaticum primum & ſubtilius, quod ſub toſtura ſeparatum remanſit in nucleis, eosque penetravit penitus & infecit, neque tanquam peculiaris materia ſegregari, & oculis objici poteſt, temporisque diuturnitate demum ex nucleis evaneſcit. Quæſivit Cl. Autor variis experimentis, an forſan oleum illud ſubtilius odoramenti cauſa captare liceret. Nondum tamen prorſus ex animi ſententia labor ſucceſſit. De ſalubritate hujus potus in utramque partem diſputatur. Optime autem inter uſum & abuſum diſtinguere convenit. Potus *Caffée* non admodum ſaturatus, & clarus, partibus tantum gummoſis, oleo ſubtiliſſimo empyrevmatico tantum per exhalationem velut infectis, coctus, mediocriter, modeſte, juſtoque tempore, uſurpatus, nemini ſano homini forſan erit noxius. At vero ſpiſſus, pulverulentus, partibus reſinoſis, calidis, terreſtribus, & indiſſolubilibus, plenus, item abundantius vel crebrius hauſtus, utique varia damnorum genera excitare valet, obſtructionem ſcilicet, anxietates, cordis palpitationes, tremores, & ſimilia, idque eo magis in hominibus otioſis, & in aere frigido.

Quoniam præparatio *Cerevifiæ* Chemiæ debetur, ejus vero uſus arctiorem cum ſanitate morbisque habet nexum, operæ pretium ſe facturum eſſe putavit Cl. Autor, ſi & hanc ſub examen accuratius vocaret. Cereviſia, quæ ex Noſtri computatione jam ante 2454 annos in uſu fuit, in variis Germaniæ oppidis variis atque ſingularibus nominibus inſignitur. Olim appellabatur vinum hordeaceum, item vinum populorum Septentrionalium. Quæ denominatio ob colorem vino ſimilem, uſum, fermentationem, vim inebriandi, excuſationem videtur admittere. Quando autem & hodie a quibusdam, ſigillatim *Bœrhaavio*, quælibet fermentata ſpirituoſa vini nomine appellantur, id vitio ipſis vertere non dubitat Autor. Succi fructuum dulces liquidi, vel ſucci dulces inſpiſſati, iterum aqua diluti, & in fermentationem acti, vini nomine non indigna eſſe videntur. Quæ vero e corporibus farinaceis, in fermentationem actis, parantur, ſive decocta, ſive infuſa, vegetabilium fermentationi ſubjecta, quorſum cereviſiæ pertinent, ob diverſum

Digitized by Google

ſum ſaporem, mixtionem, inprimis majorem partium mucilaginoſarum abundantiam, aliasque cauſas, vini nomen non admittunt, ſed rectius antiquo nomine in poſterum quoque ornantur. Cum vero, innumera fere cereviſiarum genera, & in alio atque alio loco alia atque alia eſſe, ſatis pateat, in cauſas ejus rei inquirere omnino refert. Inter has vero numerantur 1) diverſitas provinciarum & cœli: unde in calidis regionibus non æque felici ſucceſſu coquendis cereviſiis opera navatur, ac in frigidis & temperatis; 2) ſitus diverſus civitatis & pagi, imo & ipſius ædificii, excoquendæ cereviſiæ deſtinati: unde in uno eodemque loco diverſa ſæpius eſt cereviſia, licet reliqua omnia accuratiſſime conveniant, quod exemplo Croſnenſis civitatis probatur; 3) temporum anni & tempeſtatum diverſitas: hinc ver præſtantiores fert cereviſias, cujus rei rationes redduntur; 4) diverſitas materiarum, ex quibus fit cereviſia, cum ratione ſuæ indolis, tum ratione proportionis. Quod primum ad polentam attinet, ſive ea ordinarie hordeo, vel tritico, ſive extra ordinem ſeminibus cerealibus & leguminibus, conſtet, nunc ea eſt nimis vetuſta, atque ideo omni vi vegetante & germinante velut exuta, nunc, quod deterius habetur, ex parte vetuſta, ex parte recens. Quo fit, ut germinatio diverſo tempore ſuccedat, atque hinc alterutrius vis pereat. Unde poſthæc cereviſia vel futilis & facile aceſcens, vel magis mucoſa & turbida, evadit. Neque minus & frumentum pro conditione agrorum, fimi, aliarumque rerum, admodum diſcrepat. Lupulus etiam, qui ad corrigendum ſaporem dulcem nauſeoſum, ad præcavendum acorem, ad corrigendam vim refrigerantem, & flatus generantem, ad ſpirituoſam reddendam cereviſiam, admiſcetur, ratione bonitatis longe diſtat. Idem etiam valet de aquis magis minusque puris, ubi & puriſſimis, alias exterius tectis, inſunt partes minerales ſalinæ varii generis, terreſtres itidem varii generis, bituminoſæ, ſulphureæ, arſenicales, ſimilesque metallicæ. In aquis vero apertis præter has infinitæ aliæ impuritates accedunt. Quanquam & illud certum eſt, ex aquis impuris ſæpius optimas provenire cereviſias, cum e contrario aqua puriſſima deſtillata ex aqua marina ſitim ſedare non poſſit. Quando cadaver putreſcens in aqua jacet abſconditum, ſub coctione &

fermentatione cereviſia putridum ſaporem nanciſcitur. Feces etiam, ſive hoc nomine flos cereviſiæ, ſive feces proprie dictæ, intelligantur, pro diverſitate cereviſiæ diverſam quoque & ſpecificam habent indolem, ut vel recentes, vel vetuſtæ, acidæ, vel amaræ, atque ita porro, exiſtant. Multa præterea alia ſubinde addi ſolent cereviſiæ, nunc bono, nunc malo animo, nunc nec bono, nec malo, ut neque inebriante & narcotica vi inquinetur cereviſia, nec tamen etiam emendetur. Ut vero ratione indolis, ita omnino etiam ratione proportionis omnium materiarum inter ſe, maxima eſt diverſitas. 6) Denique in cenſum cauſarum venit diverſitas inſignis & infinite propemodum varia methodorum, quæ in conficienda polenta, coquenda, fermentanda, & tractanda cereviſia, adhiberi ſolent. Ut vero cereviſiæ in albas & brunnas dividuntur; ita albas improprie ita vocari notat Autor, cum potius flavæ eſſent dicendæ. Totus ille actus conficiendæ cereviſiæ duplici potiſſimum abſolvitur fermentatione, altera vegetativa & incompleta, altera cereviſiaria. Singula igitur earum rerum momenta inde a maceratione accurate percenſet Noſter. Antequam vero de modo fermentandi agat, digreſſionem inſtituit de fermentatione, ejusque rationes ſtrictim explicat, & omnem fermentationem totius terrarum orbis dividit in ſpirituoſam, cujus tres ſpecies conſtituuntur, nimirum ſpirituoſa, κατ' ἐξοχὴν ita vocata, vinoſa, & cereviſiaria, in acetoſam, ſeu aceſcentiam, quæ tanquam ſpecies ſub ſe complectitur acetoſam κατ' ἐξοχὴν, ſeu acetificationem & fermentationem panariam, ſeu piſtoriam, & in putredinoſam, quorſum pertinent putrefactio perfecta, putrilago, ſitus, & vappeſcentia. Poſthæc oſtenditur, maximum utique in cereviſia momentum in fermentatione recta eſſe poſitum, cujus cautelæ & enchireſes copioſe enarrantur. Ratio vero omnis fermentationis, ejusque effectus in cereviſia, in eo continetur: Decoctum hordei lupulatum conſtat partibus oleoſis, reſinoſo-mucilaginoſo-ſalinis, aqueis & terreſtribus, nullis tamen inflammabilibus ſpirituoſis. Quando itaque fermentum decocto huic additur, motus in illo excitat fermentatorios, partes ſalinas agitat, ut hæ partes oleoſas ſubtilio-

res

Digitized by Google

res aggrediantur, fermentationeque omnes particulæ idoneæ ſubigantur; hinc prior mixtura diſcutitur, partes oleoſæ tenuiores mediante ſale in aqua oriuntur, ut deinde ſpiritus inflammabilis prodeat. Præter hunc vero ſpiritum ſub fermentationis actu ſpiritus alius æthereus cooritur, non ſeparabilis, nec in forma corporea demonſtrandus, quem *Helmontius Gas ſylveſtre* nominat, qui inſtar aeris vaporoſi & ſumme penetrantis eſt, conclavibus clauſis aerem athmoſphæricum inficit, candelam ardentem exſtinguit, animalia viva ſuffocat, ad arſenicalem indolem accedit, in vaſis vero & locis apertis utplurimum exhalat. Aliquid tamen ejus in cereviſia remanet, quod vi narcotica caput petit & inebriat. Quantum autem ſpiritus inflammabilis, imo & *Gas ſylveſtris*, cereviſiæ ineſt, tantam etiam cereviſia retinet vim & inclinationem fermenteſcendi, quacunque nova occaſione facile reſuſcitandam, maxime ſi antea data opera in primo ſuo motu impedita fuit fermentatio, ut in cereviſiæ illo genere, quod *Bouttel-Bier* vocatur, videre licet. Quando partes ſpirituoſæ exhalarunt penitus, ex partibus mucoſis vappeſcentia oritur. Ut vero attributa cereviſiarum varia eſſe ſolent, nunc bona, nunc mala; ita potiſſima momenta differentiæ inter cereviſiam albam & brunnam recenſentur. In qualibet tamen cereviſia partes conſtituentes eſſe obſervantur aqua, quæ maximam partem conficit, aliquid ſpiritus inflammabilis, partes reſinoſæ, & partes mucilaginoſæ, quæ manifeſto demonſtrari queunt. Sub his vero ſimul abſconduntur particulæ acido-ſalinæ atque oleoſæ. Deinde inſtituitur examen omnium, quotquot Berolini reperiri potuerunt, cereviſiarum, quantum ſcilicet unicuique harum partium inſit. Denique & tribus verbis de uſu cereviſiæ in re pharmacevtica, cereviſiis medicatis, & ſalubritate cereviſiarum, agit.

Atque ita tria potuum genera delibavimus, ut *Vinum* adhuc deguſtandum reſtet. Cujus qui inventor & primus cultor inter homines fuerit, non compertum habemus. Vitis quidem jam fuit ante diluvium; propterea tamen non conſequitur, fuiſſe etiam ex uvis præparatum vinum, quod inde a *Noæ* temporibus factum eſſe conſtat. Miſſis his, ad vitem, variasque

ejus partes deſcribendas, progreditur Noſter, de auri in vite vegetabilis veritate admodum dubitat, nonnullas obſervationes œconomicas de viticultura adſpergit, & inprimis, quorum vegetabilium viciniam vitis non ferat, commonſtrat. Ad uvas ſigillatim converſus, varias earum ſpecies, maturationem & collectionem, eaque occaſione paſſulas, lachrymas, folia, & flores vitis, cineres & ſal ſarmentorum, ſemen, agreſtam, & omphacium, perſtringit breviter, mox ad muſtum procedit, ejusque diverſitatem ratione bonitatis expendit. Neutiquam tamen muſtum eſt vinum, nec ſua ſponte in vinum eſſet abiturum, niſi ars humana ſubveniret. Poſtquam alios, quibus muſtum etiam deſtinatur, uſus, vinacea, loram, ſapam vini, differentiam inter vinum & muſtum, attigit, triplex artificium exponit, ſecundum quod vinum paratur. Ad primam claſſem pertinent vina, quibus cum fermentatione non bene convenit, &, ſi eandem ſubeant, præcipiti, nec arte humana cohibendo, modo, ex uno gradu fermentationis in alium, i. e. vappeſcentiam, delabuntur, & omnem vini mixtionem atque indolem amittunt. Huc referri merentur vina Italiæ pleraque, quæ vina cocta appellantur, quoniam non per fermentationem, ſed alia ratione, coctione ſcilicet, parari ſolent. Hac enim partes aqueæ abiguntur, & reliquæ inſpiſſantur, &, cum hoc modo omnis mixtio mutetur, fermentationi vel penitus, vel vehementius tamen, reſiſtunt, adeoque ad tempus conſervantur. Maxime ea inſalubria eſſe ſolent. Ad alteram claſſem pertinent vina dulcia aliquantum, ſed non penitus fermentationem perpeſſa. Duo eorum conſtituuntur genera, vina admodum dulcia ſpiſſiora, quæ ex muſto cocto & fermentato commiſcentur, e. g. vinum Malvaticum, Hiſpanicum, Hungaricum, item illud, quod *Sec* vocatur. Non æque ac priora corpori noxas afferunt, nec tamen potui perpetuo inſerviunt, præcipue temperamentis fervidioribus. Partes enim fermentatæ non fermentatas facile in motum fermentatorium abripiunt, æſtumque ſanguinis concitant, ut ideo hujus generis vina inter calidiſſima numerentur. Alterum genus eſt vinorum dulcium tenuiorum, & magis dilutorum, quæ per coctionem qui-

Digitized by Google

quidem non parantur, nec tamen penitus & plenarie fermentantur, hinc ſaporem muſtaceum retinent, nec diu perdurant, ut Tyrolienſia, Sabaudica, & multa Italica. Hæc ante commemorata vina ſalubritate adhuc ſuperant, majori etiam copia potari ſine detrimento ſanitatis poſſunt. Sub tertia claſſe comprehenduntur vina, quæ prorſus ordinario modo rite fermentationem ſubierunt, &, exutis recrementis impuris, omnium optime corpori humano conveniunt. Vocatur hæc fermentatio vinoſa, qua generatur ſpiritus inflammabilis, ſeu vinoſus, exturbantur feces ac tartarus, & *Gas Helmontii* exhalat. Quibus ejectis, reſtant in vino, præter partes inflammabiles, etiam aliæ quædam partes, quamvis admodum teneræ, ſalinæ, mucilaginoſæ, terreſtres, & oleoſæ, multæque aqueæ, convenienter inter ſe mixtæ. Et, quamvis fermentatio ea non amplius a Chimicis tractetur, ſed ad alios homines, qui tanquam artem ſingularem eam exercent, devenerit, mere tamen chimica eſt operatio, de cujus regulis & cautelis quibusdam, itemque *Gas Helmontiano*, ſive vapore ſuffocativo, brevibus agitur. Novum fermentandi conatum, qui tempore florentis vitis oritur, ſympathiæ cuidam, ipſisque florum exhalationibus, adſcribendum eſſe, docte dubitat Cl. Autor, cum potius is ipſe calori ſolis & aeri fervidiori tribuendus videatur, quoniam vinum, in cellis profundis & frigidis poſitum, nullum plane hujus fermentationis indicium prodere ſolet, atque omnes de avertenda hac fermentatione cautiones illud etiam teſtantur. Exſtat hoc loco experimentum quoddam, ab Autore commendatum, quo in hujus rei veritatem vel falſitatem liquido inquirere licet. Paucis de tartaro & fecibus vinoſis interſperſis, ratio vinorum conſervandorum exponitur, intuitu cellarum, vaſorum obturaculi, quo os dolii obſtruitur, abſtractionum & repletionum, ſulphurationum, rerumque noxiarum arcendarum, quorſum tempeſtates variæ, atque exhalationes volatiles & fœtentes, referuntur. Sulphurationem, docet, ſi modice, accurate, & rite, inſtituatur, non adeo eſſe noxiam, ſed varios uſus præſtare, quoniam partes terreas crudiores magis præcipites agat, fermentationis nimium impetum inhibeat, neque tamen initio ean-

 dem

dem ſiſtat, & denique, quod vapor ille ſulphureus, ſi partes crudiores non inveniat, adeoque fruſtra vino admiſceatur, per foramen facile exhalet. Quamvis autem varii tradantur ſulphurationis modi, fuſius hic recenſiti, ſolum tamen ſulphur optime ſufficit. Ad vinum tandem ipſum, rite jam perfectum, delatus Autor, varia ejus nomina enumerat, ipſumque breviter definit, eſſe ſuccum uvarum vinoſe fermentatum. Vinum graminis, raparum, &c. ſecundum *Bœrhaavii* mentem eo nomine appellandum eſſe, iterum dubitat, variisque aliorum definitionibus, ratione mixtionis ſeu partium conſtitutivarum vini, commemoratis, vinum ait eſſe mixtum, ſalino-oleoſo-ſpirituoſo-terreo-aquoſum, quas partes declarat uberius, illuſtrat, & probat. Mixtio harum partium propter varias cauſas, varia ratione & quantitatis & qualitatis, vinum nunc melioris, nunc deterioris, notæ efficit. Unde hic quædam vini optimi ſigna, cum ante, tum poſt, potum obſervanda, percenſentur, vinumque, ſi de ætate quæratur, mediæ ætatis potui quotidiano eſſe accommodatiſſimum, traditur. In varias quoque ſpecies abeunt vina ratione ſaporis, coloris, conſiſtentiæ, virtutis, fermentationis, & diverſorum, quæ in tractandis iis adhiberi ſolent, artificiorum. Poſtquam nonnulla de his ſingulis monita fuerunt adjecta, vina Europæis notiſſima, & apud Germanos præcipue uſitata, longo ordine enumerantur, vinoque Hungarico principatus præ omnibus tribuitur. Vinum *ſec* vel *ſecco* ex Autoris obſervatione non a ſaccis, quibus affertur, nomen habet, ſed ab uvis admodum corrugatis & ſiccis. Quoniam vero variis artibus tractantur vina, hic quoque earum bonæ, ſeu innocuæ, malæve, percenſentur. Artes bonæ vini quasdam qualitates emendant, e. g. acorem adimunt, claritatem reſtituunt, atque ita porro, (quem in finem varia experimenta quoque exponuntur,) neque tamen vinum ita emendatum pro alia vini ſpecie aut cariori pretio venire ſinunt. Malæ autem vinum ita emendatum vel pro alia vini ſpecie & cariori pretio divendunt, vel prorſus peſſimo modo vinum rebus ſanitati infeſtis, aut plane venenoſis, adulterant. Fit hoc inprimis lithargyrio, unde peſſimi effectus in corpus humanum redundant.

Con-

Digitized by Google

Confeſtim vero hæc adulteratio exploratur extractione auripigmenti cum aqua calcis vivæ, a qua intenſe rubicundum, brunnum, vel plane nigricans, redditur. Alii utuntur marcaſita, imo plane mercurio ſublimato, & arſenico. Modum hæc venena detegendi primus aperit doctiſſimus Autor. Vinum enim Rhenanum, arſenico infectum, ſolutione Saturni in aqua forti, vinum vero, mercurio ſublimato corroſivo venenatum, ſpiritu ſalis ammoniaci aquoſo, vel liquore ſalis tartari, uno verbo ſale alcalico, exploratur. Uſus vini præcipue eſt diæteticus, ut ſcilicet ab antiquiſſimis temporibus potus loco adhibeatur. Ex abuſu ejus gigni ebrietatem, ſatis patet, cujus vitii gravitas, morbique corporis inde oriundi, hic etiam exponuntur. Quemadmodum vero vinum infantibus ac pueris non admodum convenit, ita eo magis adultioribus, maxime vero ſenibus. Interjectis quibusdam circa vini uſum regulis diæteticis, variisque aliis circa pocula obſervationibus, vini virtutes ſtrictim indicantur, quod ſcilicet vires amice recreet, curasque & mœrorem fuget, atque adeo modice ſumtum ſanitati admodum congruat. Aliquis & ejus uſus eſſe ſolet in Chirurgia & Pharmacia: qua occaſione de congelatione vini inprimis docte diſſeritur; itemque in Chimia, ratione ſpiritus vini, aceti, tartari, & fecum vini. Denique, cum præcipua vinorum genera, quorum habuit copiam, ſub examen vocaverit Autor, eo fine, ut de partium conſtituentium proportione cognoſceret, tabula quadam in calce Operis ſingulorum rationes exhibet, quantum ſcilicet cuivis ſpiritus aquæ, ſubſtantiæ tartareæ, gummoſæ, & reſinoſo-terreſtris, inſit. Unde quidem liquet, in vino noſtrarum provinciarum rubro plurimum aquæ, in vino malvatico plurimum ſpiritus, in vino, quod *tinto* vocatur, plurimum reſinoſæ, glutinoſæ, craſſæ, in Hiſpanico plurimum tartareæ ſubſtantiæ, repertum fuiſſe; e contrario minimam quantitatem aquæ in vino Hiſpanico, tartari vel ſubſtantiæ gummoſo-ſalinæ in vino Campanienſi, oleoſæ craſſioris autem ſubſtantiæ in vino Rhenano, exſtitiſſe. Atque hæc promulſidis loco ſufficiant. Qui amant hæc potuum genera, pluraque de iis noſſe cupiunt, eos invitamus humaniter, ut ipſum Autorem adeant, & deliciis illis ad ſummam voluptatem fruantur.

ACTA

ACTA PHYSICO-MEDICA ACADEMIÆ Cæſareæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curioſorum. Volumen tertium, cum Appendice.

Norimbergæ, apud Hæredes W. M. Endteri, & J. A. Engelbrechti viduam, 1733, 4.

Alph. 3 pl. 12, cum Tabb. æn. 13.

Utiles non minus lectuque jucundas Obſervationes *tertius* hic *Actorum Tomus* exhibet, quam in prioribus datas eſſe, alibi jam commemoravimus. Horum proinde ſummam, more nobis recepto, velut in tabula exponere conſtitutum eſt. Ad *Hiſtoriam* itaque *naturalem* pertinent *Obſ. 3* de rariori ignis lambentis ſpecie; 11 de ſingularibus fulminis effectibus, & anatome viri eodem percuſſi; 45 de terræ motibus Helveticis, menſ. Jan. A. 1729; 48 de Bononienſi conſtitutione hiemali A. 1729; 83 de colore quodam coccineo ex ligno fernabuci; 101 de vitris ſingularibus. Sigillatim vero ad *Regnum vegetabile* ſpectant *Obſ. 12* de Aloe officinali florente; 60 de floribus, inſueto anni tempore peſtem prænuntiantibus; 114 de plantis Sinenſium, ad confinia Siberiæ auſtralis nuper obſervatis; 129 de Cerei plantæ charactere generico, ejusque Sirinamenſis ſpecifico; ad *Regnum minerale Obſ. 14* de lapide in trunco betulæ reperto; 37 de dentrite glaciali; 39 de Chryſtallis Helveticis rarioribus; ad *Regnum animale Obſ. 1* de piſce prægrandi *Mulars*; 5 de vermiculis *Pique* & *Culebrilla*, incolis Americæ familiaribus & infeſtis; 35 de ſingulari pugna viri cum ſerpente criſtato; 38 de Rete membranoſo cum uretere valde dilatato ex porco; 43 de Anatome taxi ſuilli maris; 45 de molis veſiculoſis in omaſo bovillo; 53 de ſerpentum veneno; 99 de conchis & cochleis monſtroſis, pretioſisque; 101 de folliculo moſchifero, in quo perforatus globus rubræ achatæ repertus fuit; 111 de adipis cervini & cerebri humani perennitate; 132 de morbo Iliaco in cane. *Anatomiam* illuſtrant *Obſ. 76* de præparatione anatomica organorum auditus; *anatomen practicam* inprimis *Obſ. 27* de ſingularibus phænomenis

Digitized by Google

menis in cadavere mulieris Cingaræ peripnevmonia defunctæ; 28 de anatome hominis hiemali frigore interemti; 92 de calculoſi anatome, & ſingularibus renum, ureterum, & veſicæ, phænomenis; 121 de anatome mulieris apoplexia defunctæ. *Phyſiologiæ* debentur *Obſ.* 62 de rara tactus idioſyncraſia; 64 de ſingultu & lipothymia, certis graviditatis ſignis; 68 de luſu naturæ in conformatione organorum, alieno ſexui propriorum; 98 de fœtu gemello, altero quidem maturo, altero abortivo, ſuperfœtationi adſcripto; 107 de partu gemellorum, poſt aliquot ſeptimanarum intervallum ſucceſſive edito; 108 de partu geminorum præmaturo; 127 de virgine barbata Dreſdenſi. *Pathologiæ* plures inſerviunt, *Obſervatio* ſcilicet 2 de hydrophobia ex morſu lutræ, & hepatis piſcis eſu felibus mortifero; 4 de impetigine maligna, obſtetricis contagio mirabiliter propagata; 6 de Iſchuria, & hinc urina per vomitum rejecta, cum inedia diuturna; 7 de bubonibus verminoſis; 8 de mola cavernoſa, dentibus pariter ac pilis referta, per umbilicum in lucem edita, matre ſuperſtite; 9 de quartana duplici habituali facta, croco martis apertivo *Stabliano* percurata; 19 de noſtalgia; 20 de apodemialgia; 23 de hæmorrhagia penis; 30 de pulſu, quarto quovis ictu intermittente; 31 de apoſtemate & oſſeſcentia arteriæ magnæ deſcendentis, mortis cauſa; 32 de mortis imaginariæ exemplis duobus; 33 de variolis fœtus in utero; 34 de variolarum infectione particulari per contactum; 41 de inedia diuturna *Chriſtinæ Krazeriæ*; 44 de febri quotidiana quadruplici; 46 de morſu humano exitioſo; 50 de ſcabie puſtuloſa, per paroxyſmos affligente, a contagio lanæ impuræ; 55 de Iſchuria ab inhærente in urethra calculo, facile tolerata, facileque curata; 56 de Hydrophobia lethali ſine delirio; 58 de epilepſia ſolo adſpectu convulſæ matronæ, & hinc incuſſo terrore, concitata; 65 de febre continua, lipyriæ naturam æmulante, a corporis extenſione violenta, lethali; 66 de melancholiæ ſubitanea ceſſatione, ſphacelo accedente; 68 de ventriculi ſpaſmo & vomitu frequentiori, a comeſtione alaudarum; 70 de colica convulſiva poſt aſſumtum febrifugum Chinatum; 73 de ventriculo, liene, & omento, in unum ſteatomaticum glomum con-

glomeratis; 75 de ſingultu epileptico; 77 de morbillis, illuſtriſſimæ cuidam genti admodum fatalibus & exitioſis; 78 de matrona, iterato abortu, molisque uteri, laborante; 29 de muliere vetula, maculis atro-purpureis in toto corpore, hinc hæmorrhagiis vehementibus, correpta; 80 de polypoſis concretionibus, per vomitum rejectis; 81 de puero per tres menſes aphonia laborante; 82 de calculis per alvum excretis; 88 de fœtu abortivo, ſcroti virilis nævum in nucha geſtante; 90 de calculis renum, linguæ, & veſicæ, rarioribus; 95 de diagnoſi ulceris ac phthiſeos pulmonum dubia; 102 de plicæ caſu ſpontaneo & innoxio; 103 de arthritide vaga, convulſionibus epilepticis ſoluta; 119 de vermibus, poſt diuturnam cephalalgiam per nares ſalutariter excretis; 176 de calculo per abſceſſum in urethra factum juxta ſcrotum excluſo; 117 de occultis pulmonum aliorumque viſcerum abſceſſibus, difficulter cognoſcendis; 119 de œdipo; 120 de hydatidum copia in ſteatomate hepatis; 122 de veſicæ lethali exulceratione, cum monſtroſa ureterum diſtenſione, ſine omni veſtigio calculi; 123 de fœmina, variolis laborante, eodem tempore menſtruum fluxum ſatis largum experta, feliciter tamen curata; 124 de fœmina ſeptuagenaria, menſium atque hæmorrhoidum fluxum habente; 126 de puella hydrocephalo ſtupendo defuncta; 128 de vomitus ſebacei origine; 131 de iliaca affectione in infante recens nato, illiusque ſedibus & cauſis diverſis. Ex *Materia medica* expromuntur *Obſ. 16* de corticum ulmi pariter ac alni efficacia antihydropica; 25 de conchis male præparatis; 42 de ſalis Badenſis thermalis effectu; 54 de cingulo *Salomonis*; 74 de noxa aluminis plumoſi in aſthmate ſenili intus aſſumti; 84 de ſingulari & ſaluberrimo veſicatoriorum uſu; 85 de baccarum ſolani furioſi, ſeu belladonæ, effectu, vehementi quidem, at fere ridiculo; 91 de lapide *Bezoar* orientali, raræ magnitudinis; 92 de populi arboris multiplici uſu; 105 de remedio draſtico, in hydrope ovariorum exhibito, lethifero; 126 de aceto ſquillitico in nephritide calculoſa apprime ſalutari; 115 de fonte Weidenbergenſi ditionis Brandenburgico-Byruthinæ; 125 de uſu errhino radicis valerianæ in viſu debili. In *Therapia* uſum habent *Obſ. 13* de podagræ, incongruo medicamento retropulſæ, lethali eventu, & oſſiculo ſingulari ſub cranio reperto;

16

Digitized by Google

16 de fruſtraneo & infeliciſſimo fluxum hæmorhoidalem provocandi conatu; 24 de ſingultu vomitorio curato; 47 de cranio a fonticulo non uno in loco eroſo, cephalalgiæ intenſiſſimæ remedio; 57 de hypochondrii dextri dolore vehementi, excretis per alvum globulis veluti ſaponaceis, confeſtim ſublato; 59 de lipothymia & convulſionibus hyſtericis, per hæmorrhagiam auris dextræ ſublatis; 61 de ingenti ſanguinis vomitu, gelidiſſimis brumali tempore curationibus curato; 63 de ſubitanea icteri curatione per narium hæmorrhagiam; 72 de œdematis pedum periodici topica cura; 89 de rheumatiſmo in latere ſiniſtro equitando percurato; 94 de pernicioſo remediorum nephritico-lithontripticorum abuſu, indeque facta complurium viſcerum lethali corruptione; 104 de hydrope thoracis in ſene 70 annorum cognito & curato; 112 de venæſectionis ope ſalutifera in morbo convulſivo, qui dicitur *die Zieh-Kranckheit*; 173 de aphonia, per hæmorrhagiam narium ſponte curata. *Chirurgiæ* lucem aſſundunt *Obſ.* 10 de ulcere lumborum, ex translatione hæmorrhoidum fiſtuloſo, per aquam gryſeam ſanato; 21 de ſpica ſiliginea in ulcere infantis reperta; 22 de nymphæ, ſeu alæ dextræ, nimis excreſcentis, & pro uteri procidentia male judicatæ, curatione; 26 de cataracta oculi dextri in puero quatuordecim menſium feliciter curata & diſcuſſa; 29 de parotide a variolis inflammata, & hinc ſuppurata; 36 circa cataractas oculorum, de oculi ſtaphylomate, fonticulo curato; 32 de ulcere ventriculi per quietem curato; 67 de cucurbitularum operatione in lippitudine inveterata; 96 de utero, malæ conformationis vitio extra ventrem propendente, pro hernia inguinali perperam habito, eodemque ſphacelo correpto, feliciter curato; 97 de miſero infantis partu cum vitio malæ conformationis; 109 de infante confracto brachio nato; 118 de extremo pollicis articulo, cum tendine flexore ac nervo violenter avulſis; 130 de vulnere dyſepuloto ſcroti, ſcarificatione ſanato. Ad *Medicinam* denique *forenſem* ſpectant *Obſ.* 15 de Infanticidio crudeliſſimo & fere inaudito; 18 de inteſtini duodeni vulnerati phænomenis & lethalitate; 51 de partu octimeſtri & decimeſtri; 71 de vulnere inteſtini ilei cum hiatu per inguen dextrum permeante, non lethali. *Appendice* continentur *Jo. Phil. Breynii* Hiſtoria

Digitized by Google

naturalis cocci radicum tinctorii, quod Polonicum vulgo audit; *Aloyſii Ferdinandi* Comitis *Marſilli* Annotationes de granis tinctorum, quæ Kermes vocant; *Niſſolii* Diſſertatio Botanica de origine & natura Kermes; *Garidelli* Hiſtoria naturalis Kermes, ex illius Opere de plantis Gallo-provinciæ indigenis excerpta; *Godofredi* Junioris Obſervatio de Gummi Laccæ, aliisque materiis proſapiæ animalis, quæ tincturam purpuream ſuppeditant; *Caroli Friderici Læw* febris catarrhalis, quæ A. 1729 menſ. Nov. & Dec. per Europam epidemice graſſata eſt, hiſtoria; accedit conſtitutio epidemica A. 1730; *Erntelii* de Teplicenſibus in Bohemia thermis, cum elencho plantarum, circa illas creſcentium; *Neuboldi* Obſervationes Pathologico-Therapevticæ, nimirum de noxiis cannabis atque lini; herbarum nondum exſiccatarum effluviis; damnis ex plica abſciſſa; inexſtirpabili latorum vermium progenie; febribus omnis generis, expulſione vermium finitis; immani dolore dentium, vomitu ſuperveniente momento citius ſedato; hemiplegia cum aphonia hirudinibus & veſicatoriis curata; eſſentia dulci Halenſium, tanquam certiſſimo, naturæ motus moderante, remedio; motione menſium periodica ad mammas; hæmorrhagia narium menſtrua in puella ſexenni; puella itidem ſexenni, manifeſta luis venereæ ſigna oſtendente; ſectione militis, per longum tempus melancholici, tandem tabe exſtincti; illuſtribus noxarum, per curas ſic dictas heroicas illatarum, exemplis. Ultimo demum loco memoria exſtat *Lucæ Schrœckii*, Viri incomparabilis, digna utique, quæ in noſtris his Annalibus, quamvis non copioſa oratione, preſſius tamen enarrata, conſervetur. Prodiit ille in lucem Auguſtæ Vindelicorum A. 1646 d. 20 Sept. patre natus *Luca Schrœckio*, Medicinæ Doctore & Practico, poſtea Phyſico Auguſtano, & Collegii Medici Seniore, matre *Anna Maria Welſchia*, Celeberrimi Medici & Polyhiſtoris, *Georgii Hieronymi Welſchii*, ſorore. Rudimentis Latinarum Græcarumque literarum, omniumque, quæ ad humanitatem pertinent, diſciplinarum, poſitis, cura præceptorum, cum domeſticorum, tum in Gymnaſio, Collegioque Annæano, publicorum, *Steudneri* inprimis, *Wilhelmi*, *Rauneri*, *Cropbii*, & *Broſſeri*, in Academiam Jenenſem

demi-

Digitized by Google

demigravit, ſtudium medicum, ad quod domi jam a parente aliquantum præparatus fuerat, ſub *Rolfinckio*, *Friderici*, & inprimis *Schenckio*, exculturus, ſub quo poſtremo etiam Diſſertationem *de Moſcho & Bulimo*, ſub *Rolfinckio* autem *Theſes chemicas*, propugnavit. Poſtea, itinere in aliquam Saxoniæ partem ſuſcepto, A. 1669 Licentiati honores Jenæ conſecutus, domum rediit, mox vero Italiam petiit, eademque peragrata, in Patavino demum Gymnaſio ſtudium medicum perſequi curæ cordique habuit; domum vero reverſus, atque inter Phyſicos Lœmicos A. 1671, ſummisque Doctoris medici honoribus in Academia Jenenſi rite impetratis, in Collegium patriæ medicum, adſcitus, artem ſuam magna diligentia, majorique applauſu, exercitavit, ſimulque A. 1673 Pharmocopœiam Auguſtanam reſtitutam, ejusque defenſionem, contra Cel. *Hoffmanni*, ſenioris, modeſtam cenſuram, edidit; A. 1678 avunculi ſui, *Welſchii*, memoriam publico ſcripto conſecravit, ejusque notas in methodum medendi *Walæanam* A. 1679, Curationum atque Obſervationum medicarum Decades decem A. 1681, præcedente autem anno 1680 Obſervationes Phyſico-medicas *Helwigii*, Medici Ratisbonenſis celeberrimi, additamentis quibusdam a ſe auctas, A. 1682 hiſtoriam de Moſcho, nec non Collegii medici Auguſtani Hiſtoriolam, ſub nomine memoriæ ſecularis, in lucem emiſit. Anno 1684 Pharmacopœam Auguſtanam renovatam & auctam ſumtibus ſenatus Auguſtani publicavit, eo quidem ſucceſſu, ut, intra decennium diſtractis cunctis exemplaribus, eandem ad prelum revocare, cum Auctario, ex Collegarum ſententia addito, neceſſe fuerit, cujus etiam tertiam editionem ronovatam, atque acceſſionibus quibusdam *Welſchianis* auctam, ſuis quidem ſumtibus, cum nemo eſſet, qui eos conferre vellet, paravit. A. 1678 conjugium iniit cum *Anna Catharina*, mercatoris primarii, *Phanzelii*, filia, ex eademque filiolum *Lucam* præmaturo & octimeſtri partu ſuſcepit, poſt anni vero decurſum exſtinctum, ipſa etiam uxore A. 1709 amiſſa. Præter hos honores, Noſocomii Gallici quoque curam demandatam ſibi habuit, ſæpiusque Decanatu defunctus eſt, atque A. 1712 munus Phyſici primarii, Colle-

gii medici Vicarii, Viſitatoriſque ordinarii officinarum pharmaceuticarum, ſuſcepit. Ut taceamus, receptum fuiſſe *Schrœckium* in ſocietatem Academiæ recuperatorum, Phyſico-criticorum Senenſis, item Romanæ, quam coloniam Phyſico-Criticorum Arcadiæ vocant, nec minus Academiæ Cæſareæ naturæ curioſorum, cui decus atque ornamentum ſingulare, ejus primum Collega, deinceps Adjunctus, mox Director, tandem ab A. 1693 Præſes, conciliavit, Ephemerideſque egregiis Obſervationibus auxit, quas Vitæ Autor in unam ſummam collectas cum reliquis ſcriptis, ſupra jam maximam partem commemoratis, percenſet. Ceterum integra ſatis valetudine per omnem vitam præditus, ultimis demum menſibus aliquantum languidior factus, & ſenili maraſmo confectus, pie placideque exſpiravit die 3 Jan. anni hujus Seculi trigeſimi, cum vitam honeſtiſſime traduxiſſet ultra annos 83, menſes 3, ac dies 13. Ceterum ex Præfatione hic repetimus, Socios hujus Academiæ Commercio literario Norimbergenſi aliquantum eſſe offenſos, atque Illuſtrem hujus Academiæ Præſidem, *Jo. Jacobum Baierum*, in eo fuiſſe, ut Hiſtoriam Academiæ diligenter perſcriptam publicaret, qua, quicquid ad notitiam univerſæ Societatis pertineret, illuſtraretur. Sed, bonum hoc ac ſalutare inſtitutum nuper demum morte præſtantiſſimi *Baieri* fuiſſe interceptum, jam quidem omnes norunt, & nos ipſi, literarum cauſa, vehementer dolemus.

REFLEXIONS SUR LA POESIE, &c.

h. e.

COGITATIONES DE POESI GENERATIM ſpectata, inprimis de Ecloga, Fabula, Elegia, Satyra, Oda, aliisque minoribus Poematibus, &c.

Autore R. D. S. M.

Hagæ Comitum, apud C. de Rogiſſart & Sorores, 1734, 8.
Alph. 1.

Non in animo habuit elegantiſſimus hujus libelli Autor inſtitutiones tradere poeticas, vel omnia Carminum genera ſuis meditationibus illuſtrare, ſed ex iis quædam tan-

tum

Digitized by Google

tum ſeligere, de quibus ipſis etiam ita diſſerit, ut non totum argumentum exhauriat, &, quæ e. g. de Ecloga dici poterant, afferat omnia, ſed obſervationes tantum expromat ſingulares, quibus vel aliorum errores & vitia indicantur, vel decora & virtutes carminis enumerantur. Primo loco de Poeſi generatim diſquirit, quam quoniam eſſe conſtat ejusmodi, ut mentem noſtram vehementer afficiat, ejus rei rationes examinat. Redeunt vero eo, quod illa res quasque vivis, ut ajunt, coloribus exprimat, adeoque imaginationi humanæ mirum in modum ſuccurret; quod animi affectus admodum moveat, & nunc cieat, nunc componat; quod harmonia illa ſyllabarum mechanica aures admodum mulceat & oblectet, multo autem magis alia quædam harmonia, inter verba ſcilicet mentisque conditionem, qua pro varietate affectus ingeniique poetæ, vel ejus etiam, qui loquens introducitur, dictionis quoque indoles variat, & nunc conciſa magis & curta, nunc profuſa, nunc turbata & confuſa, nunc tarda, nunc velox & rapida, eſſe ſolet. Habet tamen hæc dictionis indoles in proſa etiam locum, præcipue in Epiſtolis. Ipſi etiam rhythmi multum delectationis afferunt, & poeſin commendabilem reddunt. Agitur poſt hæc de iis, quæ poeſis cum proſa habet communia, &, utriusque decus & gratiam ex iisdem fontibus manare, multis tamen in rebus inter ſe diverſas eſſe, oſtenditur; ad extremum *Mothius*, poeſeos contemtor, notatur. De Eclogis varias præceptiones exhibet, tum id præcipue requirit, ut ſermo paſtorum ipſorum perſonæ conveniat, nec de rebus altioris indaginis acute diſputent illi, aut de iis, quæ ad ambitionem, vanitatem, & res urbanas, ſpectant, inter ſe confabulentur, neque tamen etiam de amore ſuo, aliisque rebus, ipſorum perſonæ congruis, ingenioſius, quam par eſt, dicant, ſed ubique ſimplicitatem, amoremque tenerum & delicatum, ſincerum & vividum, præ ſe ferant. Propterea etiam quædam *Fontenellii* Eclogæ, item pars quædam ejus præceptionum de Eclogis, criticæ diſquiſitioni ſubmittuntur. Poſtquam alia etiam Eclogæ decora Autor commemoravit, quantopere illa recte confecta præ aliis carminum generibus, ob vitæ ruſticæ amœnitatem, & amoris ejusmodi innocentiam, oblectet, animum-

mumque trahat, oſtendit. Inter alia obſervat, Eclogas in forma dialogi ſcriptas gratiores fere eſſe reliquis, quoniam hæ ſuos velut habeant nodos, qui ſuſpendant animum, & tandem ſub exitu rei majori voluptate perfundant. Fabula, de qua poſt Eclogam agitur, mores emendat, ſine irritatione tamen; id quod allegoriæ debetur, cujus hic natura fuſius explicatur. Præter alias regulas, ad quas fabula exigenda eſt, ſi ornata & elegans eſſe debeat, in fine ejus elegantius collocari axioma morale, ſeu epimythion, rarius in principio locum habere, aſſeverat, & *Fontainii* fabulas quammaxime collaudat. Elegias noſtris temporibus parum accurate elaborari, ut naturalis illa ſimplicitas in iis eniteſcat, admodum queritur, & vitia, quæ iis inhærent, occaſione Elegiæ, a Poetria, inter Gallos in hoc carminum genere admodum celebri, *de la Suze*, ſcriptæ, oſtendit, virtutes vero occaſione alius Elegiæ, a Poetria itidem Gallica, *des Houlieres*, confectæ, declarat. In Capite de Satyra in ejus originem inquirit, quare homines ad eam ſcribendam animum appulerint. Vitia acri & mordaci ſtilo exagitanda, ſtultitiam vero magis per ludum jocoſque ridendam eſſe, monet, & *Boylei* præcipue exemplum commendat. Quando ad Odam pervenit, agit copioſiſſime de eo, quod ſublime dicitur, illudque dividit ſua lingua, cujus verba, non facile rotunde ſatis, & ſine ambagibus, vertenda, hic retinemus, in *ſublime des images*, & *ſublime des tours*, atque hoc præcipue carminibus epicis & dramaticis, illud autem Odis, convenire, nos docet. Deinde fuſe etiam de Enthuſiaſmo, in Odis perquam neceſſario, diſceptat, illumque in *Boylei* Oda, in expugnationem Namurii conſcripta, itemque in *Davidis* Pſalmis, demonſtrat, Odas vero nimis methodicas notat & perſtringit. Ultimo loco & minora quædam carminum genera, quæ non penitus contemnenda putat, ut Epigrammata, & alia varii nominis, quæ a Gallis *Sonnet*, *Rondeau*, *Madrigal*, *Stances*, *Vers marotiques*, appellantur, perſequitur. Acceſſerunt in fine Epiſtolæ tres de origine, progreſſu, decrementiſque guſtus apud Gallos, & decrementi hujus cauſis, quas legiſſe, & cum Dialogo de cauſis corruptæ eloquentiæ contendiſſe, neminem forte pœnitebit, ſicut & totus hic libellus iis haud dubie admodum placebit, qui Poeſeos ad rationis leges exactæ amore ducuntur.

✽ ✽ ✽

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II Sectio XII.

ITINERARIUM SEPTENTRIONALE; OR a Journey thro' the moſt of the Counties of Scotland &c. h. e.

ITER PER PLURIMAS SCOTIÆ ANGLIÆQUE Septentrionalis regiones. Partes duæ. Pars I continet enumerationem omnium Romanæ antiquitatis monumentorum, hoc itinere inventorum, collectorum, & exhibitorum, quibus illuſtratur Romana per has Britanniæ partes hiſtoria, a prima Julii Cæſaris invaſione usque ad Julii Agricolæ in Caledoniam iter ſub regno Veſpaſiani, hincque ad diſceſſum eorum ex hac Inſula ſub regno Theodoſii Junioris, cum particulari deſcriptione murorum Romanorum per Cimbriam, Northumbriam, & Scotiam, variarum ſtationum, ſpecularum, turrium, exploratoriorum caſtellorum; hinc altitudinum latitudinumque, vel aliarum dimenſionum Romanarum, geometrica terrarum menſura, ex mari in mare facta; additis omnibus altaribus, inſcriptionibusque eorundem, itidemque conſpectu diverſorum locorum, Romanis

caſtris clarorum, caſtrorum, viarum militarium, &c. Pars II exhibet enumerationem invaſionum Danicarum in Scotiam, monumentorumque, poſt diverſas populi iſtius clades erectorum, cum aliis curioſis antiquitatum ruderibus, nunquam antea in lucem protractis. Utraque Pars ſexaginta ſex Iconibus æri inciſis illuſtrata, Autore ALEXANDRO GORDONIO, A. M.

Londini, impenſis Autoris, 1726, fol.
Alph. 2.

Romana arma Britanniam invaſerunt ſecundum *Halleyi* calculum anno A. C. N. 53, urbis vero conditæ 699. Quam felici etiam rerum ſucceſſu uſus ſit *Julius Cæſar* in hac expeditione, *Tacito* tamen dicitur *oſtendiſſe poſteris, non tradidiſſe*, Britanniam. Neque enim adeo magna rerum a Romanis in hac Inſula geſtarum poſt *Cæſaris* tempora fama fuit, quin potius ſedulo abſtinerent a ferociſſimæ gentis virtute, quam experiri noluerunt, donec *Claudius* anno P. C. N. 43, duce *Veſpaſiano*, poſtmodum Imperatore, Britanniam in Romanæ provinciæ formam redigeret. Mirum ſane videtur, quomodo ad *Agricolæ* usque tempora incognitum potuerit permanere, Britanniam eſſe Inſulam, quandoquidem *Claudius* dicitur Orcades etiam Inſulas Imperio Romano addidiſſe. Neque vero uno ictu libertas Britonum a Romanis ſubruta cecidit, quin potius celebratiſſimi ſint Brigantum, Silurum, Ordovicum, bellicoſarum gentium, conflictus, donec fortunæ Romanorum cedere coacti, anno, poſtquam invadi cœperunt, 137, demum Imperii Romani pars eſſe ſuſceperint. Singularem quandam Hiſtoriæ Britannicæ periodum inchoat, ex quo *Julius Agricola* præfectura Inſulæ potitus, munita caſtellis loca condere aggreſſus eſt. Operoſiſſimus eſt Cl. Autor in definiendis caſtris, quæ fortiſſimus ille belli dux in expeditione deſcripſit, caſtelliſque, in quibus cuſtodiam Romanam ſuſtinuerunt incolæ, nec dubitat, cum Caledoniam, quæ Scotia eſt, omni ſtudio ſubigere tentaverint Romani, quæcunque directo illuc itinere inve-

inveniuntur antiquitatis Romanæ monumenta, ad *Julium Agricolam* referenda eſſe, qui, Glota & Bodotrya, hodie Clude & Forth, munitis, Iſthmum ſuæ ditionis reddidit, & Grampium montem in Caledonia rebus cum *Galgaco* Caledonio fortiter geſtis celebrem effecit. Quascunque protulit conjecturas de rebus ad antiquitatis memoriam ſpectantibus, cum judicio inſtitutas deprehendimus, magnamque ab omnibus ruderum Romanorum cultoribus gratiam Autor iniit, quod vel paſſim edita in faſciculum colligere, vel antehac nunquam declarata ex tenebris in lucem protrahere, feliciter & cum magno famæ ſuæ incremento auſus fuerit. Magna cumprimis ejus eſt induſtria in eruendis antiquis nominibus locorum, quorum veſtigia in hodierna dictione hodienum exiſtunt, prout uſu venit, ſucceſſu temporis tantiſper immutatas etymologias gentium & locorum aliqua ſui parte, neque adeo obſcura ſimilitudine, hodienum valere, id quod Treyiri, Solodurii, antiquiſſimi populi, hoc nomine & apud Latinos cogniti, teſtantur. Qua veriſimilitudine ductus, non dubitat *Taus*, in Iſthmo Caledoniæ, deſcriptum a *Tacito*, æſtuarium, pro *Tweed* agnoſcere, quandoquidem vicinus lacus, nomine *Taus* ſeu *Loch of Tay*, lacus *Tai* appelletur, ſintque vicina oppido *Dundee*, ſeu *Taodunum*, *Broughtai*, ſeu *vicus Tai*, *Captay*, ſeu *caput Tai*, ſicut iſtius rei manifeſtum teſtimonium exhibent *the Grampian Hills*, Grampii montes in Scotia, qui antiquisſimum iſtud nomen ſuum retinuerunt. Neque etiam obſcurius originis ſuæ nobilitatem loquuntur varii in Britannia loci, qui nomen, a conditione ſua olim acceptum, ſervant, prout *Severus's wall* in Anglia, & *Antoninus's wall* in Scotia. Neque vero eadem ſemper fuit rerum Romanarum in Scotia facies. *Agricola* enim Romam reduce facto, excuſſo jugo Caledonii Præfecturas Romanas invaſerunt, ſuaque propria cuſtodia munitis caſtellis, contra hoſtem uſi ſunt, a quo tempore neglexiſſe videntur Britanniam Imperatores, quandoquidem apud *Dionem* nulla, apud *Eutropium* obſcura, ejus rei exſtant veſtigia. Dubium tamen nullum eſt, in auſtrali parte Britanniæ Romanas provincias integras ſubſtitiſſe, cum *Hadrianus* dicatur murum octoginta millium paſſuum longitudine exſtruxiſſe, quo Romanæ ditiones ab excurſione

Pictorum & Scotorum tuti eſſent, quem imitatus *Antoninus Pius*, legato *Lollio* Caledonios Britones, a Romanis coloniis remotiores factos, ceſpitis muro exſtructo impedivit, qui tamen, ſub *Commodi* regno, referente *Xiphilino* ex *Dione*, a fortiſſima gente deſtructus fuit, cum qua demum pax ineunda fuit *Severo* Imperatori. Vacillante demum Romano imperio, *Honorio* & *Theodoſio* Juniore regnantibus, Britanniam penitus deſeruerunt Romani, illius imperio 470 annis a *Julii Cæſaris* temporibus uſi. Quamvis enim a Britonibus contra Pictos, Scotos, & Hibernos, ſæpius in auxilium vocati eſſent, abſtinere tamen, quam incerta tentare, maluerunt, quo factum, ut, Saxonibus invitatis, iisdemque promte accedentibus, novam faciem indueret Britanniæ ſtatus A. 449. Ejusmodi rerum Romanarum clariſſima monumenta, inſcriptiones, inſignia, altaria, ſacella, arma, numismata, marmora, caſtrorum, camporum, caſtellorum, rudera, aliaque iſtius argumenti, magna ſolertia collegit & digeſſit Autor. Magno tamen ſtudio Romanæ Hiſtoriæ monumenta a medii ævi inſigniis, paſſim in Scotia repertis, diſtinguit, qualia ſcilicet, Danis Britanniam eadem cum Anglis Saxonibusque ætate invadentibus, in variarum victoriarum memoriam ſtatuta fuerunt.

DISSERTATIO APOLOGETICA PRO SANCTArum, Perpetuæ, Felicitatis, & Sociorum Martyrum, orthodoxia, adverſus SAMUELEM BASNAGIUM, Autore R. P. JOSEPHO AUGUSTINO ORSI, O. P. Florentiæ ad S. Marcum Sacræ Theologiæ Lectore. Accedit FRANCISCI Caſtilionenſis Martyrium Antonianum, ſeu beati Antonii de Ripolis, Ordin. Prædicat. ab eodem ORSIO notis illuſtratum.

Florentiæ, typis Bernardi Paperini, 1728. 4.
Alph. 1 plag. 8.

Martyres haud facit calamitas, ſanguinisque pro quadam ſententia profluvium internecinum. Cauſa veritatis divinæ digne

digne obſignata conſtituit adornatque Martyras. De nece, *Perpetuæ, Felicitati*, ac ſociis ipſarum, illata, dubitatio neminem facile tenet. Cauſa in diſcrimen ac controverſiam vocatur, idque ſecundum teſtimonia literis conſignata. Eam Rev. Autor ſtare ſalvam & inoffenſam exiſtimat, & illud Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo Principi *Proſpero Lambertino*, eccleſiæ Romanæ purpurato Patri, in formula Dedicationis ornatiſſima perſuadet. In Præfatione uſum & abuſum artis criticæ delineat, exemplisque confirmat, ingenue fatens, *Liberium* minis *Conſtantii Auguſti* ceſſiſſe. Ipſos, quos pro hæreticis habet, non ſine laudis præfatione compellat, ac teſtimoniis eorum utitur, quoties artem criticam recte adhibuerunt. Cauſa, quæ Autorem ad hanc Diſſertationem concinnandam adduxit, ex eo eſt deducta ac progenita, quod *Samuel Baſnagius*, in Annalibus opinamur, *Perpetuam*, eosque Martyres, qui ſe mortis ſocios ipſi addidere, Montaniſmi reos egerit, & de grege Montaniſtarum exſtitiſſe conjectaverit, quam ipſe ſententiam ſodalibus noſtris in *Supplem. Tom. VI Actor. Erud. Sect.* 4 (*) approbaverit. Veretur, ne horum autoritate alii quoque in transverſum agantur, niſi res ad exactius examen revocetur. Itaque in eo operam ſuam poſuit, ut horum Martyrum orthodoxiam propugnaret, & *Baſnagii* ſuſpiciones, in contrarium productas, amoliretur. Quod ipſum fecit & eleganter, & maſcule, & copioſe. An eventus conatui reſponderit, non definimus, cauſa cenſoribus quibuscunque integra ſervata. Si qua videntur notanda, ea hic nobis, intra brevitatis cancellos redactis, expediri non poſſe, nemo unus dubitabit. Autor operam ſuam ita collocavit ac diſtribuit, ut præmiſerit paſſionem S. S. *Perpetuæ, Felicitatis*, & Martyrii ſociorum, ex Actis primorum Martyrum ſinceris & ſelectis *D.*

(*) Collector certe Actorum fuit Montaniſta, videlicet Actorum de paſſione *Perpetuæ, Felicitatis*, & Sociorum. *Orſius* id largitur. Collector vero Martyres hoſce Montaniſtarum communioni inſerit. qui ex judicio eccleſiæ tum catholicæ pro hæreticis habebantur, licet Montaniſtæ, numero inferiores, Catholicos haud exiſtimarent hæreticos.

Pag. 1 ſeq. *Theod. Ruinarti.* *Capite primo* in eo totus eſt, ut externis argumentis, ex eccleſiæ & veterum Patrum autoritate petitis, orthodoxiam dictarum dictorumque Martyrum vindicet.
19 ſeq. Nititur teſtimoniis *Tertulliani*, ætate ſupparis, *Pontii Diaconi*, pervetuſto *Bucherii* Calendario, *Auguſtini* Encomiis, eccleſiæ Carthaginenſis præconio, Miſſæque canone quotidiano. *Capite*
40 ſeq. *ſecundo* externis *Baſnagii* adverſus hoſce Martyras argumentis occurritur. Actorum *Perpetuæ* & *Felicitatis* compilatorem fuiſſe Montaniſtarum hæreſi infectum, pronuntiatur. *Ruinarti* pro Actorum compilatore rationes refelluntur, variisque argumentis Montanismus ejus aſſeritur. *Dodwelli* pro ejusdem ſcriptoris orthodoxia diſputatio dijudicatur, ejusque diſputatio-
50 ſeq. nis fundamentum unum & alterum dejicitur. Addit, a Montaniſtis catholicos non fuiſſe pro hæreticis exiſtimatos, nec Montaniſtas ſeſe ab eccleſiarum catholicarum communione omnino alienos putaſſe, quin potius ad Catholicorum quoque Martyrum communionem adſpiraſſe, *Tertullianum* non *Perpetuæ* tantum, ſed aliorum quoque Catholicorum Martyrum, cum laude meminiſſe. Oſtendit porro, alios præter Montaniſtas hæreticos Acta Catholicorum Martyrum luci dediſſe, ac ipſum Actorum Autorem Montaniſtam, Martyres noſtros ab
75 ſeq. hac ſecta fuiſſe alienos, crediditſſe. *Capite tertio* internis *Baſnagii* adverſus hoſce Martyras argumentis generale reſponſum adhi-
88 ſeq. betur. *Capite quarto* de viſionum, aliorumque cœleſtium donorum, per priora Secula copioſo numero & ubertate diſſeritur, atque, veteres Chriſtianos divinis hiſce Spiritus ſancti charisma-
116 ſeq. tibus uſos fuiſſe, demonſtratur. *Capite quinto* oſtenditur, nihil in *Perpetuæ* revelationibus contineri, quod in Catholicam Martyrem non apprime conveniat. *Capite ſexto* it demonſtratum, virtutes horum Martyrum & viſionum fructus oſtendiſſe, divino illos fuiſſe ſpiritu afflatos, & eorum revelationes Deo eſſe tri-
140 ſeq. buendas. *Capite ſeptimo*, *Perpetuam* ſociosque Martyras prophetico fuiſſe ſpiritu afflatos, ex vaticiniorum eventis & miraculis demonſtratur, additurque, eorum doctrinam & converſa-
164 ſeq. tionem fuiſſe a Montaniſtarum dogmatibus & inſtitutis perquam alienas. Urgetur inprimis, *Optatum*, Epiſcopum in Actis memoratum,

Digitized by Google

moratum,præfuiſſe Catholicis, nec ullum id temporis Carthagine Pag. 174
exſtitiſſe Montaniſtarum Epiſcopum. Autor credit, horum ſeq.
Martyrum in carcere victum, communem & uſitatum, a Mon-
taniſtarum de jejunio legibus maxime abhorruiſſe. Subdit non- 178.
nulla de catholicæ eccleſiæ in ſuis alendis fovendisque Confeſſo- 179.
ribus ſollicitudine, monens, catholicos Martyres paratum ſibi
fidelium pietate cibum, imo & delicias, neutiquam reſpuiſſe.
Agmen argumentorum clauditur diſputationis *ἀνακεφαλαιώσει.* 183.
Tertullianus de Anima Cap. 55: *Perpetua, fortiſſima Martyr,* 184.
ſub die paſſionis in revelatione Paradiſi ſolos illic Commartyres
ſuos vidit. Non vocat illam *ſororem*, uti ſolet, *noſtram*, vel 19.
Martyrem noſtram, uti de Montaniſticis ſodalibus diſſerere con-
ſuevit. *Bucherii* Calendarium, quod ad *Liberii* ævum pertinet,
ita: *Nonis Martii, Perpetuæ, & Felicitatis Africæ*, ſcilicet
nomina inſcripta ſunt. Celebres eas exſtitiſſe oportet, quæ in
Romanum martyrologium tunc translatæ jam apparebant.
Ea enim ætate eccleſia unaquæque ſuos duntaxat Martyres, vix 24.
comprovincialium unum & alterum, in diptycha & alba referre
ſolebant. *Auguſtino Poſſidius* in Indiculo tribuit *de Natali* 25.
Perpetuæ & Felicitatis Tractatus tres, qui in noviſſima
Operum *Auguſtini* editione, quam Benedictini Patres Congre-
gationis S. Mauri adornarunt, ſunt inter Sermones *n.* 280, 281,
282, obvii. Ipſe *Auguſtinus* in Enarratione Pſalmi 47 *Sanctæ*
Perpetuæ meminit, nec non in libris de Anima & ejus origine
Lib. I *Cap.* 10, *Lib.* III *Cap* 11, *Lib.* IV *Cap.* 18, ubi eam vocat
ſanctam. Unde patet, eam ab *Auguſtino* pro ſancta, catholica, &
veri nominis Martyre fuiſſe habitam. *Victor Vitenſis Lib.* I *de* 28.
Perſecutione Africana tradit, corpora Sanctarum Martyrum *Per-*
petuæ & Felicitatis in baſilica majori Carthaginenſi fuiſſe ſepulta,
videlicet poſt translationem, quæ ineunte Seculo quarto evenit.
Quo ipſo patet, utramque Martyrem tunc temporis habitam
fuiſſe pro orthodoxa & catholica. Accedit, quod *Perpetuæ &*
Felicitatis tum in Miſſali *Gelaſii*, tum in *Gregorii* Sacramen-
tario, tum denique in vetuſtiſſimo Sacramentario Gallicano,
quod *Jo. Mabillonius Tomo I Muſei Italici* edidit, quotidie 33.
repetitur, cum paucis aliis Martyribus, in Miſſæ canone com-
memo-

Digitized by Google

memoratio. Unde denuo conficitur, eas ab eccleſia numero orthodoxarum fuiſſe adſcriptas, ſiquidem hæc Sacramentaria ad Romanam & Gallicanam eccleſiam ſunt referenda. Excipit quidem *Baſnagius*, hæreticos ſæpe Martyras in Martyrologia
Pag. 57. irrepſiſſe. Sed reſpondet Noſter: *Sed num quid etiam in antiquiſſima Calendaria? num quid etiam ad eorum monumenta ſacrificia & Catholicorum conventus celebrati? num quid in eorum memoriam altaria Deo & baſilicæ conſecratæ? num quid eorum laudes veteres Patres orationibus & publicis tractatibus exornarunt? num quid denique inter illuſtriores Martyres per tot annos etiam nunc in Miſſæ canone memorantur?* Candide ſingula retulimus, ſuperſedentes objectionum reliquarum extricatione, nec judicium noſtrum interponentes. Id unum addimus, imaginem capitis *Perpetuæ* argenteam Corbejæ ad Viſurgim inter cimelia eccleſiæ aſſervari; eo per liberale donum Sereniſſimi quondam Ducis Brunſuico-Luneburgenſium, *Antonii Ulrici*, translatam. Succedit deinde Vita & Martyrium B. *Antonii Pedemontani*, Ordin. Præd. qui, exeunte Seculo XV, immortuus dicitur conſtantiſſimæ religionis divinæ profeſſioni. Scriptor exſtitit *Franciſcus* Caſtilionenſis Presbyter, ætate ſuppar *Antonio*, qui librum ſuum vocavit *Martyrium Antonianum*. Edita jampridem ea ſunt, quæ ad hunc *Antonium* ſpectant, apud *Leandrum Albertum* in Viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum. At apud eum deſunt nonnullæ Epiſtolæ, e quibus elucet, quam olim apud graviſſimos viros hæc hiſtoria fidem invenerit. *Leonardus* ille Autor fuit additionum ad vitam *S. Antonii*, quem vulgus *Antonium* vocare ſolet & *de Pedemontio*, a laudato Caſtilionenſi deſcriptam, quas una cum eadem Vita ad ſecundam Maji diem *Papebrochius* edidit ex exemplo primo, quod in Bibliotheca aſſervatur Florentina, & quidem in eo Codice, in quo & Martyrium *Antonianum Leonardus* manu ipſe ſua deſcripſit. *Leonardus* æque ac Caſtilionenſis fuit ſcriptor σύγχρονος. Caſtilionenſis præceptore uſus eſt *Victorino*, ejusque vitam literarum monumentis conſignavit, quæ inedita exſtat Florentiæ in Bibliotheca *Gaddiana*. Qualis fuerit eccleſiæ Romanæ facies inclinante

Seculo

Digitized by Google

Seculo XV, *Franciſcus* Caſtilionenſis in Martyrio *Antoniano* ita ediſſerit: *Omnis ratio rei ſacræ & religionis noſtræ inſtitutio labitur, ſacrificiorum obſervatio peſſum it, ſcandala multiplicantur adeo magna, ut de illis extremum ſit ſupplicium ſumendum: nemo tamen eſt, qui illa animadvertat: ſacerdotum turba excreſcit in dies, adeo inſolens, adeoque inepta ad id munus, ne quid aſperius dicam, ut religio B. Petri non modo labefactata eſſe, ſed jam pæne defeciſſe, videatur. Nemo eſt, qui modum his rebus adhibeat: Epiſcopi omnes, ad quorum officium hæc omnis cura & ſollicitudo pertinet, hanc rem negligunt. Summus Pontifex, majoribus intentus, ſi majora ſunt, quæ terrena ſunt, quam cœleſtia, nil tale ſe curare poſſe, profitetur. Dormiunt omnes in hac parte curanda.* Egregie idem *Franciſcus* monet de Vitis Sanctorum: *Habemus nonnullas Sanctorum Vitas, adeo inſulſe, adeo inepte, conſcriptas, ut potius rebus ipſis abrogare, quam fidem facere, videantur.*

Erläutertes Evangeliſches Oeſterreich ꝛc.

h. e.

AUSTRIA EVANGELICA ILLUSTRATA,

ſeu Relatio hiſtorica fatorum Eccleſiæ Evangelico-Lutheranæ in Archi-Ducatu Auſtriæ continuata, quæ res in Eccleſia hac ab Anno 1520 usque ad 1580 geſtas, ex monumentis, partim editis, partim ineditis, auctius emendatiusque exhibet; Autore BERNHARDO RAUPACHIO, Hamburgi ad D. Nic. Ædem V. D. M.

Hamburgi, ſumtibus viduæ Felgineriæ, 1736, 4.
Alph. 3 plag. 10½. cum Tabula ænea.

Ante hos annos quatuor Pl. Rev. Autor publici juris fecit accuratam fatorum doctrinæ Evangelicæ in Auſtria Hiſtoriam, de qua in *Actis* noſtris *A.* 1732 *Menſ. Dec. pag.* 581 *ſeq.* relatum eſt. Quomodo præſens labor ad illam ſe habeat, vel ex appoſita ejusdem inſcriptione jam intelligere licet; nempe exhiberi hic ſpicilegium, poſt meſſem illam diligenter inſtitutum, quod etſi

nondum ad totam illam, ſed partem ejus duntaxat, ſpectet, ita tamen ſit comparatum, ut mole ſua priorem illam meſſem prorſus ſuperet. Cum Pl. Rev. Autor eidem methodo in hoc ſpicilegio preſſius inſiſtat, qua in priori illo labore uſus eſt, non id opus eſſe exiſtimamus, ut in iis, quæ ex eodem commemorare juvat, ordinem ejus *κατὰ πόδας* iterum ſequamur, ſed ſatis erit, uno alteroque indicio patefacere, quanta ſit acceſſionum præſtantia, quæ ad argumentum, ita ſemel non ſine plauſu pertractatum, nunc denuo ab Autore ſunt allatæ. Primum autem repetitum hunc laborem commendat novus ille ac prorſus inſignis fontium & præſidiorum, in hanc rem facientium, apparatus, qui poſt prius vulgatum Opus in Autoris manus pervenit, quemque, pro ea, qua in hac cauſa valet, ſolertia, egregie ubique in rem ſuam convertit. Non minori editorum, quam MStorum, documentorum copia apparatus ille abundat, cujus proinde conſpectum aliquem hic exhibere non dubitamus. Ex editis trium ſcriptorum ipſe in Præfatione mentionem facit Autor. Primus eſt *Franc. Anton. de Guarient*, qui Codicem Auſtriacum, præclaram ſanctionum Eccleſiaſtico-civilium ſyllogen exhibentem, Viennæ A. 1704 fol. publici juris fecit; alter P. *Sebaſt. Mitterdorffer*, S. J. qui Partem II & III Conſpectus Hiſtoriæ Univerſitatis Viennenſis, quæ ad tempora illa reſpiciunt, itidem Viennæ A. 1724 & 1725, 8, vulgavit; tertius P. *Marc. Hanſitzius*, e S. J. qui Germania ſua ſacra, duobus Vol. in fol. Auguſtæ Vindel. A. 1727 & 1729 edita, innotuit; qui tres Scriptores vel ideo ſeorſim ab Autore nominati ſunt, quod de eorum dexteritate & fide, quam ad ſcriptionem quisque ſuam attulit, diacriſin ſuam ſimul ſubjicere voluerit. Sed & præcipuorum aliorum, quos animadvertere nobis in hoc libro licuit, Autorum hic notitiam ſuppeditabimus. Occurrit nobis *Jo. Georg. Adam. L. B. de Hoheneck*, cujus cura Genealogico-Hiſtorica Deſcriptio Statuum provincialium Archi-Ducatus Auſtriæ ultra Aniſum patrio ſermone prodiit, Paſſavii A. 1728 & 1734 duobus *Tomis* in fol. edita; & P. *Matth. Fuhrmannus*, cui Auſtriam antiquo-novam, itidem vernaculo idiomate ſcriptam, debemus:

quorum

quorum uti prior, una cum Collectaneis, ad Status Auſtriæ inferioris pertinentibus, & ab Illuſtriſſimo nunc Aulici Cæſarei & Imperialis Senatus Præſide, Comite *Wurmbrandio*, Viennæ A. 1705 fol. editis, in Genealogicis, ita poſterior in Chorographicis potiſſimum argumentis, Autori noſtro adjumento fuit. Ex monumentis paulo antiquioribus, & iſti omnino tempori coævis, notavimus Volumen Epiſtolarum miſcellanearum, ad *Frid. Nauſeam*, Epiſcopum tum Viennenſem, datarum; *Mart. Moſderi*, apud Auſtriacos Evangelicos quondam V. D. Miniſtri, Confeſſionem fidei & doctrinæ, quæ ſubjunctum habet faſcem Epiſtolarum aliquot *Lutheri*, ad Auſtriacos ſcriptarum, quo tamen libello, licet Ratisbonæ A. 1561, 4, typis exſcripto, non tamen niſi MSto, ex Uffenbachiana Bibliotheca ſecum communicato, uti Autori licuit: *Sim. Gerengelii* Collectionem precum, cui itidem adhærent Epiſtolæ ejusdem quatuor, hiſtoriam carceris ejus Salzburgenſis complexæ; *Thom. Maueri* Hodœporicon Auſtriacum, quod inter alia ejus Poemata, Wittebergæ A. 1565 edita, occurrit. Denique & fontes, a *Baronii* continuatoribus, *Odor. Raynaldo, Abrah. Bzovio, Jac. de Laderchio*, recluſos, præſidio quandoque Autori fuiſſe, animadvertimus; quemadmodum &, in Actis pacis Weſtphalicæ, noviſſime ab Ill. *de Meiern* vulgatis, quod repetitum fuit, ad hanc cauſam faciens, Documentum, atque in *Caroli Meichelbeckii* Hiſtoria Friſingenſi ſi quod fuit, quo ſe juvari intelligeret, id in partes ſuas vocare haud omiſit. Apparatus MStorum & Documentorum ineditorum longe item locupletiſſimus eſt, quo intra hos quatuor annos auctus, ad iteratam hujus argumenti tractationem Autor accedere potuit. Sed, cum hujusce generis præſidiis utitur, accurate ſimul ſubindicat, unde horum ſibi copia obvenerit, ut adeo nemo ullus integritatem illorum in dubium vocare poſſit. Quorundam itidem in Præfamine mentionem injicit, & primum quidem ad D. *Lucæ Bacmeiſteri* Acta MSta viſitationis Eccleſiarum Auſtriacarum provocat, quorum ad ultima hujus periodi tempora jam aliquem uſum fuiſſe profitetur, majorem vero adhuc futurum ſpondet, ſi quidem ad alteram horum Supplementorum

Partem perventum fuerit. Aliorum deinde magnorum virorum nomina excitat, quorum benevolentia in communicandis hujusmodi monumentis ipſi præſto fuit, quibusque debitas propterea grates perſolvit. Eſt in his *Hieron. Wilb. Ebnerus ab Eſchenbach*, apud Noribergenſes Patricius & Vir Conſularis primi ordinis; eſt *Laurentius Herteliur*, Ducis Brunſuicenſis a Conſiliis Aulæ, & Bibliothecæ Guelpherbytanæ Præfectus; ſunt, præter hos Viros Politicos, ex Theologorum ordine de Eccleſia noſtrate meritiſſimi, D. *Val. Ern. Læſcherus*, apud Dreſdenſes, D. *Ern. Sal. Cyprianus*, apud Gothanos, D. *Guſt. Georg. Zeltnerus*, apud Noricos, *Gotbofr. Baltb. Scharffius*, apud Suidnicenſes, *Mich. Lilientbalius*, apud Regiomontanos; denique *Jo. Georg. Schelbornius*, apud Memmingenſes, qui omnes vel publica, vel privata, ſua ſcrinia recluſerunt, & ex iis depromſerunt, quod ad inſtitutum Autoris faceret. Ex pluribus, quorum in ipſa tractatione grata hinc inde mentio occurrit, adhuc addimus Ven. *Jo. Chriſtoph. Wolfii*, Hamburg. Theologi, ſupellectilem Epiſtolicam, quæ, ut præſtantiam ſuam ex Conſpectu, nuper admodum publici juris facto, omnibus commendat, ita loco non uno Autori noſtro uſui fuit; *Jo. Chriſtianum Lerchium*, Neoſtadio ex Franconia, *Jo Melch. Krafftium*, Huſumo ex Sleſvicenſibus, *Bonavent. Rieſchium*, Lindavia ex Suevis, ſymbola etiam ſua afferentes; denique meritiſſimum quendam Theologum, quem tamen ἀνωνύμως tantum excitat Noſter *pag*. 20, & cui acceptum fert indicium magni *Voluminis MSti*, de cauſis religionis inſcripti, quod inſignem copiam Actorum & Documentorum, ad ſtatum Evangelicorum apud Auſtriacos ſeorſim pertinentium, complectitur.

Ut vero ex huc usque facto indicio quodammodo a nobis declaratum eſt, unde tantus acceſſionum apparatus, quo argumentum hocce ita augeri ornarique potuit, ſit collectus; ita & exhibito uno etiam alteroque ſpecimine id comprobare fas erit, quibus in partibus hæcce augmenta potiſſimum liceat conſpicere. Id generatim notamus, nullum fere hiſtoriæ hujus caput prætermiſſum, cui ex tot egregiis præſidiis non nova aliqua lux allata, cujusque hinc ſeries velut de integro haud

haud retexta ſit. Sunt præterea peculiaria hujus rei argumenta, quorum parca admodum in priori Commentatione fuerat mentio facta, quæ vero nunc longe uberius illuſtrantur. Sic v. c. Confeſſorum veritatis inter Auſtriacos ſub Papatu & ante Reformationem Lutheri catalogus ſtatim §. I nectitur, qui nonnullis augetur ex Epiſtola Cl. *Schelhornii*, quam ad ſe datam Pl. Rev. Autor poſt Prooemium ſubjecit. *Pauli Sperati* fata vicesque, quas intra quatuor annos Viennæ apud Auſtriacos, & Iglaviæ apud Moravos, ſuſtinuit, juſta & continua ſerie §. III exhibentur, fidesque his dictis ex Documentis *n.* II & III, in calce libri ex integro ſubjectis, additur. De *Leonhardo Eleutherobio*, *Jo. Vaſelio*, & *Mich. Stifelio*, proximis hinc veritatis Evangelicæ apud Auſtriacos confeſſoribus, vel nova prorſus, vel novis ſimilia, afferuntur §. IV, V, & VI. Illuſtrium familiarum in Auſtria, inter quas primis ſtatim his temporibus exſtiterunt, quas purioris doctrinæ ſonus perculit, & in partes ſuas rapuit, jucunda admodum commemoratio eſt, quam paſſim inſperſit Autor. Eminent in his gentes *Stahrenbergia*, *Schlickia*, *Jœrgeria*, *Polheimia*, *Geyeria*, hodie *Geyersbergia*, in illuſtri adhucdum propagine ſua ſuperſtites. Seorſim *Jœrgerianam* in Evangelicam veritatem propenſionem comprobat, quod cum ipſo *Luthero* habuere illi, commercium literarium, de quo §. VI, item §. IX ſeq. Inter *Polheimios* vero quod plures exſtiterint, qui in Proteſtantium Academiis Rectorales faſces geſſerint, id Autori occaſionem ſufficit, §. XIV aliquam hujusmodi exemplorum ſyllogen exhibendi. Porro præſtantiam hujus tractationis ex eo colligere licet, quod correctiones & emendationes occurrant variæ, quas ad plura prioris Commentationis loca afferre Autor non dubitavit. Huc pertinet, quod nummum, quem in memoriam calicis, tempore *Ferdinandi* Imp. ſubditis Auſtriacis conceſſi, cuſum, *Jac. Luckium* in *Sylloge Numiſm.* ſecutus, perhibuerat, nunc, ubi propius eundem inſpexit, & cum hujus temporis eventibus contendit, huc prorſus non facere, probe ſe cognoviſſe fatetur: vas namque illud cum aduſto ſuffitu thuribulum multo rectius, quam calicem, adumbrare;

brare; atque, ut Cæſar inſcriptione: *Date Cæſari, quæ ſunt Cæſaris*, ſubditos ſuos fidelitatis erga ſe admonitos voluerit, ita thuribulum hoc cum epigraphe: *Date Deo; quæ ſunt Dei*, pro incitamento, ut ſerias ad Deum preces funderent, rectius haberi, ipſi perſuaſum eſt; de qua re merentur legi, quæ §. XXVI *pag* 157 *ſeq.* diſputantur, & conferri cum nummorum iconibus, in Tabula ænea ſeorſim exhibitis. In recenſione vitæ & ſcriptorum *Georgii Ederi*, quæ longior occurrit §. XXXIV, XXXV, XLIX, & L, plura eorum, quæ antea dixerat, ſicut & eorum, quæ B. *Jo. Chriſtoph. Colerus* de eodem alibi attulerat, emendaturum & correcturum ſe pollicetur Autor *pag.* 211, quæ hic repetere non licet, quemadmodum & alium correctionum ſyllabum, in Præfatione exhibitum, cum reliquis indictum prætermittimus. Ultimo loco id tandem addimus, nec ſibi defuiſſe Autorem, ut a ſe in priori Commentatione dicta vindicaret. Hujusmodi eſſe putamus, quod tepiditatem levitatemque animi in *Matth. Cithardo*, qui *Ferdinando I*, Cæſari, a Concionibus ſacris fuit, olim ſibi notatam, quam tamen in argumentum laudis trahendam potius duxerunt illi regni Dei architecti, qui menſtruatim inconditos hanc in rem acervos congerunt, denuo aliquot locis *pag.* 137 & 236 *ſeq.* exponit, variumque viri ingenium ita depingit, ut parum veræ ac ſolidæ laudis hinc ad eum redundet. Hæc ſunto, quæ ad præſtantiam iterati laboris *Raupachiani*, nobis perſpectam, aliis quoque comprobandam ſatis eſſe putamus, ſerio exoptantes, ut & cetera, in hanc rem ab Autore promiſſa, eodem modo ſuo tempore prodeant.

DISQUISITIO DE AMBRA GRYSEA, welche an die Königliche ꝛc.

h. e.

DISQUISITIO DE AMBRA GRYSEA, AD Illuſtrem apud Britannos Societatem Scientiarum regiam miſſa a D. CASPARO NEUMANNO, ejusdem Societ.

Col-

Collega, alias Regis Boruſſiæ Conſil. Aulico, & Prof. Chemiæ, Collegii Medici Superioris, & Societ. Scientiarum Berolinenſis, itemque Acad. Nat. Cur. & Inſtituti Bononienſis, Socio, una cum brevi Præfatione de eadem Disquiſitione; jam, quoniam Transactiones Philoſophicæ Anglicanæ in paucorum manus veniunt, Germanice verſæ, publiceque editæ, a Cultore Hiſtoriæ Naturalis.

Dreſdæ, apud Gottlob Chriſtianum Hilſcherum, 1736, 4. Plag. 16½.

In Commentariis Britannicis, quos vulgo Transactiones Philoſophicas vocant, A. 1724 & 1725 editis, exſtant Obſervationes duæ de Ambra gryſea, quibus contenditur, Ambram eam ad regnum animale pertinere, & in quodam balænarum genere, in quo etiam ita dictum ſperma ceti reperitur, eſſe detectam. Utræque hic etiam ſub litera A & B exhibentur. Perperam vero eam ita dici, evincit Cel. *Neumannus* in Commentatione ad Societatem Scientiarum Londinenſem, ut in ejusdem Commentariis publicaretur, miſſa, qua Ambram regno minerali vindicat. Pauca de nomine Ambræ præfatus, varias de ortu ejus ſententias recitat. Fuit, qui in aere eam generari putaret. Nonnulli eam ad regnum animale retulerunt, & vel ſtercus avis cujusdam, vel apum favum, eſſe ſibi perſuaſerunt. Alii, in regno vegetabili primas ejus origines quærendas eſſe rati, vel gummi, vel reſinam ex incognita quadam arbore; *Averroes* ſpeciem Camphoræ; quidam fructum aliquem eſſe contenderunt. Denique & mari ejus natalis locus tribuitur, quando nonnulli dixerunt, eſſe fungum, in fundo maris ſuccreſcentem, alii maris ſpumam, alii Sperma ceti, alii jecur piſcis cujusdam eſſe, complures in piſcibus reperiri credunt, qui tamen poſteriores iterum miris modis in ſententiarum divortia disſcinduntur. Opiniones has vel refutat Noſter, vel, ubi earum falſitas per ſe ſtatim patet, ne refutatione quidem dignas cenſet. Illud certum eſt, Ambram a varii generis piſcibus, præcipue balænis, abſorberi, ſed evomi deinde,

deinde, aut cum excrementis ejici, interdum etiam retineri. Ideo autem in piſcibus non generatur, quod in Obſervationibus præcipue Commentariorum Britannicorum traditur, quaſi ſcilicet Ambra tale eſſet recrementum animale, ut Caſtoreum in Caſtore, Lapis Bezoardicus in animali ſuo. Summam harum utrarumque obſervationum Noſter enarrat, in quibus inter ſe conveniant, in quibus vero etiam a ſe invicem diſcrepent, oſtendit, &, ſubductis rationibus, exiſtimat, id ipſum corpus, quod in his obſervationibus pro Ambra vera venditatur, calculum veſicæ balænæ, & liquorem in cyſtide obvium valde olentem eſſe ejusdem urinam. Idque cum variis argumentis confirmat, tum vel eam præcipue ob cauſam Ambram eſſe corpus animale negat, quoniam animal, vel integrum, vel quæcunque ejus pars, maxime in deſtillatione per ſe facta, vel ſpiritum empyrevmaticum urinoſum, vel ejusmodi phlegma, vel oleum animale fœtidum, vel ſimul ſal volatile urinoſum, &, ſi non hæc omnia, tamen unum alterumque, fundat, vel ſaltem veſtigium liquoris urinoſi, aut olei animalis empyrevmatici, ſuggerat, quorum tamen nullum ex Ambra pura & ab omnibus inquinamentis libera ignis vi extorqueatur. Qui regno minerali aſſignant Ambram, vel terram eſſe autumant, vel ſulphur verum, vel bitumen. Et, qui pro bitumine habent, in varias opiniones abeunt. Celeberrimi itaque Autoris noſtri ea eſt ſententia, Ambram gryſeam perinde atque atram ex terra in mare derivari, idque ſub ſpiſſa, flexili, &, quantum conjectura aſſequi licet, ſæpius glutinoſa adhuc, conſiſtentia; gryſeæ primam originem ignorari adhuc, ſub ipſa tamen bitumen concurrere, vel ejus mixtionem ingredi, & magnam quidem illius molem ſimul ſemelque generari poſſe, utplurimum tamen in principio parum una vice exoriri, ſuper parva vero ea molecula novas particulas ſtrati in formam accreſcere, atque hinc figuram nunc longam, nunc rotundam, adeoque inæqualem, nanciſci. Sub ipſa autem formatione fluidam eſſe hanc maſſam, ut variæ res ei inhæreſcant, temporis tamen progreſſu pedetentim ad ceræ circiter usque conſiſtentiam indurari. Poſtquam deinceps de loco natali, unde advehitur, ingentibus ſæpe Ambræ fruſtis, quorum

Digitized by Google

quorum hinc inde fit mentio, de variis ejus ſpeciebus, de notis Ambræ optimæ, & de examine Ambræ ſpuriæ & adulteratæ, egit, Ambram gryſeam, contendit, eſſe bitumen, & proxime ad ſuccinum accedere. Uſum quoque breviſſimis attingit, de eſſentia Ambræ autem copioſius diſputat. Et, quoniam tantum non ab omnibus fuit negatum, Ambram in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolvi, præclare commonſtrat, id omnino fieri poſſe, ſi in ſpiritum vini rectificatiſſimum vel tartariſatum pars duodecima Ambræ gryſeæ, in fruſta minutim confractæ, immittatur, atque ita digeratur, ut pedetentim incaleſcat ſpiritus, donec tandem plane ebulliat, quæ unica veræ ſolutionis encheireſis eſſe Autori videtur, qui & multa alia egregia circa hanc ſolutionem monet. Poſtquam hæc Commentatio, quæ litera *C* diſtinguitur in libello hoc noſtro, ad Societatem Londinenſem miſſa fuit, varias in eam objectiones Illuſtris ejus Præſes, *Sloanius*, & celebris Chymicus, *Godofredus*, moverunt, maxime quod nullum ſal ſali ſuccini ſimile ex Ambra impetrari, nec proinde ipſa Diſquiſitio in Commentariis publicari queat. Utriusque Epiſtola ſub litera *D* excerpta exſtat. His Cel. *Neumannus* reſpondit, ut ſub litera *E* videre licet, effecitque adeo, ut nunc opellæ iſti in aliqua Commentariorum parte locus fuerit aſſignatus.

ERASMI STELLÆ LIBANOTHANI Interpretamenti Gemmarum Libellus unicus; PLINIUS SECUNDUS de Gemmis.

Erfordiæ & Lipſiæ, apud Carol. Frid. Jungnickolium, 1736, 4. Plag. 8½.

Autor hujus libelli, *Eraſmus Stella*, alias *Stueler*, a patria ſua, Libanotha Miſnenſium, cognominatus, Medicus fuit Phyſicusque clariſſimus, & Cygneæ Conſul. Libellus hic primum A. 1517, in 4, Norimbergæ, ſecundum vero in charta octuplicata,

cura *Henrici Seyboldi*, A. 1530 prodiit, cui *Plinius Secundus* de iiſdem Lapidibus ob argumenti cognationem fuit adjectus. Sunt in altera hac editione, quæ in priori non exſtant. Sunt vero & in priori quædam, quæ in altera omittuntur. Cum libellus rariſſimus ſit factus, ut in inſtructiſſimis magnorum Principum Bibliothecis noſtro hoc ævo tantum inveniatur, ex duabus his editionibus tertiam conflavit Cl. *Brückmannus*, rerum naturalium ſcientiſſimus. *Pars* I agit de gemmis candidis, II de viridibus, III de rubeis, IV de cœruleis & nigris. Acceſſit & *Plinii Secundi* de gemmis ſegmentum. Tractat vero Autor hoc argumentum pro doctrina ſeculi ſui, & *Theophraſti* inprimis atque *Plinii* veſtigiis inſiſtit, ſermone uſus, non inculto & obſcuro, ſed facili, & ſatis caſtigato. Notitiam hanc perbrevem accuratamque ipſe Cl. Editor appellat, cujus in his rebus judicium plurimum omnino valet. Plura dicere non attinet.

EDUARDI CORSINI INSTITUTIONES Philoſophicæ, ad uſum Scholarum piarum.

Tomus IV & V.

Florentiæ, 1733 & 1734, 8.

Alph. 2 plag. 15, Tabb. æn. 2.

Duo priora *Volumina* hujus libri jam alio loco (*Supplem. ad Nova Acta Tom. I Sect. V pag.* 218) recenſuimus atque laudavimus. Nunc de *quarta* & *quinta Parte* pauca dicenda ſunt. Illa Phyſicam particularem, ſive Tractatum de anima, porroque Metaphyſicam; hæc Ethicam, ſive Philoſophiam moralem, complectitur. Clariſſimus Autor, inſtitutum ſuum methodumque perſequens, Phyſicam particularem quatuor diſputationibus abſolvit: quarum una de animæ nomine, natura, & ſpeciebus; altera de anima vegetativa, ſive de plantis; tertia de anima ſenſitiva, ſive de brutis; quarta de anima rationali, ſive de homine, agit. Metaphyſices, quæ, poſt Matheſin & Phyſicam, pro

pro tertia Philoſophiæ parte numeratur, tres ſunt diſputationes, ad hunc modum inſcriptæ: de Ente, vel Ontologia; de Spiritibus, ſive Pnevmatologia; de Deo, ſive Theologia. Denique Ethices ſunt partes, ſeu diſputationes, quatuor, hujus argumenti: de ultimo fine, ſummo bono, vel felicitate hominis; de actibus humanis; de virtutibus & vitiis; de variis hominum officiis. Cum pleraque exemplaria Operis hujus ſane egregii jam ſint diſtracta, novam ejus editionem multo nitidiorem uberioremque Nobiliſſimus *Corſinius* nunc meditatur.

SAGGIO DELLA FILOSOFIA DEL SIGN. NEWTON &c.

h. e.

SPECIMEN PHILOSOPHIÆ NEWTONIANÆ, luculenter expoſitum ab HENRICO PEMBERTONO; cum Diſſertatione ejusdem de vi corporum motorum.

Venetiis, apud Franciſcum Storti, 1733, 4.
Alph. 1 plag. 8, Tabb. æn. 12.

Recenſuimus hoc Opus, ab *Henrico Pembertono* lingua Anglicana conſcriptum, in *Actis Anni* 1730 *pag.* 337. Præſens verſio Italica id habet præcipuum, quod adjecta eſt Diſſertatio, ab eodem *Pembertono* in Actis Philoſophicis Anglicanis exhibita, de dimetienda vi corporum motorum: in qua demonſtrare Autor conatur, ſententiam *Leibnitii* omnino abſurdam eſſe, experimentumque illud celebratiſſimum, quod Vir Cl. *Polenius Leibnitio* favere docuit, ſi accurate examinetur, non modo vulgari ſententiæ non adverſari, ſed eam ipſam egregie confirmare. Reſponſum eſt *Pembertono* a *Polenio* ſingulari Diſſertatione Latina: cujus quoque compendium præſenti libro adjicere, Editoribus viſum fuit. Magnos hos in arte ſua Viros inter ſe pugnantes videre, & graviſſimas utriusque rationes expendere, nemini non Lectorum jucundiſſimum futurum eſt.

HISTORIA FAMILIÆ SACRÆ, EX ANTIQUIS monumentis collecta, opera ANTONII SANDINI, J.U.D. & in Seminario Patavino Bibliothecæ Cuſtodis.

Patavii, apud Johannem Manfrè, 1734, 8.
Alph. 1.

Eſt hæc Hiſtoria inter rogantem & reſpondentem diviſa, cujus eam rationem tenuit Cl. *Sandini*, ut primo narraverit de *Chriſto* Domino, humani generis Servatore, deinde de Maria virgine, ejus matre, poſtremo de *Joſepho*, ejus patre, virginis ſponſo. Uti ſe, ait, ſæpiſſime in narrando verbis ipſis hominum veterum ac Patrum graviſſimorum, quod horum ſermo plus habeat autoritatis & gravitatis, ſeque iis ipſis in locis cæcutire fatetur, in quibus alios parum eſſe arbitretur perſpicaces. De *Chriſto* diligenter conquiſivit, quæ reperire potuit. *Cap.* I, de conceptione & nativitate *Chriſti*, conceptum eſſe, dicit, Servatorem die 25 Martii, Nazarethi, ſive in *Mariæ*, ſive in *Joſephi* domo; hiſtoriolam de caſa *Mariæ*, Sec. XIII ad finem exeunte, Chriſtianis Palæſtina expulſis, a fundamentis avulſa, tandemque in ſylva fœminæ Laurettæ, unde Laurettina *Maria* nomen traxerit, conſidente, Scriptorum quippe ejusdem ætatis teſtimoniis, & Pontificum decretis, confirmatam, veriſſimam eſſe. Multa deinceps alia affert, quæ teſtimoniis non ita firmis roborantur: vix autem quidquam eorum, quæ de *Chriſto* poſſunt dici, omiſit. Egit itaque diſtinctis Capitibus de conceptione & nativitate *Chriſti*, ejus circumciſione, præſentatione in templo, & fuga in Ægyptum, deque infantibus ab *Herode* interfectis; de inſtituto vitæ ejus, usque ad annum ætatis 30, qua ætate parentibus præſto fuerit, ac præſertim *Joſepho* in arte fabrili, id quod *Sandini* probabile opinatur; de ejus baptiſmo, jejunio & tentatione, ratione victus & veſtitus poſt baptiſmum, & paupertate, quam tantam judicat, ut mendicare coactus fuerit; petiiſſe enim

enim eum ab aliis hoſpitium, idque fuiſſe genus aliquod mendicitatis; porro de miraculis *Chriſti*, de ejus prædicatione, de Paſchatis a *Chriſto* celebratis, & eucharistia ab ipſo inſtituta; de paſſione, morte, & ſepultura *Chriſti*, de ejus tortoribus & latronibus, cum eo crucifixis; de inſtrumentis paſſionis ac mortis *Chriſti;* de ejus reſurrectione & adſcenſu in cœlum; de forma ejus ac ſtatura corporis, de ſtatua, *Chriſto* poſita in urbe Paneade ab hæmorrhouſa; de imaginibus ejus, non manu factis. Harum primam eſſe, ait, quam *Chriſtus* miſerit ad *Abgarum*, Regem Edeſſenorum, ſui videndi cupidum, ſecundam haberi ſudarium *Berenices*, ſeu *Veronicæ*, tertiam ſanctiſſimam ſindonem illam, quæ, nudo corpori *Chriſti* demortui circumpoſita & faſciis ligata, jacentis in ſepulchro imaginem exhibeat. Quæ fabulas redolent, quicquid *Sandini* demum ex antiquitate deprehendiſſe ſibi videatur. Agere pergit de ſcriptis & dictis *Chriſti*, inprimis Epiſtola ad *Abgarum*, quæ genuina Noſtro exiſtimatur; de Scriptoribus profanis, qui *Chriſti* mentionem fecerunt, *Suetonio Tranquillo*, *Cornelio Tacito, Ælio Lampridio. Joſephi* quoque teſtimonium affert de *Chriſto*, quod an genuinum ſit, dubitatur. Oracula defeciſſe, ex teſtimonio *Plutarchi* in libello de Oraculorum defectu commemorat. *Baronium*, dicit, qui alioqui ſatis credulus ſit, aſſenſum ſuum in hac quæſtione ſuſpendere.

Pergit deinde ad *Mariam* virginem, *Chriſti* matrem, agitque de iis omnibus & ſingulis, quæ ad *Mariam* attinere, eſt arbitratus. Aſſumtionem B. Virginis cum carne probabilem opinatur, dubitantibus licet de eadem antiquis eccleſiæ doctoribus; an ſcripſerit illa ad *Ignatium* Martyrem, aliosve, ipſi *Baronio* dubium videri.

Annectit tandem tractationem de *Joſepho*, virginis *Mariæ* ſponſo, *Chriſti* patre, quem virum juſtum Hiſtoria evangelica deſcribit; fabrum fuiſſe, & quidem lignarium, credit, reclamantibus licet *Juſtino* Martyre, *Hilario*, aliisque. Locus ille, quem *Sandini* ex *Juſtini* Dialogo adducit, in verſione Latina quidem habet: *cum Jeſus fabri lignarii filius haberetur*, &c.

ſed in textu Græco non habetur alia vox, niſi τέκταν, quæ & fabrum ferrarium ſignificat, & fabrum lignarium. *Joſephum*, putat, cum *Mariam* duceret uxorem, octogeſimum atque eo amplius annum attigiſſe, teſte *Epiphanio* Hæreſ. LXXVIII §. 8. Quæ affert reliqua, aut ex Hiſtoria Evangelica ſunt perſpecta, aut admodum incerta.

FRATRIS HYACINTHI SERRY, PRIMARII Theologi Patavini, Animadverſiones anticriticæ in Hiſtoriam ſacræ familiæ, ab ANTONIO SANDINI, J. U. D. noviſſime ſcriptam.

Pariſiis, apud Antonium Dezallier, ſub ſigno coronæ, 1735.
Plag. 9.

In Præfatione teſtatur Autor, poſt annos circiter quadraginta in Theologica palæſtra inſumtos, conſtituiſſe ſe, non ultra literariis concertationibus immiſceri: revocari tamen in aciem ab *Antonio Sandini*, Hiſtoriæ ſacræ familiæ noviſſimo ſcriptore, qui, quacunque poſſit, occaſione ſe provocet & inſectetur, Exercitationesque ſuas hiſtoricas, ante annos quindecim publicatas, inconſultis cenſuris inurat, prodatque exulceratum in ſe unum animum, quique ex ſui impugnatione gloriolam colligat apud ſuos, eodemque conſilio Animadverſiones anticriticas ipſi oppoſuiſſe, quibus, cenſuras illius omnes notasque criticas futiles, caſſas, irritas eſſe, probari debeat.

Cap. I, de loco *Chriſti* naſcentis, tuetur, *Chriſtum* extra Bethlehemum eſſe natum, quod fateatur *Juſtinus*, & confirment recentiores, oſtenditque ſimul, *Sandinum* mentem *Juſtini* minus recte intellexiſſe; vertendum enim eſſe: *Cum puer naſceretur*, hoc eſt, *inſtaret natalis hora in Bethlehem*, &c. quæ de bove & aſino dicat, dudum a *Tillemontio* eſſe diſpuncta in quinta Annotatione ad vitam *Chriſti* Domini.

Cap. II, de paſtoribus, ad *Chriſtum* natum venientibus, tres tantum fuiſſe, probaſſe ſe, profitetur. *Caſaubonum*, licet ex antiquo Codice MSto quatuor referat nominatim, hiſtoriolæ huic derogare fidem, licet non adeo definiat, quot illi numero

Digitized by Google

numero fuerint. Sic Capitibus reliquis diverſi generis quæſtiones, easque particulares valde, pertractat.

Cap. III, de magis, *Chriſti* recens nati adoratoribus, hos Reges fuiſſe, cum Reges non appellentur, & *Herodes* illos alloquatur tanquam inferioris conditionis homines, negat.

Cap. IV, de *Simone Cyrenæo*, crucem Domini bajulante, errorem credit, ſi quis dixerit, ambos fatale lignum ſociis portaſſe humeris, *Chriſto* præeunte, & partem ſuperiorem ferente, ſequente vero *Simone*, partem infimam bajulante, cum reclament Eccleſiæ Patres & contextus Evangeliorum ſacrorum, parallelismus etiam aliam longe interpretationem requirat.

Cap. V de Bruttiis agit, *Chriſti* crucifixoribus atque tortoribus, quos tales accuſat *Serry*.

Cap. VI, de milite, *Chriſti* latus lancea aperiente, hunc minus putat dicendum eſſe *Longinum*, illumque errorem ex ſiniſtra Græci textus intelligentia eſſe natum.

Cap. VII, de latrone pœnitente, in rebus minoris momenti & diſputatione vix dignis verſatur.

Cap. VIII, de prima *Chriſti* reſurgentis manifeſtatione, hanc factam eſſe *Mariæ Magdalenæ*, non virgini Deiparæ, nos docet. In quo nititur *Marci* teſtimonio, Cap. XVI ſcribentis: *Surgens mane Chriſtus prima Sabbathi, apparuit primo Mariæ Magdalenæ* &c.

Cap. IX, de humana oris corporisque forma *Chriſti* Domini, ejusque virginis matris, *Nicephoro* fidem ſe habere poſſe, negat, aut ullam *Chriſti* Domini corporis formam definiri poſſe, eo quod ad hunc usque diem non exſtent, quæ fuerint illius imagines, aut ære fuſæ, aut coloribus pictæ; certoque non conſtet, fuiſſe illas ad vivum expreſſas. Ex eadem ratione de imagine virginis *Mariæ*, ad vivum expreſſa, dubitat.

Cap. X, de Edeſſena *Chriſti* Domini imagine, hanc dubiam credit.

Cap. XI, de imagine *Veronica* vulgo dicta, hanc in incerto relinquit; cum, in piis illis mulieribus unam exſtitiſſe *Veronicam* nomine, ſileant veteres.

Cap.

Cap. XII, de nominibus genitorum B. Virginis, *Joachimo* & *Anna*, hæc incerta eſſe affirmat. Adde *Cap.* XIII.

Cap. XI, de anno, quo Deipara votum virginitatis emiſit, hoc ſolummodo notat, ſi *Maria* virginitatem voviſſet, conſentientibus parentibus, illud ante ætatem anni XI, qua parentes *Mariæ* jam fuerint morte ablati, fieri debuiſſe: id quod quam parum veritati conveniat, expendendum aliis relinquit.

Cap. XV, de virgine, artem honeſtam ad quæſtum exercente, virginem ſenſu honeſto *quæſtuariam* dictam fuiſſe *Tertulliano* & *Hieronymo*, oſtendit.

Cap. XVI, de morte Deiparæ, verſatur circa vindicias injuriæ, *Epiphanio* illatæ, quam ab ſe commiſſam negat.

Cap. XVII, de ſepulchro B. Virginis, Hieroſolymis poſito, id dubium eſſe, ideo credit, quod nemo veterum hujus ſepulchri meminerit, primusque omnium mentionem illius fecerit *Beda*, octavo Seculo vertente, libro de locis ſanctis Cap. VI.

Cap. XVIII & ultimo, de ſepulchro B. Virginis Epheſi poſito, id veriſimile exiſtimat.

Adjecit Mantiſſam ad Animadverſiones anticriticas Actorum literariorum Venetorum, queriturque de illorum imputatione, qua ipſe Adverſarium acrius, quam par fuerat, confutaſſe, multaque reliquiſſe inſoluta ac prorſus intacta, arguatur, ſingulaque deinde non adeo magni momenti percenſet, hunc in modum concludens: Viderit Venetorum Collectorum ſcriba, an non vulgatum Poetæ dictum ſummo ſuo & *Sandini* damno probarit:

Sanando fieri quædam majora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigiſſe fuit.

INDEX AUTORUM,
quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recenſentur.

I. Libri

I. *Libri Theologici, & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

Anonymi Spiritus eccleſiæ in recitatione completorii. 334
de primis ſcientiarum elementis, ſeu Theologia naturalis, methodo quaſi mathematica digeſta. 435
Ballerinii (*Petri*) *Epiſtolæ quatuor Theologo-morales adverſus Diſſertatorem S. J.* 178
Brinchii (*Petri*) *Philologia ſacra Veteris & Novi Teſtamenti.* 36
Canali (*Bened. Angeli Mariæ*) *Doctrina catholica de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis.* 201
Cardi (*Pauli Mariæ*) *Ritualis Romani documenta de exorcizandis obſeſſis a dæmonio.* 229
Carpovii (*Jac.*) *Revelatum Sacroſanctæ Trinitatis myſterium methodo demonſtrativa propoſitum.* 138
Ceillierii (*Remigii*) *Hiſtoria generalis Autorum ſacrorum & Eccleſiaſticorum. Tomus II.* 71
Tomus III. 106
Tomus IV. 196
Clant (*Anton.*) *Scriptionum Biblicarum Diſſ. I, de Labro tabernaculi.* 468
Corazzæ (*Cajetani*) *de Conſcientia, & de peccatis, Tract.* 417
Daſeri (*Lud. Herculis*) *Auguſtiniana Decalogi diviſio ſtabilita & vindicata.* 83
Dawes (*Guil.*) *Opera. Tomi III.* 246
Fidalmi (*Donini*) *Conceptionale Biblicum Anagrammaticum.* 95
Fiſcheri (*Jo. Chriſtiani*) *de Obligatione hominis ad religionem & naturalem & revelatam.* 429
Georgii (*Ignatii*) *D. Paulus Apoſtolus in mari, quod nunc Venetus Sinus dicitur, naufragus.* 290
Glæſeneri (*Juſti Martini*) *Diſſ. de Demonſtratione Spiritus S. Jeſum eſſe verum Meſſiam.* 182
Diatribe de R. Simeone, filio I Joachi, Autore libri Sohar. 478
Grotii (*Hugonis*) *Opera omnia Theologica. Tomi IV.* 97
Hanſenii (*Petri*) *Solida conſideratio doctrinæ Evangelico-Lutheranæ de Confeſſione.* 419

Hoffmanni (*Chriſt. Godofr.*) *Nova Scriptorum ac Monumentorum, partim rariſſimorum, partim ineditorum, Collectio. Tomus II.* 160

Honorati *Maſſilienſis* & Proſperi *Aquitani Opera, cum Notis & Obſervationibus* Jo. Salinas. 17

Du Jardin (*Thomæ*) *Brevis Inſtructio de Officio Sacerdotis, qua Judicis & Medici, in Sacramento pœnitentiæ.* 44

Jephſoni (*Alexandri*) *Veritas ac autoritas optimi Servatoris noſtri miraculorum defenſa.* 181

Jœcheri (*Chriſt. Gottl.*) *Examen paralogiſmorum Thomæ Woolſtoni de miraculis Chriſti.* 98

Kappii (*Jo. Erh.*) *Spicilegium quorundam, maximam partem ineditorum, & Hiſtoriam Reformationis Lutheri illuſtrantium, Documentorum. Pars I & II.* 316

Pars III & IV. 374

Kochii (*Chriſtiani Gottlieb*) *de Confeſſione & abſolutione privata in Eccleſia primæva & Evangelico-Lutherana.* 418

Laderchii (*Jac.*) *Annales Eccleſiaſtici Oderici Raynaldi continuati. Tomus XXII.* 145

Langii (*Joachimi*) *Lux & Jus Evangelicum, ſeu juſta Exegeſis quatuor Evangeliſtarum & Actorum Apoſtolicorum.* 13

(*Caroli Henr.*) *Obſervationum Philologicarum in Novum Fœdus ex Euripide collectarum Proluſio.* 141

Lardneri (*Nathan.*) *Fides Hiſtoriæ Evangelicæ.* 463

Lelandi (*Jo.*) *Reſponſio ad librum, cui titulus: Chriſtianiſmus æque antiquus, ac mundi creatio. Partes II.* 327

Lohneri (*Tobiæ*) *Inſtructio practica facilem & practicum modum exercitia ſpiritualia Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi.* 414

A Lugduno (*Pauli*) *Moralis Theologiæ ſpecimen.* 333

Miſcellanea Duisburgenſia. Tomi I Faſciculus III et IV. 46

Tomi II Faſciculus I et II. 233

Mœrlii (*Jo. Sigiſm.*) *Scholia philologica & critica ad ſelecta Sacri Codicis loca.* 475

Moshemii (*Jo. Laur.*) *Morum doctrina ſacræ Scripturæ.* 388

Orſi (*Joſephi Auguſtini*) *Diſſ. Apologetica pro Sanctarum, Perpetuæ, Felicitatis, & ſociorum Martyrum, orthodoxia.* 532

Phileleutheri Chriſtiani Religio Chriſtiana a naturali diverſa. Partes III. 329

Piccolominei *(Auguſtini Patricii) Liber ſacrarum cerimoniarum, quibus Romani Pontifices uti conſueverunt.* 160
Proſperi *Aquitani* & Honorati *Maſſilienſis Opera, cum Notis & Obſervationibus* Jo. Salinas. 17
Raupachii *(Bernh.) Auſtria Evangelica illuſtrata.* 537
Roell (*Herm. Alexandri) Commentarius in principium Epiſtolæ ad Epheſios. Pars* I. 129
Pars II. 207
Rollandi (*Auberti*) *Modus facilis reconciliandi animos ſuper difficultatibus, quæ ſpectant ad Bullam Unigenitus. Tomus* I. 349
Ruinarti *(Theodorici) Acta Martyrum.* 337
Sandi *(Jo. Bapt.) Lectiones in librum ſacrum Geneſios.* 497
Sandini *(Anton.) Hiſtoria Apoſtolica, ex antiquis monumentis collecta.* 183
Hiſtoria familiæ ſacræ, ex antiquis monumentis collecta. 547
Schœttgenii *(Chriſtiani) Horæ Hebraicæ & Talmudicæ in univerſum Novum Teſtamentum.* 150
Serry (*Hyacinthi) Animadverſiones anticriticæ in Hiſtoriam ſacræ familiæ, ab Ant. Sandini ſcriptam.* 550
Turretini (*Jo. Alphonſi*) *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Compendium a Chriſto nato usque ad annum 1700.* 224
Werneri *(Dan. Godofr.) Meditationes ſacræ, ad excitandam fidem, & formandam piam vitam.* 226
Wernsdorfii (*Gottlieb*) *Diſputationes Academicæ. Tomus* I. 411
Weſſelii *(Jo.) Diſſertationes Academicæ ad ſelecta quædam loca Vet. & Nov. Teſtamenti.* 491
Ziegelbaueri *(Magnoaldi) Acta, S. Stephani vitam complexa.* 313

II. *Libri Juridici.*

Anonymi Conſtitutiones Apoſtolicæ, & Decreta Conſiſtorialia, quæ jurantur a Cardinalibus, dum ad Cardinalatum promoventur. 289
Briſſonii *(Barnabæ) de Formulis & ſolennibus populi Romani verbis Libri VIII, ex ed.* Franc. Car. Conradi. 487
Fritſchii (*Godofr. Ern.) Jus publicum univerſale & pragmaticum.* 65
Hoffmanni *(Chriſt. Godofr.) Nova Scriptorum ac Monumentorum, partim rariſſimorum, partim ineditorum, Collectio. Tomus II.* 160

Pertſchii (*Jo. Ge.*) *Elementa Juris Canonici & Proteſtantium Eccleſiaſtici.* 497
Stapff (*Jo. Sigiſm.*) *Jus Naturæ & Gentium.* 393
Strubeni (*Dav. Georg.*) *de Jure Villicorum, vulgo von Meyerrecht.* 399
Tanucci (*Bernardi da Stia*) *Controverſia ſecunda de uſu antiquo Pandectarum, ac inventione famoſi Codicis MSti in oppido Amalfi.* 213

III. *Libri Medici, & Phyſici.*

Anonymi Acta Phyſico-Medica Academiæ Cæſareæ Naturæ Curioſorum Volumen III. 520
Diſcurſus medicus de Abortu, & medicamentis abortivis. 67
Medicina theologica. Tomi II. 115
Hiſtoria Academiæ regiæ Scientiarum A. 1725. 169
1726. 262
1727. 305
1728. 365
1729. 405
Miſcellanea Phyſico-Medico-Mathematica ad Annum 1730. 218
Encomium argenti vivi. 255
Hodegus nutricum, ſeu genuina methodus educandi infantes. 258
Apperley (*Thomæ*) *Obſervationes medicæ rationaler practicæ.* 357
De Bellemonto (*Morfuacii*) *Apologia pro beſtiis, & ipſarum notitia ac ratiocinatione.* 312
Bœrhaavii (*Hermanni*) *de Mercurio Experimenta.* 216
Syſtema de Morbis venereis, Gallice verſum a de la Mettrie. 503
Bottarii (*Jo.*) *Lectiones tres de terræ motu.* 220
Caji (*Jo.*) *de Rariorum animalium & ſtirpium hiſtoria Liber unus.* 299
Cartheuſeri (*Jo. Frid.*) *Amœnitates naturæ.* 362
Clauderi (*Gabr.*) *Schediaſma de Tinctura univerſali, vulgo Lapis Philoſophorum dicta.* 370
Crivellii (*Jo.*) *Elementa Phyſices. Pars I.* 459
Gazolæ (*Jo.*) *Præſervativa Charlataneria Medicorum falſi nominis.* 456

Goblii

Gohlii (*Jo. Dan.*) *Medicina practica, clinica & forenſis.* 304
S Graveſande (*Guil. Jac.*) *Orationes tres; prima de Matheſeos in omnibus ſcientiis, præcipue in phyſicis, uſu; &c.* 165
Hahnii (*Sigiſm.*) *Schidia Cyrtonoſi.* 123
(*Jo. Godofr.*) *Epiſtola, Cyrtonoſi, quæ Gliſſonio Rhachitis eſt, tabulas aliquot antiquas exhibens.* ibid.
Hambergeri (*Georg. Erh.*) *Elementa Phyſices, methodo mathematica conſcripta.* 75
Harenbergii (*Jo. Chriſtoph.*) *Cogitationes de Vampiriis, ſeu ſanguiſugis mortuis.* 89
Henkelii (*Jo. Frid.*) *Idea generalis de lapidum origine.* 260
Kleinii *Deſcriptiones tubulorum marinorum.* 120
Langii (*Caroli Nic.*) *Appendix ad Hiſtoriam lapidum figuratorum Helvetiæ.* 461
Michelii (*Petri Anton.*) *Nova plantarum genera juxta Tournefortii methodum diſpoſita.* 301
Neumanni (*Caſp.*) *Lectiones publicæ de quatuor ſubjectis diæteticis, Thea, Caffea, Cereviſia, & Vino.* 503
Diſquiſitio de Ambra gryſea. 542
Ranfti (*Mich.*) *de Maſticatione mortuorum in tumulis libellus.* 91
Rothſcholtzii (*Frid.*) *Bibliotheca chemica.* 403
Schrœckii (*Lucæ*) *Hygeia Auguſtana.* 447
Short (*Thomæ*) *Diſſ. de Thea.* 359
Stellæ (*Eraſmi*) *Interpretamenti gemmarum Libellus unicus.* 545
Tralles (*Balthaſ. Ludov.*) *de Vena jugulari frequentius ſecanda.* 28
de Virtute Camphoræ refrigerante, ac internis corporis humani incendiis reſtinguendis aptiſſima. 163
Werlhof (*Pauli Gottlieb*) *Actorum Medicorum Edinburgenſium Specimina duo, de Medicamento alterante ex Mercurio, & de Aurigine, ex Anglico Latine converſa.* 402

IV. *Libri Mathematici.*

Anonymi Hiſtoria Academiæ regiæ Scientiarum A. 1725. 169
1726. 262
1727. 305
1728. 365
1729. 405

Anonymi Miſcellanea Phyſico-Medico-Mathematica ad Annum 1730. 218
Domickii *Philoſophia mathematica Newtoniana illuſtrata.* 222
S'Graveſande (*Guil. Jac.*) *Orationes tres; prima de Matheſeos in omnibus ſcientiis, præcipuæ in phyſicis, uſu; &c.* 165
Horrebowii (*Petri*) *Atrium Aſtronomiæ.* 69
Templeman (*Thomæ*) *Novus conſpectus globi.* 175

V. *Libri Hiſtorici, Geographici, &c.*

Anguli (*Petri del Callejo*) *Deſcriptio Inſulæ Siciliæ.* 23
Anonymi Memoriæ Ducis de Villars, Paris Franciæ. 20
Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum A. 1725. 169
1726. 262
1727. 305
1728. 365
1729. 405
Elogium Gilberti Burneti, Epiſcopi Saliſburienſis. 185
de Libertate ſummi in M. Britannia Senatus. 355
Bakeri (*Rich.*) *Chronicon Regum Angliæ, continuatum ab* E. Phillipſio. 49
Bruckeri (*Jac.*) *Hiſtoria Philoſophica, erotematice propoſita, Pars VI & VII.* 427
Hiſtoria vitæ Adolphorum Occonum. 447
Catrou & Rouille *Hiſtoria Romana. Tomus XVII.* 344
Tomus XVIII. 441
Ceillierii (*Remigii*) *Hiſtoria generalis Autorum ſacrorum & Eccleſiaſticorum. Tomus II.* 7
Tomus III. 106
Tomus IV. 196
Dugdale (*Guil.*) *Antiquitates Comitatus Warwicenſis.* 385
Ficoronii (*Franciſci*) *Memorabilia maxime ſingularia Romæ ac viciniæ.* 277
Epiſtola de Sardonyche, vultum Marcelli, nepotis Auguſti, exhibente. 282
Gordonii (*Alexandri*) *Itinerarium Septentrionale. Partes II.* 529
Harenbergii (*Jo. Chriſtoph.*) *de Lothario illo II, cujus reſpectu Lotharius Saxo ſeſe appellavit tertium Romanorum Regem.* 237
Hoffmanni (*Chriſt. Godofr.*) *Nova Scriptorum ac Monumentorum, partim rariſſimorum, partim ineditorum, Collectio. Tomus II.* 160

Innes

Innes (*Thomæ*) *de Antiquiſſimis M. Britanniæ partis Septentrionalis incolis. Tomi II.* 296
Jordani (*C. E.*) *Hiſtoria itineris literarii, A. 1733 per Galliam, Angliam, atque Bataviam, facti.* 272
Mariani (*Franc.*) *Brevis notitia antiquitatum Viterbii.* 335
Maſſueti (*P.*) *Hiſtoria Regum Poloniæ.* 58
Nerlii (*Phil.*) *Commentarii rerum civilium, a Florentinis ab A. 1215 usque ad 1537 geſtarum.* 387
De Oddis (*Longari Ignatii*) *Vita Principis Auſtriacæ, Sororis Margarita de Cruce.* 22
Orlendii (*Franciſci*) *Orbis ſacer & profanus illuſtratus. Pars I.* 1
Partis II Volumen I. 52
Volumen II. 338
A Pary (*Agatini*) *Relatio de ſtatu Siciliæ politico.* 23
Paſſi (*Barthol. Ant.*) *Hiſtoria vitæ, martyrii, & miraculorum S. Joannis Nepomuceni.* 452
Pfeffingeri (*Jo. Frid.*) *Hiſtoria domus Sereniſſimæ Brunſuico-Luneburgicæ usque ad annum 1733. Pars III.* 443
Reidii *Compendium ex Iſ. Newtoni Chronologia regnorum veterum.* 76
Richteri (*David.*) *Genealogia Lutherorum.* 268
Schwarz (*Ignatii*) *Inſtitutiones hiſtoricæ.* 26
Scifelli (*Dominici*) *Diſſ. Chronologica de quarta mundi ætate.* 127
Tægii (*Franciſci*) *de Obſidione urbis Ticinenſis, & captivitate Franciſci I, Regis Galliæ.* 384
Templeman (*Thomæ*) *Novus conſpectus globi.* 175
Valſechii (*Virginii*) *Compendium vitæ B. Catharinæ de Riccis.* 446
Wideburgii (*Frid.*) *Origines & antiquitates Marggraviatus Miſnici.* 473

VI. *Libri Miſcellanei.*

Anacreontis *Opera, ex ed.* Mich. Mattarii. 193
Anonymi Alciphron, ſive Philoſophus minutus, ſeptem Dialogis comprehenſus. Tomi II. 135
Bibliotheca theatrorum. 454
Principia ſermonis Græci, juxta methodum recentiorum, quæ vulgo Welleriana dicitur. 480
Cogitationes de Poeſi, generatim ſpectata. 526

De

De Bellemonto (*Morſuacii*) *Apologia pro beſtiis, & ipſarum notitia ac ratiocinatione.* 312
Borghini (*Raphael.*) *Otium.* 35
Briſſonii (*Barnabæ*) *de Formulis & ſolennibus populi Romani verbis Libri VIII, ex edit.* Franc. Car. Conradi. 487
Brunings (*Chriſtiani*) *Compendium Antiquitatum Græcarum, e profanis ſacrarum.* 136
Buffierii (*P.*) *Curſus ſcientiarum, principiis novis ac ſimplicibus ſuperſtructus.* 60
Caji (*Jo.*) *de Canibus Britannicis Liber unus, & alia Opuſcula.* 299
Ciceronis (*Q. Tullii*) *Commentariolum ad Marcum Fratrem, cum Notis* Jac. Facciolati. 77
(*M. Tullii*) *Tuſculana de contemtu mortis, & Somnium Scipionis, Gallice reddita opera* de Olivet. 382
Clarendonii (*Eduardi*) *Collectio variorum Tractatuum.* 433
Corſini (*Eduardi*) *Inſtitutiones philoſophicæ. Tomus IV et V.* 546
Facciolati (*Jac.*) *Animadverſiones criticæ in primam literam Latini Lexici Petri Danetii.* 79
Gautieri (*H.*) *Bibliotheca Philoſophorum atque eruditorum. Tomus III.* 235
S'Graveſande (*Guil. Jac.*) *Orationes tres; prima de Matheſeos in omnibus ſcientiis, præcipue in phyſicis, uſu; altera de evidentia; tertia de vera & nunquam vituperata Philoſophia.* 165
Hoffmanni (*Chriſt. Godofr.*) *Nova Scriptorum ac Monumentorum, partim rariſſimorum, partim ineditorum, Collectio. Tomus II.* 160
Le Jay (*Gabr. Franc.*) *Bibliotheca Rhetorum. Tomi II.* 251
Kühnholdi (*Chriſtiani Ern.*) *Centum & decem probata experimenta Oeconomica.* 33
Luciani *Dialogi ſelecti, cum ſcholiis* Eduardi Leedes. 194
Manelmi (*Evangeliſtæ*) *Vindiciæ trium Documentorum antiquorum tabularii regalis Cœnobii S. Juliæ intra Breſciam.* 371
Martene (*Edmundi*) & Urſini Durandi *veterum Scriptorum & monumentorum ampliſſima Collectio. Tomus VII–IX.* 481
Miſcellanea Duisburgenſia. Tomi I Faſciculus III et IV. 46
Tomi II Faſciculus I et II. 233
Mureti (*M. Ant.*) *Opera. Tomus II – V.* 112

Noriſii

Norisii (*Henr.*) *Opera omnia. Tomi IV.* 241
Orlendii (*Franciſci*) *Orbis ſacer & profanus illuſtratus. Pars I.* 1
Partis II Volumen I. 52
Volumen II. 338
Ovidii (*P. Naſ.*) *Epiſtolæ Heroidum, in Gallicos verſus translatæ ſtudio* Heretieriæ. 310
Pembertoni (*Henr.*) *Specimen Philoſophiæ Newtonianæ.* 547
Diſſ. de Vi corporum motorum. ibid.
De Quadros (*Didaci*) *Enchiridion, ſeu Manuale, Hebraicum. Partes II.* 332
Reineccii (*Chriſtiani*) *Janua Hebrææ linguæ Vet. Teſtamenti.* 470
Rollini *Supplementum ad tractationem de methodo docendi diſcendique meliores literas.* 471
Rothſcholtzii (*Frid.*) *Bibliotheca chemica.* 403
Sannazarii (*Jacobi*) *Poemata, ex edit.* Jo. Ant. Vulpii. 489
Schlægeri (*Julii Caroli*) *Diſſ. de Europæ raptu ex gemma antiqua.* 278
Diſſ. de Diana λυσιζώνα. 279
Schrœnii (*Wolfg. Adolph.*) *Syntagma de rebus ruſticis & œconomicis.* 176
Schwarzii (*Jo. Conr.*) *Correctiones locorum quorundam Joſephi.* 284
Vallettæ (*Joſephi*) *Epiſtola, qua Philoſophia hodierna & ejus cultores defenduntur.* 267
Venzky (*Georg.*) *Accentuatio proſaica Hebræorum.* 43
Vidæ (*M. Hieron.*) *Poemata omnia. Tomi II.* 155
De Voltaire *Templum guſtus.* 88
Wæhneri (*Andr. Georg.*) *Grammatica fundamentalis linguæ Ebraicæ.* 326
Woogii (*Mauritii Caroli Chriſtiani*) *Orationes & Panegyrici funebres.* 142

* *

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Abaillarti (*Petri*) *Rhythmus de Trinitate editur.* 487
S. Aberci *vita & ſcripta.* 8
Abortus *cauſa.* 68
contra eum quæ remedia valeant? ibid.

INDEX

Academiæ *Catanenſis laus & fata.* 24 ſeq.

Duisburgenſis Profeſſorum ſeries. 47

Colonienſis cum Imp. Maximiliano II lites. 150

Naturæ Curioſorum hiſtoria promiſſa. 526

Accentuatio *proſaica Hebræorum nova methodo tradita.* 43 ſeq.

de ea variorum ſententiæ. 86

Accentibus *Ebræorum an oratoria tantum vis ſit tribuenda?* 326

Acetum *frigore concentratum.* 406

Achates, *Chriſti in cruce morientis imaginem repræſentans.* 462

Acta *Apoſtolorum Commentario illuſtrata.* 14

Adamus *an vixerit ante animam a Deo inſpiratam?* 93

Adjuratio *quid ſit & quotuplex?* 229

Adriatici *maris limites & amplitudo.* 294

Ænigmata *picturarum an ad Rhetoricam ſint referenda?* 255

Africa *unde dicta?* 53

Agonalia *certamina unde?* 57

Agri *an ſine ſtercoratione in noſtris climatibus poſſint fœcundari?* 34

Agricolæ (*Jo.*) *ad Lutherum Epiſtola edita.* 377

S. Alexandri, *Archiepoſcopi Alexandrini, vita & ſcripta.* 197

Altilii (*Gabr.*) *Carmina edita.* 490

In Amalfitana *urbe an inventus ſit Codex Pandectarum?* 214 ſeq.

Ambra *gryſea regno minerali aſſerta.* 543 ſeq.

Ambt *vocis ſignificatio.* 401

Amplificatio *oratoria quæ ſit?* 253

Anacreontis *Opera denuo edita.* 193 ſeq.

metra examinata. 194

Angliæ *Chronicon Bakerianum denuo editum & continuatum.* 49

magnitudo & numerus incolarum. 175

Animalium *rariorum hiſtoria deſcripta.* 300

Animantia *an gaudeant ratiocinatione?* 313

Anonymi *quidam detecti.* 275

De Anſpachii (*Petri*) *Antitheſi Auguſtanæ Confeſſionis Obſervatio.* 380

S. Antonii *vita & ſcripta.* 199

Pedemontani vita & martyrium. 536

S. Apollinaris (*Claudii*) *vita & ſcripta.* 8

Apoſtoli *an fuerint maritati?* 184

Apoſtolorum *hiſtoria deſcripta.* ibid.

Aqua *ſubmerſi an ſolo aeris defectu moriantur?* 171

Aquæ *minerales Paſſienſes examinatæ.* 265

de Bourbon l'Archambaud examinatæ. 407

De Aquilejenſis *Patriarchatus origine Diſſ.* 246

Architecturæ *militaris difficillima opera*

opera analytice & geometrice tractata. 410
Arcimboldi (*Jo. Aug.*) *Aviſamenta edita.* 376
fata deſcripta. 377
Arcuum *in fornicibus & pontibus reſiſtentia.* 265
Argenti *vivi natura explicata.* 216
Ariſtotelis *philoſophia laudata.* 267
Arnobii, *Rhetoris, vita & ſcripta.* 109
Aſterii *Urbani vita & ſcripta.* 12
Aſtronomiæ *perfectio ex Phyſica haurienda.* 166
Athei *refutati.* 135
Atheiſmi *Anatomia, Poema Daweſii, laudatum.* 249
Athenagoræ, *Philoſophi Athenienſis, vita & ſcripta.* 9
Atheus *ad meliorem frugem reductus.* 143
Attici (*T. Pomp.*) *vita, & ſcripta deperdita.* 348
Auguſti *Imp. ingenium deſcriptum.* 441
Auguſtini *corpus an Ticini repertum?* 55
Auguſtiniana *decalogi diviſio vindicata.* 84 ſeq.
Auguſtiniani *Ordinis in Germania Vicarii recenſiti.* 379
Aurbachii (*Frid.*) *ad Conr. Clugum Epiſtola edita.* 325
In Auſtria *quæ religionis Evangelicæ fata fuerint?* 537 ſeq.
Auſtriaci *Scriptores recenſiti.* 538 ſeq.
S. Autperti (*Ambroſii*) *ſcripta nonnulla edita.* 486

B.

Bacchinius (*Bened.*) *refutatus.* 3
Baculus *paſtoralis Abbatum unde originem ducat?* 349
De Bajo (*Mich.*) *varia.* 150
Bakeri (*Rich.*) *Chronicon Angliæ denuo editum.* 49 ſeq.
Baldi, *JCti, vita.* 342
Bandini, *civis Piſani, vita.* ibid.
Baptiſmus *proſelytorum qualis fuerit?* 496
In Baptiſmo *an vinum loco aquæ adhibere liceat?* 206
Barbaræ *gentes nihilo infeliciores, quam politæ.* 64
Barbeyracius *laudatus.* 180
Barometrum *quomodo rectificandum?* 306
Barometri *mutationes an ſatis recte Leibnitio explicatæ?* 76
Baronii *Annales Eccleſiaſtici continuati.* 145
de eo judicium. 147
Bartoli, *JCti, vita.* 342
Baſnagius (*Sam.*) *refutatus.* 533 ſeq.
Battierii (*Jo. Rud.*) *Collectanea ex Philologia Hebraica edita.* 233
Beckeri (*Cornel.*) *de quibusdam editionibus Auguſtanæ Confeſſionis Epiſtola edita.* 377
Belemnitæ *deſcripti.* 122
Belgii *ordines a Socinianiſmi ſuſpicione liberati.* 101 ſeq.

Bella *an a Principibus Chriſtianis geri poſſint?* 324
Bellum *privatum an ſit illicitum?* 398
Benedicti XIII, *P. R. vita deſcripta.* 57
Berlichii (*Adam. Gottlob*) *Diſſ. de Medicina univerſali denuo edita.* 371
De Beza *judicium duriſſimum.* 149
Bianchini (*Franc.*) *elogium.* 411
De Bleſenſi (*Petro*) *varia.* 144
S. Bonifacii *Sermones XVI editi.* 486
De Bora (*Catharinæ*) *vita & ingenium deſcriptum.* 270
Borelli (*Petri*) *Bibliotheca Chemica ſuppleta & continuata.* 404
Borghinii (*Raph.*) *Otium denuo editum.* 36
Borracis *examen.* 407
Bovina *lues anni 1729 deſcripta.* 305
Brinchius (*Petr.*) *laudatus.* 37
Briſſonii (*Barn.*) *de formulis ſolennibus populi Romani Opus laudatum.* 488
vita. 489
Britanniæ *ſub Romanorum imperio ſtatus deſcriptus.* 529 ſeq.
Bruckeri (*Jac.*) *libri promiſſi.* 428
De Buchanano (*Ge.*) *judicium acerbiſſimum.* 149
Buhieri *in Tuſculanam Ciceronis primam Notæ laudatæ.* 383
Bulgarus, *JCtus, an fuerit civis Piſanus?* 342
Burchardi (*Jo. Balth.*) *de Judæis corruptionis Vet. Teſt. injuſte accuſatis Diſſ. edita.* 233
De Burgundione, *cive Piſano, varia.* 342
Ad Burmanni (*Caſp.*) *Hadrianum VI Supplementa edita.* 380
Burnetus (*Gilb.*) *refutatus.* 56
ejus vita & ſcripta. 185 ſeq.
Buſchii (*Herm.*) *ad Huttenum Epiſtola edita.* 323

C.

Cæſaris (*C. Jul.*) *res geſtæ deſcriptæ.* 345 ſeq.
Caffeæ *plantæ hiſtoria phyſica & medica.* 509 ſeq.
Caji, *Presbyteri Romani, vita & ſcripta.* 11
(*Jo.*) *Opuſcula conjunctim edita.* 299 ſeq.
In Calenbergicis *terris Evangelicæ religio privilegio confirmata.* 445
Camphoræ *virtus refrigerans.* 164
Canali (*Bened. Angel. Maria*) *laudatus.* 207
notatus. ibid.
Canes *Britannici deſcripti.* 300
Canones *Apoſtolorum quo tempore confecti?* 110
A Cardinalibus *novis quale juramentum præſtandum?* 289
Carneſechii (*Petri*) *exitus tragicus.* 149
Carteſii *philoſophia laudata.* 267
De Caſtelli (*Antonio*) *varia.* 202

Catanenſis *Academiæ laus & fata.* 24 ſeq.
Cataracta *oculorum deſcripta.* 171
De Catellis *Melitenſibus Diſſ.* 296
Cauda *cancri, lapis, deſcriptus.* 120 ſeq.
In Cephalalgia *venæ jugularis ſectio commendata.* 32
Cereviſiæ *natura & varia genera explicata.* 512
Cerifera *arbor in America.* 172
Cerimoniæ *curiæ Romanæ ſcriptis illuſtratæ.* 163
Charlataneria *Medicorum detecta.* 456 ſeq.
Chriſti *ſtemma Davidicum illuſtratum.* 234
Deitas an ex loco Joannis probari poſſit? 276
in cruce morientis imago in Achate repræſentata. 462
hiſtoria expoſita. 548 ſeq. 550 ſeq.
Chriſtiana *veritas ex ſolis Judæorum libris ſtabilienda.* 183
Chriſtianæ *religionis excellentia demonſtrata.* 136
De Chriſtianæ *religionis in Scotia progreſſu Commentatio promiſſa.* 299
Chriſtum *eſſe verum Meſſiam, unde demonſtrari poſſit?* 183
Chronologia *ſacra promiſſa.* 235
regnorum veterum Newtoniana. 76
quartæ mundi ætatis. 127
Chymicorum *librorum catalogus editus.* 404
Ciceronis (*Q.*) *loca quædam illuſtrata.* 78
(*M. Tull.*) *eloquentia quomodo ſit imitanda?* 253
hiſtoria illuſtrata. 346 ſeq.
Tuſculana prima in Gallicum tranſlata. 383
quæ de anima fuerit ſententia? ibid.
funeſtus interitus deſcriptus. 442
Cinxia *cur appellata ſit Diana?* 287
Circumciſionis *quæ olim vis fuerit?* 205
Cithardi (*Matth.*) *levitas animi notata.* 542
Civitas *quid ſit & quotuplex?* 396
Clarendonius (*Eduardus*) *Comes, laudatus.* 433
Clarckius (*Sam.*) *defenſus.* 332
Clementis *Alexandrini vita & ſcripta.* 11
In Cochleum (*Jo.*) *Rhythmi elegantes publicati.* 324
Codicum *MStorum veterum ætas an certo determinari poſſit?* 276
Cœna *ſacra an ſemper per ſymbola ſit adminiſtranda?* 104
an ſub una tantum ſpecie ſit adminiſtranda, Conſultatio Lutheri. 318
Cœruleum *Berolinenſe.* 172
De Collectarum *origine Obſervatio.* 400

De Coloſſo, *urbe, varia.* 211
Cometa, *qui A. 1729 apparuit, deſcriptus.* 410
Cometarum *theoria.* 173. 309
Commodiani *vita & ſcripta.* 197
Comœdiarum *Gallicarum catalogus editus.* 454 ſeq.
Completorii *ratio expoſita.* 334
Conchylia *diſponendi nova methodus examinata.* 121
Conciliorum *hiſtoria expoſita.* 109 ſeq. 199
Acta edita. 481 ſeq.
Confeſſionarius *cum Medico & Judice comparatus.* 45 ſeq.
De Confeſſione *auriculari Diſſ. Spalatini edita.* 321
Confeſſionis *Auguſtanæ editiones recenſitæ.* 377
privatæ fata. 421. 425
neceſſitas & utilitas. 421. 425
Conradi (*Franc. Car.*) *in Briſſonianum de Formulis populi Romani ſolennibus Opus merita.* 488
Conſcientia *quomodo ſananda?* 45
Conſtantini M. *vita deſcripta.* 197
Conſtitutiones *Apoſtolicæ an ſint genuinæ?* 110
Corallium *& omnia lithophyta inſectorum ſunt productiones.* 307
ejus ſubſtantia. ibid.
Corporis *humani partes explicatæ.* 117
Coſmetica *pro ſexu ſequiore.* 171
Crocodilus *in numo veteri quid notet?* 348
Crucis *ſigno prodigioſæ operationes attributæ.* 440
Cubi *in octaedrum inſcriptio.* 173
Curva *ſecans ad angulos rectos curvas datas infinitas.* ibid.
Curvæ *ſubevolutæ.* 369
Curvarum *quarundam nova proprietas.* 409
S. Cypriani *vita & ſcripta.* 106 ſeq.
Carmen ad Felicem editum. 485
Cyrtonoſi, *morbi, vera ratio.* 123
in quo differat a Rhachitide? 124
eo laborantium exempla vetuſtiora. 126

D.

Dacierii *translatio Horatii notata.* 88
In Danetii (*Pet.*) *Lexicon Latino-Gallicum Animadverſiones editæ.* 80
Daweſii (*Guil.*) *vita.* 249 ſeq.
Decalogi *diviſio Auguſtiniana vindicata.* 84 ſeq.
Decretum *abſolutum Reformatorum defenſum.* 235
Dedicationes *templorum divinitus factæ.* 340
Demſterus (*Th.*) *notatus.* 213
Dendritæ *nihil unquam corporeum involvunt.* 261
Deus *medicinæ autor ſapientiſſimus.* 115 ſeq.
quid ſit? 437
an ſcientia media ſit præditus? ibid.
Dei *cultus privatus commendatus.* 249

Dei *voluntas omnes homines ſalvandi demonſtrata.* 352
exiſtentia demonſtrata. 437
Diaboli *incubi & ſuccubi an dentur?* 230
quæ in homines poteſtas? 230 ſeq.
A Diabolo *obſeſſæ fœminæ exemplum.* 305
Dianæ *cur datum ſit nomen* λυσιζώνȣ. 281
Dii *tutelares Plutoni Martique olim proprii fuerunt.* 442
Diluvio *an faveat luſus naturæ?* 261
Diœceſes *Ægypti & Aſiæ enumeratæ.* 4 ſeq.
Diœceſis *quid denotet?* 5
S. Dionyſii *vita & ſcripta.* 8
Epiſcopi Alexandrini, vita & ſcripta. 107
Diplomata *duo Lotharii Imp. & unum Adalgiſi an ſint genuina?* 371 ſeq.
Divortii *cauſæ quæ?* 502
Dodwellus (*Henr.*) *refutatus.* 338. 341
Domini *vocati olim Principes in literis Pontificum.* 162
Draendorfii (*Jo.*) *vita & doctrina.* 375
Dreſdenſis (*Petrus*) *quo anno mortuus?* ibid.
Duisburgenſis *Academiæ Profeſſores recenſiti.* 47

E.

Eccleſia *in Scriptura S. vario ſenſu accepta.* 499
vera in quo conſiſtat? 500
Eccleſiæ *præcipua præcepta enarrata.* 440
Eccleſiaſtici *Scriptores recenſiti.* 7 ſeq.
Eclipſis *Solis obſervata.* 266. 309
Lunæ obſervata. 410
Eclipticæ *obliquitas.* 72
Ad Eclogam *quæ requirantur?* 527
Ab Einſidel (*Henr.*) *vita.* 317
Epiſtolæ nonnullæ editæ. 321
(*Wolfg.*) *mors an fuerit voluntaria?* 322
Elegiacum *carminis genus noſtra ætate parum excultum.* 528
Elephantis *oſſa pro gigantum oſſibus habita.* 305
De Eleutherobio (*Leonh.*) *varia.* 541
Eloquentia *in quo conſiſtat?* 61
Eloquentiæ *neceſſitas demonſtrata.* 144
nova præcepta tradita. 252
momentum maximum in expoſitione poſitum. 61
Embryonis *ægrotantis ſignum quale?* 259
Empiricus (*Sextus*) *refutatus.* 436
ejus Libri priores tres Pyrrhoniarum Hypotypoſeon denuo editi. 438

Ener-

Energumeni, *vocis, indicata etymologia.* 230
Enthuſiaſmus *in Odis neceſſarius.* 528
In Epilepſia *venæ jugularis ſectio commendata.* 31
Epiploon *quem uſum præſtet?* 171
Equeſtris *ordinis origo & progreſſus illuſtratus.* 400
Eraſmus *vindicatus.* 47
Erfordienſes *morbi enarrati.* 218
Etruria *caput olim fuit urbium Etruriæ.* 335
ejus antiquitates illuſtratæ. 339 ſeq.
Evangelicæ *eccleſiæ in Auſtria fata deſcripta.* 537 ſeq.
Evangeliſtæ IV *Commentario illuſtrati.* 14
Euchariſtia *an in caſu neceſſitatis a quocunque adminiſtrari poſſit?* 355
Evidentia *mathematica & moralis in quo conſiſtat?* 167
Ex Euripide *N. Fœdus illuſtratum.* 142
Europa *unde dicta?* 53
ejus raptus in gemma antiqua repræſentatus. 279
Euſebii, *Cæſareenſis Epiſcopi, vita & ſcripta.* 197
S. Euſtathii *vita & ſcripta.* ibid.
Excommunicandi *jus an competat Clericis?* 424
Exempla *quantum valeant in eloquentia?* 252 ſeq.
Exorciſmi *ritus & varia genera.* 230
Ad Exorciſtam *quæ requirantur?* 231
Exorcizare *quid ſit?* 229

F.

Fabri (*Petri Jo.*) *liber Alchymicus editus.* 371
Ad Fabulam *quæ requirantur?* 528
Facciolatus (*Jac.*) *laudatus.* 78. 80
Faſcitelli (*Honorati*) *Carmina edita.* 490
De Fato *Philoſophorum veterum ſententiæ.* 104
Fauſti, *Epiſcopi, Sermones ſex editi.* 486
De la Fayette, *docta fœmina, laudata.* 88
De Felicis (*Minutii*) *Octavio varia.* 11
S. Felicitatis & *Sociorum martyrium probatum.* 533 ſeq.
orthodoxia vindicata. ibid.
Ferrum *majus occupat ſpatium poſt refrigerationis initia, quam in ſummo caloris gradu.* 263
an mutari in cuprum poſſit? 367
Ficoronius (*Franc.*) *laudatus.* 284
Fides *vera in quo conſiſtat?* 208
Chriſtiana rationi congrua. 65
Fimus *diu in ſtabulis ſub pecude relinquendus.* 35
Fiſtulæ *lachrymalis nova curatio.* 406

Fixa-

Fleiſcherus (*Jo. Laur.*) *refutatus.* 424
Florentiæ *hiſtoria deſcripta.* 342 ſeq.
Sec. XV deſcripta. 387
Flori *Magiſtri Opuſculum de expoſitione miſſæ editum.* 486
Fœminæ *omnium ſcientiarum capaces.* 64
Fœminis *quæ ſtudia conveniant?* 472
Fontenellii *Eclogæ examinatæ.* 527
Fabulæ laudatæ. 528
De Franciſci I, *R. Gall. captivitate liber denuo editus.* 384
Friderici *Auguſti, R. Pol. laudes.* 58
hiſtoria deſcripta. 59 ſeq.
Fridericus V, *Comes Hohenzolleranus, quo mortis genere exſtinctus ſit?* 384
Fungorum *conſideratio.* 368

G.

Galea, *cornibus arietum inſtructa, heroum veterum inſigne.* 348
Galliæ *magnitudo & numerus incolarum.* 175
Garnerius (*Jo.*) *Libri diurni Pontificum Rom. editor.* 160 ſeq
refutatus. 246
Gemma *antiqua, Europæ raptum repræſentans, illuſtrata.* 279
vultum Marcelli exhibens, deſcripta. 282
Gemmæ *unde ortæ?* 262
Gemmarum *natura explicata.* 261. 546
Gemmas *in vitro exprimendi ars Hombergii.* 279
Gentilis, *Hæreſiarchæ, fata funeſta.* 148
S. Georgii *Thaumaturgi vita & ſcripta.* 108
Gerdeſii (*Dan.*) *Diſſ. ad Pſ. XXII edita.* 47
Obſervationes ad hiſtoriam Patriarcharum editæ. 48. 233
Globus *terraqueus apud Romanos dominatus ſupremi ſymbolum.* 242
Gloſſopetræ *Melitenſis Inſulæ examinatæ.* 295
Gœlickius *refutatus.* 403
Gohlii (*Jo. Dan.*) *Medicina practica edita.* 304
Goniometria *nova.* 173
pure analytica. 308
Græcæ *antiquitates ex N. Fœdere collectæ.* 137
linguæ Grammatica nova edita. 480
Grammatica, *baſis omnium ſcientiarum.* 61
Grotii (*Hug.*) *Opera Theologica conjunctim edita.* 97 ſeq.
vita. 97 ſeq.
cum Sibrando Lubberto controverſia. 101 ſeq.
De Grotiorum *gente varia.* 444

Grynæi (*Jo.*) *Collectanea ex Philologia Hebraica edita.* 233
Guſtus *quid ſit?* 89. 528
Guttularum *fluidarum magnitudo.* 76

H.

Hanſen (*Petr.*) *laudatus.* 420
Harduinus (*Jo.*) *quomodo a Bandurio vocatus?* 275
Harenbergius (*Jo. Chriſtoph.*) *defenſus.* 91
Hartſœkeri *elogium.* 174
Haſæi (*Theodori*) *vita.* 235
Hauſmanni (*Nic.*) *Epiſtola ad Tilomannum edita.* 324
Hebraicæ *linguæ præcepta methodo philoſophica propoſita.* 326
tradita. 332 ſeq.
voces obſcuriores explicatæ. 470
Hebraico-*Latinum Lexicon editum.* 333
Hecquetus *laudatus.* 119
S. Hegeſippi *vita & ſcripta.* 9
Heiſterus (*Laurent.*) *laudatus.* 171
Heretieria, *docta fœmina, laudata.* 312
ejus ſcripta. ibid.
Hilarii, *Arelatenſis Epiſcopi, vita a quo edita?* 19
Pictorum Epiſcopi, interpretatio aliquot Pſalmorum edita. 485
Hildebrandi *libellus de contemplatione editus.* 487
Hippolyti, *Epiſcopi, vita & ſcripta.* 11
Hiſpaniæ *magnitudo & numerus incolarum.* 175
Hiſtoria *univerſalis novo Compendio tradita.* 26 ſeq.
Eccleſiaſtica in compendio tradita. 224 ſeq.
Hombergii *ars gemmas in vitro exprimendi.* 279
Homeri *nummus illuſtratus.* 277
Homicidium *apud gentes Slavonicas quomodo punitum?* 90
Hoſii, *Epiſcopi Cordubenſis, vita.* 199
Huetius *an verus Autor libri de infirmitate intellectus humani?* 275
Hugonis, *Archiepiſcopi Rothomagenſis, Tract. de memoria editus.* 487
Hübnerus (*Jo.*) *defenſus.* 27
Hutteni (*Ulrici*) *binæ ad Melanchthonem Epiſtolæ editæ.* 323
Hydrargyri *virtus medica demonſtrata.* 256 ſeq.
examinata. 257
Hyperenſis (*Jac.*) *ad Lutherum Epiſtola edita.* 325
Hyperii (*Andr.*) *Diſſ. de Donariis Judæ Maccabæi denuo edita.* 46
Diſſ. de Baptiſmo pro mortuis denuo edita. ibid.
Hypotheſes *a quibusdam perperam prælatæ demonſtrationibus.* 167
Hyſtricis *examen.* 306

I.

S. Jacobi, *Epiſcopi Niſibenſis, vita & ſcripta.* 198
Contra Jacobum III, *Scotiæ R. rebellio ex monumentis illuſtrata.* 299
Janſeniſtæ *reprehenſi.* 350 ſeq.
S. Januarii *ſanguinem liquefaciendi artificium detectum.* 234
le Jay (*Gabr. Franc.*) *eloquentia laudata.* 251 ſeq.
Icteri *quæ ſint cauſæ?* 403
De Jehovah *voce varia.* 87
Ignis *ſubterraneus explicatus.* 364
Implantatio *diverſorum ramorum in unius arboris truncum.* 368
Impulſus *corporum perfecte elaſticorum.* 266
obliquus aquæ & venti æſtimatus. 411
Innes (*Thom.*) *laudatus.* 297
Inventionis *in eloquentia quæ ratio?* 253
Joannis *Friderici, Principis Brunſu. Luneb. hiſtoria deſcripta.* 444 ſeq.
Jœcherus (*Chriſt. Gottlieb*) *laudatus.* 41 ſeq.
Jollii *de regno Poloniæ Commentarii denuo editi.* 58
Joſephi *loca nonnulla emendata.* 284 ſeq.
ſponſi Mariæ, hiſtoria deſcripta. 549 ſeq.
Josleni, *Ep. Sueſſionenſis, Expoſitio Orationis Dominicæ edita.* 487
S. Irenæi *vita & ſcripta.* 10
De l'Isle (*Guil.*) *laudatus.* 266
Italiæ *nomina antiqua.* 53
antiquitates illuſtratæ. 54
Epiſcopatus deſcripti. ibid.
De Judæis *corruptionis Vet. Teſt. injuſte inſimulatis Diſſ.* 233
Judæorum *emendatio ſperanda.* 496
Judaicæ *locutiones in S. Scripturæ explicatæ.* 151 ſeq.
Julii *Africani vita & ſcripta.* 12
Papæ, vita & ſcripta. 198
Ivo *Carnutenſis an Opus Decretorum ſcripſerit?* 213
Juramentum *a novis Cardinalibus præſtandum.* 289
an ſine animo jurantis ſtare nequeat? 398 ſeq.
Jus *publicum methodo demonſtrativa traditum.* 66 ſeq.
Naturæ in quo conſiſtat? 394
ejus principium. 395
publicum univerſale in quo conſiſtat? 394
Gentium an ſit ſpecies Juris Naturæ? 395
S. Juſtini *vita & ſcripta.* 8
Juvenci, *Poetæ, vita & ſcripta.* 197
Presbyteri Hiſpani, liber in Geneſin editus. 485

K.

Kappius (*Jo. Erh.*) *laudatus.* 317 374
defenſus. 325
Kleinius *laudatus.* 120
Kochius (*Chriſt. Gottl.*) *laudatus.* 419

Kœnigii (*Eman.*) *Epiſtola de Elixirio Sophorum edita.* 371

L.

Labrum *tabernaculi æneum quale fuerit?* 469 ſeq.
Lactantii, *Rhetoris, vita & ſcripta.* 109
De Laderchio (*Jac.*) *notatus.* 146
Lampii (*Frid. Ad.*) *Annotationes ad Jeſ. XLV edita.* 46
— *Obſervationes ad Coloſſ. III, 10, editæ.* 48
— *Diſſ. de Sacrificio Abrahami edita.* 233
— *vita.* 235
De Lapide *Philoſophorum ſcripta nonnulla edita.* 370 ſeq.
Lapidum *hiſtoria naturalis expoſita.* 251
— *induratio unde?* ibid.
— *origo.* 260
— *eſſentia hypoſtatica, & materia adjuncta.* 261
— *variorum tinctura & diſſolutio.* 367
Lardnerus (*Nathan.*) *laudatus.* 466
Latinæ *quædam locutiones expenſæ.* 80 ſeq.
Leedes (*Eduardi*) *in Luciani Dialogos nonnullos merita.* 194 ſeq.
Legi *naturali an diſpenſari poſſit?* 355
Legis *doctrina explicata.* 354
— *definitio* 394
Leibnitius (*G. G.*) *laudatus.* 88. 89
Leibnitius (*G. G.*) *an Theodicæam per jocum tantum confinxerit?* 275
— *refutatus.* 547
Lemnius (*Simon*) *Collegio Profeſſorum Vitembergenſium excluſus.* 378
— *ejus virulenta in Lutherum Epigrammata* 380 ſeq.
Lexicon *Latinum Danetii emendatum.* 80
Libertas *hominis vindicata.* 352
— *quid ſit?* 390
In Libertatem *vindicandi formula.* 163
Librorum *malorum multitudo perperam accuſata.* 64
Lightfooti *in Scripturam S. merita celebrata.* 154 ſeq.
Linguæ *omnes æque pulchræ.* 64
Liſtrii (*Gerh.*) *adverſus Woldricomium Epiſtola edita.* 379
— *de eo ſingularia.* 380
Littrii *elogium.* 174
Logicæ *quid præmittendum?* 62
— *ejus verum objectum.* 63
Lomolleri (*Jo.*) *ad Lutherum Epiſtolæ editæ.* 324
Londini *magnitudo & numerus incolarum.* 175
Lotharius *Imp. an Jus civile in ſcholas introduxerit?* 214
— *Saxo quo reſpectu ſe tertium dixerit?* 237 ſeq.
— *ejus genealogia.* 240
— *hiſtoria illuſtrata.* 237 ſeq.

Lub-

Lubbertus (*Sibrandus*) *refutatus.* 101 ſeq.
Luciani *ſelecti nonnulli Dialogi editi.* 194 ſeq.
loca nonnulla emendata. 195 ſeq.
Martyris, vita & ſcripta deperdita. 197
Luciano *Samoſatenſi an tribuendus ſit de Dea Syria libellus?* 280
De Ludewig (*Jo. Petr.*) *refutatus.* 381 ſeq.
Lumen *boreale deſcriptum.* 262
Luna *duplex obſervata.* 219
ejus lumen cum Solis lumine comparatum. 264
Lunatici *qui ſint?* 230
Luſatiæ *antiquitates illuſtratæ.* 473 ſeq.
Lutetiarum *magnitudo.* 174
Lutherus (*Mart.*) *a criminationibus Fleiſcheri vindicatus.* 424
ejus vita & genealogia deſcripta. 269 ſeq.
quædam ex MStis edita. 318 ſeq.
de gradibus matrimonii prohibitis ſcriptum editum. 377
binæ ad Lodingerum Epiſtolæ editæ. 381
Lutherorum *hiſtoria deſcripta.* 269 ſeq.
Lycanthropia *dæmoniacorum explicata.* 235

M.

Mabillonius (*Jo.*) *notatus.* 373
Maffæi (*Scipionis*) *Comœdiæ magno applauſu exceptæ.* 455
Magnetis *quædam phænomena.* 366
(*Macarii*) *vita & ſcripta.* 197
Magnitudo *rerum apparens quomodo æſtimanda?* 461
Majeſtatis *jura explicata.* 396 ſeq.
le Maire (*Jo.*) *libri varii recenſiti.* 274
Malezieu (*Nic.*) *laudatus.* 310
Manuum *impoſitio Clericorum examinata.* 426
per eam quid denotatum ſit in prima Eccleſia? 204
Maraldi *elogium.* 411
A Marcka (*Erardi*) *Epiſtola ad Maximilianum Imp. edita.* 323
Marckius (*Jo.*) *Theologus pacis ſtudioſiſſimus.* 496
Margaritæ, *de Cruce dictæ, vita.* 22
B. Mariæ *Virginis hiſtoria deſcripta.* 549. 552
De Mariæ *immaculata conceptione diverſæ Pontificiorum ſententiæ.* 95
Maris *fluxus & refluxus irregularis.* 170
æſtus a motu terræ circa lunam falſo deductus. 309
Martis *a Luna occultatio* 266
Maſticatio *mortuorum explicata* 94
Mathematicæ *diſciplinæ an ad communem vitæ uſum pertineant?* 60

Matheſeos *in omnibus ſcientiis uſus.* 165 ſeq.
Matrimonium *an ſit Sacramentum?* 203
Mattarii (*Mich.*) *Opera denuo edita* 193 ſeq.
Mauri (*Rabani*) *in librum Joſua libri tres editi.* 486
S. Maximi *Homiliæ ſex editæ.* ibid.
Medici *Galenici notati.* 458
Medicina *an ſit a religione aliena?* 117
ejus a Deo inſtitutæ ratio. 115 ſeq.
ei perficiendæ quæ artes inſerviant? 118
ejus hoc tempore corruptus ſtatus. 358
Medicorum *charlataneria detecta.* 456 ſeq.
Mediolanenſis *Epiſcopatus deſcriptus.* 55
In Melancholia *venæ jugularis ſectio commendata.* 31
ejus origo. ibid.
Melita *Inſula hoſpitio Pauli memorabilis.* 292 ſeq.
viperis deſtituta. 295 292
ejus antiquitates expoſitæ. 291 ſeq.
Melitenus (*Publius*) *quis fuerit?* 296
Melitonis, *Epiſcopi Sardenſis, vita & ſcripta.* 8
Ex Mercurio *dulci medicamentum præparatum.* 402
Metaphyſica *in quo conſiſtat?* 64
Metaphyſica *plebis, ruſticorum, rabularum.* ibid.
S. Methodii *vita & ſcripta.* 197
Metropoleos *jure quando primum civitates Aſiæ & Orientis donatæ?* 3
quot apud Romanos genera? 4
origo an ad Apoſtolorum tempora referenda? ibid.
Michelius (*Petr. Ant.*) *laudatus.* 303
Miegii (*Jo. Frid.*) *Diſſ. de Baptiſmo ignis edita.* 48
Diſſ. de ſtemmate Chriſti Davidico edita. 234
Militis *eruditi exemplum.* 455
Miniſteriales *qui fuerint?* 401
De Miniſterialium *dignatione Obſervatio.* 400
Miracula *Chriſti vindicata.* 39 ſeq. 181 ſeq.
Pauli vindicata. 132
Miſnici *Marggraviatus antiquitates illuſtratæ.* 473 ſeq.
Molierii *Comœdiæ recenſitæ.* 454 ſeq.
Monades *Leibnitii rejectæ.* 460
Montes *an mundo coævi?* 364
Montium *origo & natura explicata.* 363 ſeq.
ignivomorum phænomena & ratio. 364
uſus. 365
Moralis *doctrinæ principium.* 64
Morbi *Erfordienſes enarrati.* 218
Morborum *cauſæ demonſtratæ.* 118
venereorum natura explicata. 503

Mors

Mors *cum ſomnio comparata.* 144
cum cenſu & vectigalibus comparata. ibid.
Morum *doctrina Scripturæ S. explicata.* 389 ſeq.
doctrinæ ſacræ & philoſophicæ diverſitas. 390
Moſes *ex qua gente uxorem duxerit?* 349
Moshemius (*Jo. Laur.*) *refutatus.* 236
laudatus. 388
Moſis *cornua quid notent?* 348
De Motorum *corporum vi dimetienda Diſſ.* 547
Mureti (*M. Ant.*) *Opera conjunctim edita.* 112
Mus *muſcatus deſcriptus.* 172
Myſteria *an per rationem poſſint explicari?* 139

N.

Natura *quid valeat in re medica?* 358
Naturalis *religio an ſufficiat homini?* 330
S. Nepomuceni (*Jo.*) *vita.* 453 ſeq.
Nerlii (*Phil.*) *vita.* 387
rerum Florentinarum Commentarii editi. ibid.
Neumanni (*Caſp.*) *artificium imitandi liquefactionem ſanguinis S. Januarii.* 234
Newtonus *ſupra modum laudatus.* 77
laudatus. 310
S. Nili *Tract. de Chriſtiana Philoſophia editus.* 485
Noriſius (*Henr.*) *adverſus Jo. Garnerium defenſus.* 246
ejus Opera conjunctim edita. 241
vita. 242
Notitiam *Imperii Romani qui ſcriptis illuſtrarint?* 2
Numus *Homeri illuſtratus.* 277
Ducem Georgium repræſentans, illuſtratus. 321
Jovis Caſſii effigiem repræſentans. 347
Crocodilum ſiſtens, quid notet? 348
in memoriam ſacri calicis, ſubditis Auſtriacis conceſſi, cuſus. 541
Numi *in Triumviratuum Romanorum memoriam percuſſi.* 442
Nutriendi *& educandi infantes ars explicata.* 258 ſeq.

O.

Occonis (*Adolphi*) *I vita.* 448
II vita. 449
III vita & ſcripta. 449 ſeq.
cum Jo. Zwelfero & aliis controverſia. 451
Circa Oculum *variæ obſervationes.* 264. 367
Oeconomica *res ex Scriptoribus antiquis illuſtrata.* 177
experimenta. 33

In

In Odis *id, quod ſublime eſt, explicatum.* 528
Olea *eſſentialia, mixta cum ſpiritu vini, reale frigus producunt.* 307
Oleorum *eſſentialium rectificatio.* 367
Oleum *vegetabile deſcriptum.* 34
Origenis *vita & ſcripta.* 13
Os *in corde humano inventum.* 264
Oſteocolla *fiſtuloſa ex ſabulo naſcitur.* 261
Otho (*Georg.*) *refutatus.* 84 ſeq.
Ovidii *Epiſtolæ Heroidum Gallice converſæ.* 311

P.

Pacem *inter Lutheranos & Pontificios ſtabiliendi conſilium Grotii* 105
S. Pachomii *vita & ſcripta.* 198
Ex Paltzii (*Jo.*) *Cœlifodina excerpta.* 378 ſeq.
ejus vita. ibid.
S. Pamphili *vita & ſcripta.* 109
Pandectarum *Codex an in urbe Amalfi ſit inventus?* 214
Panni *ſibi incumbentes excandeſcunt.* 170
S. Pantæni *vita & ſcripta.* 11
De Parabolanis *eccleſiæ veteris varia.* 144
De Pariſii, *Abbatis, convulſionibus Epiſtola.* 275
Pariſiorum *origines deſcriptæ.* 274
Parliamenti *Anglici libertas & poteſtas ſumma.* 356
Paſcuorum *communio tollenda.* 35
Paſſienſes *aquæ minerales examinatæ.* 265
Patatoes, *tuberum genus.* 35
Pauli *ad Apoſtolatum miſſio divina demonſtrata.* 130
vita & doctrina examinata. 131
miracula vindicata. 132
an fuerit maritatus? 185
in Veneto ſinu naufragium. 291 ſeq.
Peccata *remittendi poteſtas Clericis data.* 422 ſeq.
Peccatum *in quo conſiſtat?* 418. 492
Pecuaria *agriculturæ præferenda.* 35
S. Perpetuæ *& Sociorum martyrium probatum.* 533 ſeq.
orthodoxia vindicata. ibid.
Petrus, *Apoſtolus, an fuerit maritatus?* 184
de ejus ad littus Piſanum appulſu Diſſ. 343
I, Ruſſorum Imperator, laudatus. 174
Pharmacopœia *Auguſtana quibus controverſiis anſam dederit?* 451 ſeq.
S. Philippi *vita & ſcripta.* 8
Philoſophi *juniores veteribus nihil in philoſophando feliciores.* 64
Philoſophia *vera hodierna.* 267
ejus vera ratio. 168

Philoſophiæ *quæ fuerit inde a Chriſto nato conditio?* 427 ſeq.
Philoſophicæ *Obſervationes collectæ.* 236
Phoſphorus *novus, qui aeri oblatus inflammatur.* 367
In Phrenitide *venæ jugularis ſectio commendata.* 30
Phyſicæ *hiſtoria.* 460
Piccolominei (*Patritii*) *Liber ſacrarum cerimoniarum, quibus Pontifices utuntur, editus.* 161
Pictorum *cenſus inſtitutus.* 36
Pii V. *P. M. hiſtoria deſcripta.* 147
De Pilis *marinis maris mediterranei variorum ſententiæ.* 123
Piſanæ *urbis hiſtoria deſcripta.* 340 ſeq.
Piſanorum *Antiſtitum catalogus.* 341
Plagii *accuſatus Putoneus.* 94
— *Dominus de la Croix.* 274
Planetarum *circa axem rotatio.* 409
Plantæ *marinæ pluviis recreantur.* 408
Plantarum *nova genera a Michelio diſpoſita.* 301 ſeq
— *fæcundum incrementum unde?* 34
In Plethorica *venæ jugularis ſectio commendata.* 32
Podagra *quibus remediis curari poſſit?* 260
Pœnarum *infernarum æternitas demonſtrata.* 246
Pœnitentiæ *publicæ & privatæ quæ ſit ratio?* 420
Poeſis *in quo conſiſtat?* 62
— *ejus nova præcepta tradita.* 254 ſeq.
— *natura explicata.* 527
Poetriæ *nonnullæ Gallicæ laudatæ.* 528
Poli *elevatio Berolinenſis.* 266
Politiani *Montis hiſtoria deſcripta.* 343
Poloniæ *Regum hiſtoria deſcripta.* 58
— *parum honorifica deſcriptio.* 274
Polycratis *Epheſii vita & ſcripta.* 10
Pomponatii (*Petri*) *Epitaphium.* 273
In Pomponii *Enchiridio errores varii notati.* 213
Pontifices *Romani recenſiti.* 57
— *horum Liber diurnus denuo editus.* 160 ſeq.
Poſtulatum *quid ſit?* 435 ſeq.
Pro Prædeſtinatione *Reformatorum argumenta ſpecioſa.* 134
Pragmatica *Sanctio Caroli VI illuſtrata.* 67
Primogeniti *nomen, Chriſto datum, quid denotet?* 491 ſeq.
Pritii (*Jo. Ge.*) *vita.* 233
De Probabilitate *controverſia inter Italos agitata.* 179

Probabilitatis *moralis doctrina examinata.* 417 ſeq.
Proconſules *a Procuratoribus in quo differant?* 4
Proles (*Jo.*) *quo anno obierit?* 379
Pronuntiationis *Græcæ & Latinæ ratio explicata.* 300
S. Proſperi *Aquitani vita.* 18
ſcripta edita. 17 ſeq.
Pueris *quæ ſtudia conveniant?* 471
A Puerperæ *lecto ſtrigem Lilith abigendi mos Judæorum.* 281
Puſendorfii *Jus N. & G. laudatum.* 180

Q.

Quæſtiones *difficiles plerumque frivolæ.* 64

R.

Ranſtius (*Mich.*) *notatus.* 93 ſeq.
Ratherii, *Veronenſis Epiſcopi, Prœloquia edita.* 486
Ratio *an ad myſteria explicanda valeat?* 139
Ratiocinari *an omnes recte dicendi ſint?* 63
Refractiones *ſyderum veræ.* 70
Regnorum *præcipuorum magnitudo geographica.* 175
Reinbeckius (*Jo. Guſtav.*) *laudatus.* 139
Religio *vera in quo conſiſtat?* 431 ſeq.
Ad Religionem *obligatio hominis demonſtrata.* 429
Ad Religionem *quid requiratur?* 430
Religionis *Chriſtianæ veritas demonſtrata.* 101
cura qua ratione ſpectet ad Principem? 502
S. Reticii *vita & ſcripta deperdita.* 197
Revelationis *ſacræ neceſſitas demonſtrata.* 328 ſeq. 331. 432
Reyneau (*Carolus*) *laudatus.* 370
Rhachitis *in quo differat a Cyrtonoſo?* 124
Rhenferdii (*Jac.*) *Theſes de via Dei editæ.* 235
De Ricciis (*Catharinæ*) *vita deſcripta.* 446 ſeq.
Roell (*Herm. Alex.*) *refutatus.* 134
Rœmerus *laudatus.* 70
Romæ *ſingularia recenſita.* 277
antiquitates Eccleſiaſticæ deſcriptæ. 56
Romanæ *antiquitates in Britannia illuſtratæ.* 529 ſeq.
Romani *imperii in ſummo flore magnitudo.* 175
Ad Romanos *Epiſtola Pauli an ſcripta ſit ſermone Græco?* 100
a Grotio ſub cenſuram vocata. ibid.
Roris *phænomena & cauſa.* 76
Rubi *ardentis ſymbolum in Scriptura S. quid denotet?* 494
Ruinarti (*Theod.*) *vita.* 337
Acta Martyrum denuo edita. ibid.
De Ruſſavio, *poeta, judicium.* 88
Ruſſi-

Ruſſici *imperii magnitudo.* 175
Ex Ruſticæ *rei ſcriptoribus notatu digniſſima collecta.* 177
Ruſtici *belli copioſa deſcriptio.* 380

S.

Saccæ *(Ammonii) vita & ſcripta.* 12
Sacramenti *vox quid denotet?* 203
Sacramentorum *doctrina ex mente eccleſiæ Pontificiæ expoſita.* 203 ſeq.
Sacramentum *quid ſit?* 203
Sacrificium *Abrahami explicatum.* 233
Salamandra *examinata.* 306. 406
Salia *lixivioſa igne producuntur.* 367
Salium *proprietates examinatæ.* 307
Salmaſius *ob inutiles ſcriptiones notatus.* 88
De Saltationibus *armatis veterum varia.* 144
Sandini *(Ant.) refutatus.* 550 ſeq.
Sanguinis *circulatio an nota fuerit Serveto?* 274
Sannazarii *(Jac.) Carmina laudata.* 489
Von Sarn *(Petri) Diſſ. de nomine Sethur edita.* 47
Satellitis *primi Jovis tabulæ.* 308
Jovis ſecundi theoria. 410
Sattelfreye *Güther quæ ſint?* 401
Saturni *motus.* 369
Satyræ *vera ratio explicata.* 528
Schillingii *(Jo. Jac.) Interpretatio verborum Petri 2 Ep. III, 5, edita.* 233
Schlægerus *(Jul. Carol.) laudatur.* 281
ejus Diſſertationes promiſſæ. 282
Schœttgenius *(Chriſtian.) laudatus.* 150
refutatus. 479
Scholarum, *in quibus pauperes educantur, commoda.* 248
Schrœckii *(Lucæ) vita & merita.* 524 ſeq.
Scotiæ *qui fuerint antiquiſſimi incolæ?* 297
Scoticæ *Monarchiæ æra.* 298
hiſtoriæ ſcriptores. ibid.
Scripturæ S *dignitas aſſerta.* 136
doctrina moralis explicata. 389 ſeq.
loca explicata aut illuſtrata:
Gen. III, 24. 48
IV, 7. ibid.
26. ibid.
VIII, 21. 52
IX. 234
XV, 8 – 17. 233
XVII, 7. 205
10. ibid.
XVIII, 19. 430
XX, 16. 233
XXII, 4. 227
XXXV, 2. 496
XLVI, 27. 234
XLIX. 497
10. 15

Gen. XLIX, 13, 14. 203
24. 476
28. 133
Exod. II, 10. 85
III, 2. 493
VII, 1. 495
XV. 86
XX, 3, 4. 87
13. ibid.
XXIV, 10. 496
XXIX, 18. 152
XXX, 15. 85
XXXIV, 7. 493
XXXVIII, 8. 469
Levit. I, 9. 152
13. ibid.
XIV, 9. 496
XV, 13. ibid.
Num. XI, 29. 493
XIII, 14. 47
XXI, 8, 9. 151
XXVII, 18. 203
23. ibid.
XXXI, 22, 23. 48
Devt. XI. 17. 85
XIII, 1–5. 43
XXVII, 18. 85
XXXII. 86
5. 476
XXXIV, 9. 203
Judic. V. 86
XV, 16. 476
2 *Sam.* XXIV, 13. ibid.
1 *Chron.* XXI, 12. ibid.
2 *Chron.* XI, 20. ibid.
XIII, 3. ibid.
Nehem. IV, 17. ibid.
Job. XV, 29. ibid.
XX, 15–27. 91
XXIV, 24. ibid.
Pſ. II, 7. 140
IV. 334
IX, 18. 38
XXII, 17. 47. 233
XXVI, 6. 493
XXVII, 4. ibid.
XXX. 334
XLII, 5. 476
XLV. 495
2–4. 493
8. 141
9. 48
10. 493
17, 18. ibid.
LXVIII, 28. 133
LXXIII, 4. 476
15. 477
LXXX, 16. 469
LXXXIII. 416
XCI. 334
CX, 7. 493
16, 17. ibid.
CXVIII, 27. 495
CXIX, 96. 477
CXXX. 334
CXXXIII, 3. 228
CXLI, 5, 6. 477
Prov. XX. 96
Eſa. IV, 4. 227. 228.
V, 27. 477
IX, 17. ibid.
X, 27. ibid.

Eſa.

Digitized by Google

Eſa. XIV, 30.	ibid.	*Matth.* II, 20 – 24.	40. 142
XXII, 17.	228	III, 11.	48
XXIV, 16.	477	17.	17
XXVIII, 1.	ibid.	IV, 5.	91
XXX, 19.	ibid.	V, 5.	494. 495
XXXIV, 3.	37	16.	140
XLIII, 21.	ibid.	32.	502
XLV, 2.	477	39.	398
21 – 25.	96	VI, 22.	235
XLVIII, 19.	477	VII, 22.	91
LI, 20.	47	VIII, 28.	235
LII, 15.	478	X.	184
LIII, 8.	227	1.	230
23.	228	XI, 2 – 5.	41
Jer. XXIII, 6.	140	9.	42
15.	ibid.	11.	ibid.
Thren. III, 27.	152	XII, 24.	41
Ezech. XVI, 8, 9.	496	27.	91
XXI, 2.	228	XIII.	416
6.	15	35.	468
15.	ibid.	58.	42
20.	ibid.	XVI, 1.	ibid.
Dan. XI, 7.	469	18.	499
20, 21.	ibid.	19.	423
29, 30.	54	XVIII, 17.	424
Hoſ. VI, 2.	227	18.	423
XIV, 6.	227. 228	XIX, 18.	425
Amoſ. VII, 16.	228	XXII, 37.	86
Mich. XII.	91	XXIII, 24.	43
XX, 26.	228	35.	465. 468
2 *Maccab.* XII, 43, 44.	46	XXIV, 29.	37
Matth. I, 16.	142	57.	138
19.	ibid.	XXVI, 26.	154
25.	ibid.	52.	398
II, 4, 5.	40	XXVII, 9.	85
6.	142	43.	42
18.	ibid.		

INDEX

Marc. *V*, 2. 235
VI, 5. 42
13. 203
XIV, 65. 228
XVI, 17. 230. 231
Luc. *I*, 2. 140
47. 96
68 – 79. 48
78. 227
II, 1. 467
2. 465. 467
14. 478
VII, 30. 496
VIII, 27. 235
X, 3. 40
9. 230
XVI, 9. 37
XIX, 42. 495
XXI, 26. 37
XXII, 36. 398
64. 228
Jo. *I*, 14. 227
47, 48. 42
II, 18. 40
23. 42
III, 2. ibid.
14. 152
V, 36. 42
VI, 26. 40
VII, 21 – 23. ibid.
VII, 31. 42
VIII, 1. 465
IX. 41
24. 228
31. 334
X, 24, 25. 40. 41. 42.
53. 41
Jo. *XI*, 47, 48. 42
XII, 32, 33. 151
XIV, 6. 96
10 – 12. 40
11. 41
XV, 24. 40
XVI, 8 – 11. 182. 228
XVII, 20. 351
XX, 21 – 23. 422
31. 351
XXI. 417
XL, 8. 228
Actor. *I*, 11. ibid.
II, 25 *ſeq.* ibid.
IV, 12. 96
VI, 6. 203
VII, 14. 234
VIII, 17. 203
IX, 3 – 5. 227
XII. 96
19 – 25. 466
XIII, 3. 203
26. 140
33. ibid.
XVII, 22. 464
XVIII, 18. ibid.
XIX, 6. 203
32. 499
XXII, 2. 227
XXIV, 24. 466
XXV. 233
XXVII, 27. 290
XXVIII, 1. ibid.
Rom. *III*, 10. 100
IV, 11. 205
VI, 11. 500
17. 209

Rom.

Rom. VII, 7. 86
X, 14 — 17. 351
XII, 19. 398
XV, 4. 38
XVI, 16. 499
1 Cor. I, 22. 212
III, 9. 423
VII, 10. 155
14. 203
X, 1, 2. 494. 496
3, 4. 153
XIII, 1, 2. 91
XV, 4. 227
8. ibid.
29. 46
52. 48
XVI, 19. 499
2 Cor. III, 6. 41
7. 85
V, 18. 423
IX, 13. 209
XI, 2. 99. 499
XII, 7. 38
Gal. I, 15. 227
V, 17. 495
VI, 17. 138
Epheſ. I. 103
1, 2. 129
I, 3. 133
4 — 10. 134
12 — 14. 135. 212
15. 209. 212
II, 10. 209
11 — 22. 209. 211
III, 1 — 13. 210
14. 209
IV, 1. 210
Epheſ. V. 23. 499
32. 99. 203. 499
VI, 10 — 20. 210
Phil. IV, 22. 499
Col. I, 15. 150
16. 146
II, 2. 140
III, 10. 48
IV, 15. 499
1 Theſſ. V, 21. 436
23. 255
2 Theſſ. II, 9 — 12. 43
III, 5. 38
1 Tim. I, 13. 227
III, 16. 182
IV. 203
14. ibid.
V, 22. 203. 426
VI, 16. 140
Tit. III, 5. 48
1 Petr. II, 9. 37
V. 334
2 Petr. II, 1. 234
5. 48
III, 5. 233
1 Jo. II. 96
III. 103
4. 493. 494
V, 7. 276
Hebr. I, 6. 492. 494
VI, 2. 426
XII, 21. 85
Jac. II, 14 ſeq. 103
III, 6. 37
IV, 5. 495
V, 14. 203

Apoc.

Digitized by Google

Apoc. I, 4. 234
10. ibid.
XI. 96
XIII, 18. 47
XIX, 7, 8. 99
XXI, 9, 10. 499
Sculptorum *cenſus inſtitutus.* 36
Seculi XVII *eruditi viri enarrati.* 126
Sedulii (*Cœlii*) *de verbi incarnatione Carmen editum.* 486
Seeligmannus (*Gottlob Frid.*) *quomodo atheum ad meliorem frugem reduxerit?* 143
Seguerii (*Pauli*) *cum Petro Ballerinio controverſia.* 179
Seminum *præparatio ad fœcunditatem.* 34
Senenſis *hiſtoria deſcripta.* 343
Senili *ætati quæ maxime vivendi ratio conducat?* 259
Senſationum *quantitas.* 460
Senſus *communis in primis veritatibus principium.* 62
S. Serapionis *vita & ſcripta.* 11
Serveto *an circulatio ſanguinis fuerit nota?* 274
Sethur *nomen quid denotet?* 47
Siciliæ *hiſtoria deſcripta.* 23
Simeon (*Rabbi*) *an Autor fuerit libri Sohar?* 479
Simonius (*Rich.*) *atheiſmi in alios propagati accuſatus.* 276
Sohar *libri autor quis fuerit?* 479 ſeq.
Solis *parallaxis.* 70
S. Soteris, *Papæ, vita & ſcripta.* 9
Spalatini (*Ge.*) *de veteribus ſervitiis Epiſtola edita.* 319
de confeſſione auriculari Diſſ. edita. 321
Spectra *an dentur?* 93
Seculum *uſtorium Archimedis.* 266
Sperati (*Pauli*) *Confeſſoris Auſtriaci, fata.* 541
Spiritualia *exercitia quomodo ſint inſtituenda?* 415 ſeq.
Spiritus *mundi, fœcunditatem efficiens.* 34
Stapff (*Jo. Sigiſm.*) *laudatus.* 393
Statura *hominis longior a prandio & cœna.* 171
Statuum *humanorum varia genera examinata.* 354
Stellæ (*Eraſmi*) *libellus de gemmis denuo editus.* 545
S. Stephani *hiſtoria deſcripta.* 314 ſeq.
reliquiæ, Viennæ obviæ. 315
Stercoris *quantum opus ſit in agro emaciato?* 35
comparatio facilis. ibid.
De Stifelio (*Mich.*) *varia.* 541
Stridtbergius (*Magnus*) *laudatus.* 34
Strigelius (*Victorinus*) *quo mortis genere obierit?* 143
Stumphii (*Lud. Herm.*) *Florum ſparſio ad illuſtria loca Theologiæ edita.* 46. 47
Sublime *in odis explicatum.* 528
Suiceri (*Jo. Henr.*) *Specimen Commen-*

mentarii in Epiſt. ad Epheſ. editum. 233
Sulzerus (*Wolfg. Jac.*) *laudatus.* 448
Syri (*Bardeſanis*) *vita & ſcripta.* 9

T.

Tægii (*Franc.*) *de Obſidione urbis Ticinenſis liber denuo editus.* 384
Tatiani *vita & ſcripta.* 10
Terræ *motus nova ratione explicatus.* 220
unde? 365
Terrarum *orbis magnitudo geographica.* 175
Tertulliani *vita & ſcripta.* 12
Teſtamenti *N. narrationes teſtimoniis ſcriptorum profanorum comprobatæ.* 466 ſeq.
Theæ *plantæ hiſtoria phyſica & medica expoſita.* 360 ſeq.
variæ genera recenſita. 505 ſeq.
Theognoſtis, *Alexandrini, vita & ſcripta.* 108
Theologia *myſtica in quo conſiſtat?* 414
Theophili *Antiocheni vita & ſcripta.* 9
De Thuano (*Jac. Aug.*) *judicium iniquiſſimum.* 148
Tindalius *refutatus.* 327 ſeq. 330 ſeq.
Tinearum *hiſtoria, & remedium contra eas.* 366
Tituli *quid denotent ſtilo eccleſiaſtico?* 56
Tombac, *Metal de Prince.* 172
Tournefortii *nova methodus plantarum a Michelio adoptata.* 301
Transſubſtantiatio *a diabolo confirmata.* 149
Trinitatis *myſterium explicatum.* 139
Triſtanus *notatus.* 283 ſeq.
Triumvirorum *Romanorum bella civilia deſcripta.* 441
Trucheti *elogium.* 411
Tubera, *quæ patatoes vocantur.* 35
Tubuli *marini deſcripti.* 120 ſeq.
Turretinus (*Jo. Alphonſ.*) *laudatus.* 224
Typographiæ *inventæ gloria Germanis aſſerta.* 274

V.

De Væſelio (*Jo.*) *varia.* 541
Ad Valetudinem *conſervandam quæ conducant?* 259 ſeq.
De Vampiriis *judicium.* 89 ſeq. 93
Variolis *quomodo medendum?* 359
Vaſorum *murrhinorum elaboratio.* 307. 407
Venæ *jugularis ſectio commendata.* 29 ſeq.
Venerabilis (*Petri*) *libri duo adverſus Saracenos editi.* 487
Venereorum *morborum natura explicata.* 503
Venetus *Sinus D. Pauli naufragio memorabilis.* 291 ſeq.
Veritas *logica conjuncta eſſe poteſt cum falſitate reali.* 63

S. Victorini *vita & ſcripta.* 108

S. Victoris *vita & ſcripta ſuppoſititia.* 10

Vidæ (*M. Hier.*) *Carmina conjunctim edita.* 156 ſeq.

laudata. 159

vita. 156

De Vignoles *Chronologia ſacra promiſſa.* 235

Villarſii *Ducis vita & facta heroica enarrata.* 20

Vini *natura & varia genera explicata.* 515 ſeq.

De Viperarum *morſu Epiſtola Valliſneri.* 295

Viperis *deſtituta Melitenſis Inſula.* 292. 295

Virium *motricium menſura.* 369

corporis moti æſtimatio. 410

Viviani *cujuſdam Tract. de libero arbitrio editus.* 487

Viſionis *theoria nova.* 136

Viterbium *an idem ſit ac Tyrrhenium & Tuſcia?* 336

Unigenitus *Bulla laudata & vindicata.* 349 ſeq.

Voigtey *vocis ſignificatio.* 401

Vortices *Carteſii vindicati.* 370

Urſinæ *gentis nobilitas celebrata.* 57

Vulpii (*Jo. Ant. & Cajet.*) *laudati.* 156. 489

W.

Waldenſium *origo.* 226

Warwicenſis *Comitatus antiquitates illuſtratæ.* 386

De Water (*Guil.*) *Annotationes ad Cap. 25 Act. Apoſt. editæ.* 233

Wernsdorfii (*Gottlieb*) *laudes.* 412

Diſputationes Academicæ conjunctim editæ. 413

Wertheimenſis *Bibliorum interpres refutatus.* 430

Weſſelii (*Jo.*) *cum Vitringis & aliis controverſiæ.* 492

Wetſtenius *notatus.* 47

Wideburgius (*Frid.*) *laudatus.* 473

Wiſſowatius, *Socinianus, refutatus.* 139

Woogii (*Maurit. Car. Chriſt.*) *eloquentia laudata.* 142 ſeq.

Woolſtonus (*Thom.*) *an primus fuerit errorum ſuorum architectus?* 275

ejus de Miraculis Chriſti doctrina refutata. 39 ſeq. 181 ſeq.

Z.

Zeigerus (*Ambroſius*) *refutatus.* 34

Zornii (*Petri*) *Diſſ. de Dæmoniacorum, in ſepulchretis habitantium, lycanthropia edita.* 235

Zutphanienſis (*Henr.*) *martyrium deſcriptum.* 325

EMENDANDA.

Pag. 22 *lin.* 16 pro *Ignato* lege *Ignatio*; *pag.* 208 *lin.* 5 pro *Flio* lege *Filio*; *pag.* 312 *lin.* 3 pro *Hiritieriæ* lege *Heretieriæ*; *pag.* 86 *lin.* 5 pro *innuere* lege *innuere*; *pag.* 92 *lin.* 21 pro *eum* lege *eam*; *pag.* 94 *lin.* 7 pro *ſextus* lege *quintus*; *pag.* 118 *lin.* 22 pro *Hipprocratis* lege *Hippocratis*; *pag.* 240 *lin.* 1 pro pag. 192 pone 240; *pag.* 323 *lin.* 4 dele *nu-*; *pag.* 372 *lin. ult.* pro *Anguſti* lege *Auguſti*; *pag.* 422 *lin.* 1 pro *ſolutiferum* lege *ſalutiferum*; *pag.* 439 *lin.* 7 poſt *theatrum* pone *morale.*

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google